
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX
169
כדברך
הבינני
JOH. XVII
17
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

CORPUS
SCRIPTORUM HISTORIAE
BYZANTINAE.

EDITIO EMENDATIOR ET COPIOSIOR,

CONSILIO

B. G. NIEBUHRII C. F.

INSTITUTA,

AUCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARUM REGIAE
BORUSSICAE

CONTINUATA.

MEROBAUDES ET CORIPPUS.

BONNAE
IMPENSIS ED. WEBERI.
MDCCCXXXVI.

MEROBAUDES

ET

CORIPPUS

RECOGNOVIT

IMMANUEL BEKKERUS.

BONNAE

IMPENSIS ED. WEBERI

MDCCCXXXVI.

IMMANUELIS BEKKERI
PRAEFATIO.

Qui hoc volumine comprehenduntur poetae et aetate et argumento inter se similes, criticam tantum abest ut perinde habuerint propitiam, ut Merobaudes simul inventus sit et sollertissime tam emendatus quam suppletus, Corippi neutrum carmen, nec quod ante annos ducentos quinquaginta publicatum multorum industriam exercuit, nec quod nuper repertum ex unius manibus prodiit, aut facile satis aut tuto legatur. nec mireris iniquam Africanae poeseos condicionem, si reputaveris fetus eius singulos singulis e libris provenisse, iisque nec valde bonis neque a quoquam inspectis post primos editores, homines litteratissimos illos quidem, sed qui Niebuhrii ingenium non aequipararent. horum ego mediocritatem non evectus locos corruptos paucos attigi et qui emendationem certam habere viderentur: plures Lachmanno restituendos commendavi, magna spe nec falsa. commentaria qualia inveni reliqui, nisi quod ordinem, sicubi minus commodus esset, immutavi, velut codicis Trivultiani lectiones textui subieci et quae Ruizius Dempsterus Barthius Rittershusius Vonckius Fogginius de eodem versu adscripserant non sum passus divelli. locos Virgilianos, quos plurimos attulit Mazzucchellius, indicavi, non totos posui. periochas alterius carminis invitus

servavi, Iohannidos abieci: quos ne quis forte desideret, initium infra posui.

Pellitur interea. secundus liber incipit, in quo auctor continuat a praecedente. nam supra narrato modo Maurorum bellandi per Iohannem suis, et descensi ad terram. Mauri qui erant per provincias, infestando ipsam et civitates, sentientes et videntes exercitum Romanorum, retrahunt se ad montes et ad fortilitios. et facit auctor duas comparationes, usque ibi: *quis mihi.*

Secundo invocat Iustinianum, quod ipsum adiuvet ad exprimendam multitudinem gentium Maurorum, usque ibi: *primus init bellum.*

Tertio narrat qualiter Antalas princeps Maurorum, qui iam fuerat cum Romanis, init bellum. et dicit quomodo ipse convocat amicos, et distribuit populos, qui venerunt in eius auxilium, usque ibi: *iam fortis.*

Quarto dicit quomodo incipiunt aptare se ad bellandum, et dant ordinem, usque ibi: *auxilioque vocat.*

Quinto dicit quod Frexes, qui sunt gentes leves armati, incipiunt, et eos sequuntur alii, ut patet in littera, usque ibi: *hunc aggere celso.*

Sexto dicit quod Romani existentes in campo eorum fortificati respiciebant multitudinem Maurorum; et facit comparationem de locustis ad eos, usque ibi: *iamque pedem.*

Septimo incipiunt scaramociare, et ponuntur nomina ducum, faciens quandam comparationem de tempestate ventorum, usque ibi: *dentibus infremuit.*

Eiusdem pretii lemmata sunt e margine codicum ab editoribus sedulo relata; quae et ipsa resecui.

Scrib. Berolini Id. Oct. a. 1835.

VIRIS CLARISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

DOMNO

IOHANNI NEPOMUCENO HAUNTINGER

SUPREMO BIBLIOTHECAE SANGALLENSIS PRAEFECTO,

ET

DOMNO

ILDEPHONSO AB ARX

REGENTI SEMINARII

NIEBUHRIUS S. D.

Petii a vobis, viri clarissimi, ut mihi liceret nominibus vestris inscripta edere, quae in bibliotheca, quam ita custoditis ut, quoties ab eruditis fructus aliquis insignis inde percipiatur, id vobis gratissimum eveniat, vobis indicantibus legi exscripsique: non quod ignorarem quam sint ista exigua, ornatu quoque, quem ab accurata commentatione accipere possent, orbata: sed grati animi testificationem, singularisque observantiae pignus, qua vobis obstrictus sum, publice exstare cupiebam. itaque pro eo quoque vobis gratias ago quod hoc a vobis impetrari sivistis. valete, viri clarissimi, amicique discedentis estote memores.

Scrib. Sangalli, pr. Id. Iulias 1823.

NIEBUHRII
DE FL. MEROBAUDE PRAEFATIO.

p. V Inter codices bibliothecae Sangallensis plures exstare rescriptos quaerenti mihi Arxius v. cl. indicavit; ac mox omnes collectos ad inspiciendum obtulit. etenim iam dudum accurate examinatis singulis codicibus, sicubi aliquid huius generis conspiceret, non solum id non inobservatum neglexerat, verum etiam, adhibito medicamento efficacissimo, quid olim scriptum fuisset investigaverat; itaque probe cognoverat, mihique indicavit, in reliquis quidem codicibus aut librorum sacrorum aut sanctorum patrum paginas deletas haberi, unum esse in quo carminis Latini reliquiae appareant: inter has, ubi litterarum ductus minus evanuerint, aliquot se legisse versus, quos neque memoria sibi in poëtarum, quos classicos vocamus, libris indicaverit, neque quaerendo invenerit: ceterum se, propter debilitatam oculorum aciem, ab accuratiore inquisitione abstinere debuisse: eam se cupere ab aliquo institui, cui et visus firmior et usus tractandarum deleticiarum membranarum sit.

Igitur non concedente solum sed hortante atque plaudente egregio viro opus aggressus sum: rem plane ut ipse mihi indicaverat inveni, ea scilicet quae his pagellis continentur inedita esse; legique redivivas litteras, ut in hoc negotio evenire solet, modo sine ullo labore, modo enixa oculorum animique contentione ae-
p. VI gerrime assecutus evanidos ductus, erasis quae abluendo deleri non potuerant: nonnulla, post multiplices conatus, desperata reliqui. verum de codicum rescriptorum ratione, de qua saepe atque cum cura traditum est, plura dicere nihil attinet.

Paucis igitur quae de membranis, quibus haec fragmenta continentur, dicenda sunt, absolvam. octo folia sunt; quorum duo paria ad octavum discerpti libri quaternionem pertinent, primum scilicet atque sive secundum sive tertium eiusdem par: de duobus reliquis ne id quidem omni dubio caret ea ad unum eundemque quaternionem pertinere. cuncta folia, ut ad eundem modulum cum ceteris quae ad conficiendum novum codicem librarius congesserat redigerentur, aut a superiore aut ab inferiore ora resectis cum margine aliquot versibus, quorum numerus determinari nequit, deminutionem passa sunt: quod ad latitudinem attinet, in uno pari utriusque folii ora cum extremis versuum litteris abscissa est; in reliquis tribus, mutata ad angustiorem modulum plicatura, alterum folium intonsum remansit, alterius paulo plus quadrante resectum fuit. membrana tenerrima est: litterae, praeter subscriptionem praefationis, ex earum genere sunt quas vulgo unciales vocant; iis similes quibus Gaii institutiones scriptae sunt, ita decorae ut nihil possit videri elegantius. iam vero, ut hic codex mox post editum ab auctore panegyricum scriptus fuerit, tamen anno 446 recentior foret.

Auctoris nomen, si quidem solito more in superiore paginarum ora inscriptum exstabat, abscissum periit. qui si ad auream aetatem pertineret, levi negotio et minime fallacibus indiciis agnosceretur: in ferrei aevi limine, temporibusque quorum omnis accuratior notitia intercidit, nihil certi statuere liceret, nisi unico fortunae munere monumentum in lucem prodisset quod omnem dubitationem tollere videtur. poëtas qui post Claudianum, Aëtio rem publicam tenente, in praecipuo honore fuerint, Sidonius p. VII (ad Felicem, 9 278—302) tres enumerat; ac licet minime dubium sit longe plures eodem aevo se carminibus delectasse, iniuriam tamen faceret Arverno, erudito sane viro, si quis crederet eiusmodi poëmata, qualia sunt quorum reliquias hic legimus, ab illo nescio quibus aliis posthabita esse. dum vero inter hos nostrorum carminum auctorem quaerimus, excludendus est Bonifacii cliens Gallicanus: inter duos qui restant, Quintianum et Hispanum illum quem Sirmondus Merobaudem esse acute intellexit, incerti haesitaremus, nisi aliud argumentum accessisset. nam ille quidem Aëtii laudes cecinisse, hic statuae honore auctus esse dicitur; id quod utrumque in panegyrici auctorem c-

venit. sed quod litem dirimere dixi, hoc est: ante hos 10 annos, egestis ex Ulpii fori area ruderibus, inventa fuit basis statuae Flavio Merobaudi cum luculento titulo positae, quem cl. Fea, strenuissimus antiquitatis explorator, evulgavit eruditeque illustravit. integrum apponam, quoniam libellum, quo exhibetur, paucis in Germania visum esse arbitror.

Fl. Merobaudi $\overline{VS}$ com. sc. — Fl. Merobaudi, aeque forti et docto viro, tam facere laudanda quam aliorum facta laudare praecipuo; castrensi experientia claro, facundia vel otiosorum studia supergresso; cui a crepundiis par virtutis et eloquentiae cura ingenium, ita fortitudini ut doctrinae natum, stilo et gladio pariter exercuit. nec in umbra vel latebris mentis vigorem scholari tantum otio torpere passus, inter arma litteris militabat, et in Alpibus acuebat eloquium. ideo illi cessit in praemium non verbena vilis, nec otiosa hedera, honor capitis Heliconius, sed imago aere formata, quo rari exempli viros, seu in castris probatos seu optimos vatum, antiquitas honorabat. quod huic quo-
p. VIII *que cum augustissimis Roma principibus, Theodosio et Placido Valentiniano, rerum dominis, in foro Ulpio detulerunt; remunerantes in viro antiquae nobilitatis, novae gloriae, vel industriam militarem vel carmen, cuius praeconio gloria triumphali crevit imperio. — dedicata 4 Kal. Aug. $\overline{conss}$. $\overline{DD}$. $\overline{NN}$. Theodosio 15 et Valentiniano 4.*

Iam vero quae hic et in panegyrici praefatione leguntur ita plane gemina sunt, ut orator ex inscriptione, publico honoris monumento, laudes suas transtulisse videatur. hic legimus *imaginem aere formatam in praemium cessisse Merobaudi*, illic *victuro aere formatum oratorem*; hic *Romam cum principibus*, illic *Romam cum principe* hunc honorem detulisse; hic *eius praeconio gloriam triumphali crevisse imperio*, illic *pro laudibus Aëtii* statuam decretam esse. ea dedicata fuit anno 435; consulatus, qui panegyrico ornatur, post undecim annos subsecutus est: verum summi quidem honoris nomen nuper sibi collatum esse; de tempore quo statuam acceperit nihil omnino memorat.

Neque est quod suspicetur aliquis, fieri posse ut Quintianus, quem laudes Aëtii cecinisse constat, eodem honore ornatus fuerit: nam Sidonius, qui statuae Merobaudi tributae ut rei maxime ad memoriam insignis meminit, dum Quintianum hedera ter co-

notatum esse dicit, maiorem honorem ei obtigisse haud dubie negat: hederae autem coronam doctarum frontium praemium minus illustre fuisse ex allatis inscriptionis verbis patet; quem morem coronandorum poëtarum cum poësi ipsa, cui semper aliquis honos mansit, etiam rudibus, quae secuta sunt, saeculis perdurasse arbitror. denique statuae honorem perpaucis poëtis oratoribusve tributum esse vel inde colligimus, quod et Sidonius et Idatius, in brevissima Merobaudis mentione, de eo praecipue verba fecerunt.

Itaque de panegyrico quidem Merobaudi vindicando, nisi quis omnino coniecturas ab his studiis pellit, quae sine earum p. IX
ope saepe progredi nequeant, vix quemquam dubitaturum esse arbitror; quo concesso, de eo tamen controversia moveri poterit, sintne ad eundem auctorem referenda minora carmina quae praecedunt. verum ut id affirmemus et ipsa paginarum connexio suadet, et quod in panegyrico (v. 130) et in 4 carmine (v. 46) Aëtium puerum *mundi pretium* fuisse ait: tum sermo, quum v. gr. voce *primaevus* ita delectetur poëta, ut id in his paucis paginis ter occurrat. non tamen rem dissimulabo quae summam difficultatem habere videatur: etenim, qui in panegyrico mores antiquos priscasque virtutes simul cum patriis sacris intercidisse criminetur, potestne inter Christianos censeri? praesertim qui hoc ipsum paganis exprobrantibus verum esse negare solebant. contra autem in genethliaco, neque minus in elegis de triclinio Valentiniani imperatoris, de baptismate ea leguntur quae Christianum auctorem prodere videantur. ego vero antea ex his laqueis ita me expediebam ut gentilem fuisse poëtam censerem. sic enim argumentabar, ethnicos, fracta semel antiqua religione, potuisse sine sacrilegii reprehensione Christianorum sermonem simulare; idque eos fecisse Procopii exemplo in libellis de aedificiis probabam. atque ad hanc sacrorum confusionem, quam, ex quo Christiani dominabantur, calliditas suadebat, superstitionem praecessisse indicabam, quum iam inde a principiis ecclesiae gentiles Christiana sacra quasi Isiaca aut Mithriaca expeterent, ac praecipue baptisma oleique sacri in morbis unctionem. denique attendere iubebam quam parum orthodoxe dicta sint quae de baptismate, sane non absque pia quadam elegantia, canit: nam qui (4 26) *deum, arcana laticum receptum unda, cri-*

mina pellere dicat, eum consubstantiationem aliquam divinae essentiae cum aqua in sacro lavacro adhibita sibi fingere monebam; id vero vix in Christianum cadere.

p. X Haec meditabar Sangalli, Sidonio Sirmondiano destitutus; quem si inspicere potuissem, tota argumentatio concidisset. carmen enim Merobaudis de Christo exstare docet doctissimus ille Sidonii enarrator. id hoc indicio facile in Fabricii collectione inveni, inscriptum *Merobaudis Hispani Scholastici:* porro hunc titulum in vetustissimo libro, ex quo Fabricius se edere dicit, ita scriptum exstitisse, nemo dubitabit. idem tamen poëma inter Claudiani quoque epigrammata exstat ("proles vera dei"), scilicet unum ex quattuor illis carminibus quae Io. Camers addidit, nemo alius hactenus, quum plurimi in conferendis Claudiani codicibus laborarint, in scriptis libris invenit; ac sane fieri potest ut Camers non codicis auctoritate sed coniectura, propter carmen Paschale, quod Claudiani esse crediderit, motus illi adscriberet quae eum auctorem habere nequeunt. Fabricius luculentum illud carmen a Camerte editum esse, editores Claudiani cuncti id, cum non spernenda lectionis varietate, apud Fabricium inveniri, pariter ignoraverunt.

Huius igitur tam manifesti ac non suspecti testimonii fidem cavillationibus elevare velle viro gravi indignum foret: nam ut inesse carmini quae parum orthodoxam opinionem prodant, Gesnero concedamus, ethnicum Christianae religionis mysteria ita accuratè tractasse, quae Barthii opinio est (Adv. 1 7), nunquam nobis persuaderi sinemus. Itaque, quod unum superest, fateamur, quamquam non sine stupore, statuendum esse exstitisse sub Leone magno pontifice Christianos, qui quum ab impietate longe abessent, nihilominus quaedam ex illis criminibus quae maiores in fidem Christianam conferri indignabantur pro veris admitterent; atque in eorum numero esse Merobaudem.

Carmen quod inter opera Claudiani relatum vulgo obvium
p. XI est, addere non placuit: eos vero quibus ad scriptos codices aditus patet, rogo hortorque ut quattuor illa carmina quae Camerti debentur sollicite quaerant; ex quibus disticha de miraculis Christi pariter Merobaudem nostrum auctorem habere valde probabile est. imo idem de carmine Paschali suspicor: at carmen de Hercule prorsus diversum colorem habet.

De pretio anecdotorum editorem dicere periculosum est; neque magnopere metuo ne, vel silente me, Merobaudes meus contemnendus poëta videri possit. multa profecto his carminibus insunt fortiter cogitata, plurima eleganter dicta: nunquam ineptit; raro, id quod aevi vitium est, tumet. sit in hoc quaedam editoris φιλοστοργία: tamen hanc reprehensionem non adeo vereor, ut non fatear cupere me eum Claudiano, cui aetati proximus est, poëtica quoque laude vix inferiorem censeri. scilicet, id quod inscriptionis elogium praedicat, ingenium armis pariter ac stilo exercuerat, plus in castris quam in scholarum otio versatus. in universum autem hoc tenendum est, illo saeculo quo orbis Romanus concidebat, longe plura amplioraque ingenia viguisse quam iis quae proxime praecesserant: summum enim discrimen, quo urgente uniuscuiusque privati hominis salus a rei publicae salute pendebat, animos ex diutino torpore excitatos graviorum rerum cogitationibus implebat; viros autem magnos in mediis periculis discriminibusque natos et factos, inter antiquarum virtutum ruinas eminentes, et quorum immensis laboribus reliquiae imperii sustinebantur, sincere et ex animo praedicabant admirabanturque. quippe Traiani aevo neque clades acceptae neque parti triumphi condicionem Italorum mutabant: verum a virtute et felicitate Aëtii eiusque prudentia pendebat, utrum Romae et in Italia secure viveretur, an barbarorum saevitia usque in remotissimos angulos grassaretur. huius aevi, in quo armorum gloria Aëtius ipse ac Bonifacius, pauloque iuniores p. XII Maiorianus et Sebastianus, florebant, viri vix ulli priorum saeculorum duci secundi; in quo non pauci senes superstites erant qui Claudianum audissent, et quod D. Augustinum quodammodo sibi tribuere poterat, huius, inquam, aevi nullum supererat ingenii monumentum; atque ipsa ingentia Aëtii facta, praeter brevissimam in chronicis mentionem, memoriae hominum fere erepta fuerunt. itaque singularis horum fragmentorum dos est, quod et ad rerum gestarum notitiam nonnihil conferunt, et aevum ipsum, qualesque illo tempore fuerint litterae hominesque eruditi, ante oculos sistunt.

Editoris officium, in huiusmodi reliquiis recensendis, vel praecipue circa supplementa versuum truncatorum versari libenter agnosco; eumque demum, qui ea quae fracta et deformata

servavi, Iohannidos abieci: quos ne quis forte desideret, initium infra posui.

Pellitur interea. secundus liber incipit, in quo auctor continuat a praecedente. nam supra narrato modo Maurorum bellandi per Iohannem suis, et descensi ad terram. Mauri qui erant per provincias, infestando ipsam et civitates, sentientes et videntes exercitum Romanorum, retrahunt se ad montes et ad fortilitios. et facit auctor duas comparationes, usque ibi: *quis mihi.*

Secundo invocat Iustinianum, quod ipsum adiuvet ad exprimendam multitudinem gentium Maurorum, usque ibi: *primus init bellum.*

Tertio narrat qualiter Antalas princeps Maurorum, qui iam fuerat cum Romanis, init bellum. et dicit quomodo ipse convocat amicos, et distribuit populos, qui venerunt in eius auxilium, usque ibi: *iam fortis.*

Quarto dicit quomodo incipiunt aptare se ad bellandum, et dant ordinem, usque ibi: *auxilioque vocat.*

Quinto dicit quod Frexes, qui sunt gentes leves armati, incipiunt, et eos sequuntur alii, ut patet in littera, usque ibi: *hunc aggere celso.*

Sexto dicit quod Romani existentes in campo eorum fortificati respiciebant multitudinem Maurorum; et facit comparationem de locustis ad eos, usque ibi: *iamque pedem.*

Septimo incipiunt scaramociare, et ponuntur nomina ducum, faciens quandam comparationem de tempestate ventorum, usque ibi: *dentibus infremuit.*

Eiusdem pretii lemmata sunt e margine codicum ab editoribus sedulo relata; quae et ipsa resecui.

Scrib. Berolini Id. Oct. a. 1835.

VIRIS CLARISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

DOMNO

IOHANNI NEPOMUCENO HAUNTINGER

SUPREMO BIBLIOTHECAE SANGALLENSIS PRAEFECTO,

ET

DOMNO

ILDEPHONSO AB ARX

REGENTI SEMINARII

NIEBUHRIUS S. D.

Petii a vobis, viri clarissimi, ut mihi liceret nominibus vestris inscripta edere, quae in bibliotheca, quam ita custoditis ut, quoties ab eruditis fructus aliquis insignis inde percipiatur, id vobis gratissimum eveniat, vobis indicantibus legi exscripsique: non quod ignorarem quam sint ista exigua, ornatu quoque, quem ab accurata commentatione accipere possent, orbata: sed grati animi testificationem, singularisque observantiae pignus, qua vobis obstrictus sum, publice exstare cupiebam. itaque pro eo quoque vobis gratias ago quod hoc a vobis impetrari sivistis. valete, viri clarissimi, amicique discedentis estote memores.

Scrib. Sangalli, pr. Id. Iulias 1823.

NIEBUHRII
DE FL. MEROBAUDE PRAEFATIO.

p. V Inter codices bibliothecae Sangallensis plures exstare rescriptos quaerenti mihi Arxius v. cl. indicavit; ac mox omnes collectos ad inspiciendum obtulit. etenim iam dudum accurate examinatis singulis codicibus, sicubi aliquid huius generis conspiceret, non solum id non inobservatum neglexerat, verum etiam, adhibito medicamento efficacissimo, quid olim scriptum fuisset investigaverat; itaque probe cognoverat, mihique indicavit, in reliquis quidem codicibus aut librorum sacrorum aut sanctorum patrum paginas deletas haberi, unum esse in quo carminis Latini reliquiae appareant: inter has, ubi litterarum ductus minus evanuerint, aliquot se legisse versus, quos neque memoria sibi in poëtarum, quos classicos vocamus, libris indicaverit, neque quaerendo invenerit: ceterum se, propter debilitatam oculorum aciem, ab accuratiore inquisitione abstinere debuisse: eam se cupere ab aliquo institui, cui et visus firmior et usus tractandarum deleticiarum membranarum sit.

Igitur non concedente solum sed hortante atque plaudente egregio viro opus aggressus sum: rem plane ut ipse mihi indicaverat inveni, ea scilicet quae his pagellis continentur inedita esse; legique redivivas litteras, ut in hoc negotio evenire solet, modo sine ullo labore, modo enixa oculorum animique contentione ae-
p. VI gerrime assecutus evanidos ductus, erasis quae abluendo deleri non potuerant: nonnulla, post multiplices conatus, desperata reliqui. verum de codicum rescriptorum ratione, de qua saepe atque cum cura traditum est, plura dicere nihil attinet.

Paucis igitur quae de membranis, quibus haec fragmenta continentur, dicenda sunt, absolvam. octo folia sunt; quorum duo paria ad octavum discerpti libri quaternionem pertinent, primum scilicet atque sive secundum sive tertium eiusdem par: de duobus reliquis ne id quidem omni dubio caret ea ad unum eundemque quaternionem pertinere. cuncta folia, ut ad eundem modulum cum ceteris quae ad conficiendum novum codicem librarius congesserat redigerentur, aut a superiore aut ab inferiore ora resectis cum margine aliquot versibus, quorum numerus determinari nequit, deminutionem passa sunt: quod ad latitudinem attinet, in uno pari utriusque folii ora cum extremis versuum litteris abscissa est; in reliquis tribus, mutata ad angustiorem modulum plicatura, alterum folium intonsum remansit, alterius paulo plus quadrante resectum fuit. membrana tenerrima est: litterae, praeter subscriptionem praefationis, ex earum genere sunt quas vulgo unciales vocant; iis similes quibus Gaii institutiones scriptae sunt, ita decorae ut nihil possit videri elegantius. iam vero, ut hic codex mox post editum ab auctore panegyricum scriptus fuerit, tamen anno 446 recentior foret.

Auctoris nomen, si quidem solito more in superiore paginarum ora inscriptum exstabat, abscissum periit. qui si ad auream aetatem pertineret, levi negotio et minime fallacibus indiciis agnosceretur: in ferrei aevi limine, temporibusque quorum omnis accuratior notitia intercidit, nihil certi statuere liceret, nisi unico fortunae munere monumentum in lucem prodisset quod omnem dubitationem tollere videtur. poëtas qui post Claudianum, Aëtio rem publicam tenente, in praecipuo honore fuerint, Sidonius p. VII (ad Felicem, 9 278—302) tres enumerat; ac licet minime dubium sit longe plures eodem aevo se carminibus delectasse, iniuriam tamen faceret Arverno, erudito sane viro, si quis crederet eiusmodi poëmata, qualia sunt quorum reliquias hic legimus, ab illo nescio quibus aliis posthabita esse. dum vero inter hos nostrorum carminum auctorem quaerimus, excludendus est Bonifacii cliens Gallicanus: inter duos qui restant, Quintianum et Hispanum illum quem Sirmondus Merobaudem esse acute intellexit, incerti haesitaremus, nisi aliud argumentum accessisset. nam ille quidem Aëtii laudes cecinisse, hic statuae honore auctus esse dicitur; id quod utrumque in panegyrici auctorem con-

venit. sed quod litem dirimere dixi, hoc est: ante hos 10 annos, egestis ex Ulpii fori area ruderibus, inventa fuit basis statuae Flavio Merobaudi cum luculento titulo positae, quem cl. Fea, strenuissimus antiquitatis explorator, evulgavit eruditeque illustravit. integrum apponam, quoniam libellum, quo exhibetur, paucis in Germania visum esse arbitror.

Fl. Merobaudi VS com. sc. — Fl. Merobaudi, aeque forti et docto viro, tam facere laudanda quam aliorum facta laudare praecipuo; castrensi experientia claro, facundia vel otiosorum studia supergresso; cui a crepundiis par virtutis et eloquentiae cura ingenium, ita fortitudini ut doctrinae natum, stilo et gladio pariter exercuit. nec in umbra vel latebris mentis vigorem scholari tantum otio torpere passus, inter arma litteris militabat, et in Alpibus acuebat eloquium. ideo illi cessit in praemium non verbena vilis, nec otiosa hedera, honor capitis Heliconius, sed imago aere formata, quo rari exempli viros, seu in castris probatos seu optimos vatum, antiquitas honorabat. quod huic quo-
p. VIII *que cum augustissimis Roma principibus, Theodosio et Placido Valentiniano, rerum dominis, in foro Ulpio detulerunt; remunerantes in viro antiquae nobilitatis, novae gloriae, vel industriam militarem vel carmen, cuius praeconio gloria triumphali crevit imperio. — dedicata 4 Kal. Aug. conss. DD. NN. Theodosio 15 et Valentiniano 4.*

Iam vero quae hic et in panegyrici praefatione leguntur ita plane gemina sunt, ut orator ex inscriptione, publico honoris monumento, laudes suas transtulisse videatur. hic legimus *imaginem aere formatam in praemium cessisse Merobaudi*, illic *victuro aere formatum oratorem*; hic *Romam cum principibus*, illic *Romam cum principe* hunc honorem detulisse; hic *eius praeconio gloriam triumphali crevisse imperio*, illic *pro laudibus Aëtii* statuam decretam esse. ea dedicata fuit anno 435; consulatus, qui panegyrico ornatur, post undecim annos subsecutus est: verum summi quidem honoris nomen nuper sibi collatum esse; de tempore quo statuam acceperit nihil omnino memorat.

Neque est quod suspicetur aliquis, fieri posse ut Quintianus, quem laudes Aëtii cecinisse constat, eodem honore ornatus fuerit: nam Sidonius, qui statuae Merobaudi tributae ut rei maxime ad memoriam insignis meminit, dum Quintianum hedera ter co-

sociatum esse dicit, maiorem honorem ei obtigisse haud dubie negat: hederae autem coronam doctarum frontium praemium minus illustre fuisse ex allatis inscriptionis verbis patet; quem morem coronandorum poëtarum cum poësi ipsa, cui semper aliquis honos mansit, etiam rudibus, quae secuta sunt, saeculis perdurasse arbitror. denique statuae honorem perpaucis poëtis oratoribusve tributum esse vel inde colligimus, quod et Sidonius et Idatius, in brevissima Merobaudis mentione, de eo praecipue verba fecerunt.

Itaque de panegyrico quidem Merobaudi vindicando, nisi quis omnino coniecturas ab his studiis pellit, quae sine earum ope saepe progredi nequeunt, vix quemquam dubitaturum esse arbitror; quo concesso, de eo tamen controversia moveri poterit, sintne ad eundem auctorem referenda minora carmina quae praecedunt. verum ut id affirmemus et ipsa paginarum connexio suadet, et quod in panegyrico (v. 130) et in 4 carmine (v. 46) Aëtium puerum *mundi pretium* fuisse ait: tum sermo, quum v. gr. voce *primaevus* ita delectetur poëta, ut id in his paucis paginis ter occurrat. non tamen rem dissimulabo quae summam difficultatem habere videatur: etenim, qui in panegyrico mores antiquos priscasque virtutes simul cum patriis sacris intercidisse criminetur, potestne inter Christianos censeri? praesertim qui hoc ipsum paganis exprobrantibus verum esse negare solebant. contra autem in genethliaco, neque minus in elegis de triclinio Valentiniani imperatoris, de baptismate ea leguntur quae Christianum auctorem prodere videantur. ego vero antea ex his laqueis ita me expediebam ut gentilem fuisse poëtam censerem. sic enim argumentabar, ethnicos, fracta semel antiqua religione, potuisse sine sacrilegii reprehensione Christianorum sermonem simulare; idque eos fecisse Procopii exemplo in libellis de aedificiis probabam. atque ad hanc sacrorum confusionem, quam, ex quo Christiani dominabantur, calliditas suadebat, superstitionem praecessisse indicabam, quum iam inde a principiis ecclesiae gentiles Christiana sacra quasi Isiaca aut Mithriaca expeterent, ac praecipue baptisma oleique sacri in morbis unctionem. denique attendere iubebam quam parum orthodoxe dicta sint quae de baptismate, sane non absque pia quadam elegantia, canit: nam qui (4 26) *deum, arcana laticum receptum unda, cri-*

mina pellere dicat, eum consubstantiationem aliquam divinae essentiae cum aqua in sacro lavacro adhibita sibi fingere monebam; id vero vix in Christianum cadere.

p. X Haec meditabar Sangalli, Sidonio Sirmondiano destitutus; quem si inspicere potuissem, tota argumentatio concidisset. carmen enim Merobaudis de Christo exstare docet doctissimus ille Sidonii enarrator. id hoc indicio facile in Fabricii collectione inveni, inscriptum *Merobaudis Hispani Scholastici:* porro hunc titulum in vetustissimo libro, ex quo Fabricius se edere dicit, ita scriptum exstitisse, nemo dubitabit. idem tamen poëma inter Claudiani quoque epigrammata exstat ("proles vera dei"), scilicet unum ex quattuor illis carminibus quae Io. Camers addidit, nemo alius hactenus, quum plurimi in conferendis Claudiani codicibus laborarint, in scriptis libris invenit; ac sane fieri potest ut Camers non codicis auctoritate sed coniectura, propter carmen Paschale, quod Claudiani esse crediderit, motus illi adscriberet quae eum auctorem habere nequeunt. Fabricius luculentum illud carmen a Camerte editum esse, editores Claudiani cuncti id, cum non spernenda lectionis varietate, apud Fabricium inveniri, pariter ignoraverunt.

Huius igitur tam manifesti ac non suspecti testimonii fidem cavillationibus elevare velle viro gravi indignum foret: nam ut inesse carmini quae parum orthodoxam opinionem prodant, Gesnero concedamus, ethnicum Christianae religionis mysteria ita accurate tractasse, quae Barthii opinio est (Adv. 1 7), nunquam nobis persuaderi sinemus. Itaque, quod unum superest, fateamur, quamquam non sine stupore, statuendum esse exstitisse sub Leone magno pontifice Christianos, qui quum ab impietate longe abessent, nihilominus quaedam ex illis criminibus quae maiores in fidem Christianam conferri indignabantur pro veris admitterent; atque in eorum numero esse Merobaudem.

Carmen quod inter opera Claudiani relatum vulgo obvium
p. XI est, addere non placuit: eos vero quibus ad scriptos codices aditus patet, rogo hortorque ut quattuor illa carmina quae Camerti debentur sollicite quaerant; ex quibus disticha de miraculis Christi pariter Merobaudem nostrum auctorem habere valde probabile est. imo idem de carmine Paschali suspicor: at carmen de Hercule prorsus diversum colorem habet.

De pretio anecdotorum editorem dicere periculosum est; neque magnopere metuo ne, vel silente me, Merobaudes meus contemnendus poëta videri possit. multa profecto his carminibus insunt fortiter cogitata, plurima eleganter dicta: nunquam ineptit; raro, id quod aevi vitium est, tumet. sit in hoc quaedam editoris *φιλοστοργία:* tamen hanc reprehensionem non adeo vereor, ut non fatear cupere me eum Claudiano, cui aetati proximus est, poëtica quoque laude vix inferiorem censeri. scilicet, id quod inscriptionis elogium praedicat, ingenium armis pariter ac stilo exercuerat, plus in castris quam in scholarum otio versatus. in universum autem hoc tenendum est, illo saeculo quo orbis Romanus concidebat, longe plura amplioraque ingenia viguisse quam iis quae proxime praecesserant: summum enim discrimen, quo urgente uniuscuiusque privati hominis salus a rei publicae salute pendebat, animos ex diutino torpore excitatos graviorum rerum cogitationibus implebat; viros autem magnos in mediis periculis discriminibusque natos et factos, inter antiquarum virtutum ruinas eminentes, et quorum immensis laboribus reliquiae imperii sustinebantur, sincere et ex animo praedicabant admirabanturque. quippe Traiani aevo neque clades acceptae neque parti triumphi condicionem Italorum mutabant: verum a virtute et felicitate Aëtii eiusque prudentia pendebat, utrum Romae et in Italia secure viveretur, an barbarorum saevitia usque in remotissimos angulos grassaretur. huius aevi, in quo armorum gloria Aëtius ipse ac Bonifacius, pauloque iuniores p. XII
Maiorianus et Sebastianus, florebant, viri vix ulli priorum saeculorum duci secundi; in quo non pauci senes superstites erant qui Claudianum audissent, et quod D. Augustinum quodammodo sibi tribuere poterat, huius, inquam, aevi nullum supererat ingenii monumentum; atque ipsa ingentia Aëtii facta, praeter brevissimam in chronicis mentionem, memoriae hominum fere erepta fuerunt. itaque singularis horum fragmentorum dos est, quod et ad rerum gestarum notitiam nonnihil conferunt, et aevum ipsum, qualesque illo tempore fuerint litterae hominesque eruditi, ante oculos sistunt.

Editoris officium, in huiusmodi reliquiis recensendis, vel praecipue circa supplementa versuum truncatorum versari libenter agnosco; eumque demum, qui ea quae fracta et deformata

invenerit ad integritatem restituat, de scriptore, cuius salus tuenda divinitus ipsi obtigerit, bene mereri censeo: hoc etiam addo, me arbitrari esse admodum pauca in hoc genere, quae ingenii vis cum doctrina et gnava industria coniuncta assequi nequeat. iam vero hoc ita dico ut me ipsum condemnem, quippe qui praesertim panegyrici praefationem tot vulneribus confossam reliquerim: in eo tantum aliquid laudis mihi tribuo quod nihil posui de quo aliquo modo addubitari posse videretur. utinam acutiores eruditioresque in poëta non malo sanando artem ingeniumque exercere non dedignentur!

Restat ut paucis de codice dicam ad quem conficiendum Merobaudis reliquiae adhibitae fuerunt. is numero 908 designatur; saeculo nono scriptus vocabularium continet, ineditum quidem, sed minimi pretii; satis spissus, praeter pauca folia, totus rescriptus est, adhibitis diversissimorum librorum partibus. inter has, cum iis quae hic edo, facile eminent folia quae antiquissi-
p. XIII mae liturgiae partes exhibent; de quarum editione, quatenus legi poterunt, exorari se passurum esse Arxium confido. nemo autem, credo, reprehendet quod nugas spreverim quae non paucas paginas implent, de divinatione ex somniis, ut videtur. quattuor folia cum duorum segmentis ex codice Digestorum de mulomedicina, quae sub Vegetii nomine circumferuntur, primique eorum libri, supersunt. is codex, saeculo 7 aut 8 scriptus, ipse rescripta folia complectebatur: unum certe tabellionum scripturam sub Vegetianis elucentem clare prodit; qua quid contineatur expedire non potui. haec autem fragmenta cum Corbiensi antiquissimo codice, quatenus is propter lacunas conferri potest, fere usque ad minima conveniunt, nisi quod sermo semibarbarus plurimis locis aperte patet; cuiusmodi variantes is qui Corbiensem contulit fortasse cum aliis manifestis mendis enotare sprevit. reliqua ad epistolas Paulinas, versionemque Ieremiae prophetae a vulgata longe diversam, et sancti alicuius patris librum mihi ignotum pertinent.

Festinata priore huius libelli editione, pluribus locis in discriminandis litteris quae in membranis supersunt, quasque supplevi, erratum fuit: id tamen circa res adeo tenues versatur, ut de iteranda editione non cogitassem, nisi amici coniecturas mihi obtulissent, atque ipse earum difficultatum solutionem invenis-

sem quae me maxime torserant. eruditi, quorum egregia inventa profero, sunt Bluhmius, iam inter ICtos nobilitatus, et Comes Iacobus Leopardius, Recanatensis Picens; quem Italiae suae iam nunc conspicuum ornamentum esse popularibus meis nuntio, in diesque eum ad maiorem claritatem perventurum esse spondeo: ego vero, qui candidissimum praeclari adolescentis ingenium non secus quam egregiam doctrinam valde diligam, omni eius honore et incremento laetabor.

PETRI MAZZUCCHELLII
AD CLARISSIMUM VIRUM
IOHANNEM IACOBUM MARCHIONEM TRIVULTIUM
DE CORIPPI IOHANNIDE
PRAEFATIO.

Tandem in conspectum Tuum, Clarissime Vir, Corippus Tuus, tamdiu abs Te exspectatus, venit. usque ab anno enim 1814, cum Tibi indicassem domi Tuae in Museo refertissimo rerum pretiosissimarum latere poëma illud *de bellis Libycis*, iamdiu desideratum a litteratis viris, statim significasti placere Tibi ut ego illud quam primum publici iuris facerem. tunc libenter hunc laborem suscepi, ne dicam potius temere atque imprudenter: primo namque conspectu codicis non animadverti eundem esse undequaque et mancum et a manu imperitissima descriptum, ita ut opera indigeret editoris magis periti. In eo exscribendo solummodo cognovi non esse onus aptum humeris meis: sed nefas duxi non parere Tibi, cui tantum debeo. possem tam longae morae causas plures in medium afferre, inter quas non postremum tenet locum minus commoda valetudo, qua saepe utor: sed cum Tibi eaedem sint plane perspectae, satius erit eas praeterire, etiam ne aliis videar potius tarditatem ingenii mei velle sic obtegere. atque illico orationem convertam ad ea brevibus quamque planissime potero explicanda, quae Te sensi cupere edoceri, quaeque tradi sibi lector iure quodammodo postulat in aditu ipso operis cuiuslibet, quod primo ex vetustis tenebris in

lucem profertur. dicam itaque primo de poëmatis huius a Corippo compositi existentia; deinde de codicibus, qui illud descriptum habebant, deque unico Tuo superstiti; postmodum de argumento poëmatis ipsius atque de utilitate ex eodem capienda praesertim ad historiam illustrandam, ac postremo de ratione quam secutus sum in eo edendo.

Corippum scripsisse hoc poëma fassus est idem auctor in Fragmento (sive dedicatione) *Carminis in laudem Iustini Aug. minoris*, ubi v. 35 ait:

quid Libycas gentes, quid Syrtica proelia dicam
iam libris completa meis?

attamen non desunt alii testes. "testis est" enim (ut verbis utar Petri Francisci Fogginii in *Praefatione* ad suum Corippum p. 11) "auctor anonymus, qui Cresconianam collectionem veterum canonum aliaque SS. patrum opuscula descripsit in membranaceo ms. codice saec. 10 Romae in bibliotheca Vallicellana adservato, et nunc notato tom. 18, qui texens p. 136 opusculorum omnium a se descriptorum indicem, sub hoc titulo: *haec sunt quae in codice habentur*, ita incipit: *Concordia canonum a Cresconio Africano episcopo digesta sub capitulis trecentis. iste nimirum Cresconius bella et victorias, quas Iohannes Patricius apud Africam de Saracenis gessit, hexametris versibus descripsit sub libris* ...... hanc notam" prosequitur Fogginius "iuris publici fecit Baronius (a. 527 n. 76), et iterum ex ipso codice descripsit ac recudit Mabillonius (It. Ital. p. 69)." arguit deinde Fogginius non immerito Chifletium et Coutantium, quorum prior in *praef. Opp. Ferrandi* et alter in *praef. ad Epistolas Romanorum pontificum* p. 2 § 7 n. 122 p. 105 affirmaverant, Baronium invenisse illam notam in ms. cod. Vaticano, et ex ipsa aetatem Cresconii collectoris canonum produxisse ad exitum saeculi 7, cum ex Anastasio Bibliothecario et Cedreno constet anno 8 Leontii imperatoris, id est Christi 697, Arabes obtinuisse Africam, ex eaque expulsos fuisse ab altero Iohanne patricio illuc misso ab ipso Leontio. in utrumque autem errorem inciderant re vera Ger. Ioh. Vossius *de historicis Latinis* l. 3 part. 2 c. 3, Guil. Voellus in *praefatione* ad *Bibliothecam Iuris canonici veteris* editam *Lutetiae Parisiorum* anno 1661, et Emmanuel a Schelestrate in opere inscripto *Ecclesia Africana sub primate Car*

thaginiensi (Diss. 4 c. 7 n. 3 p. 317 et 319 ac seq. ed. Paris. 1679); ac plures alii in postremum tantum, nempe Baronius loco citato, Pagius in eundem Baronii locum et ad annum 696 n. 5; Labbeus in *Conciliorum* t. 6 ed. Paris. 1671 col. 1381; Caveus in *Scriptor. Ecclesiast. historia litteraria* vol. 1 ed. Oxon. 1740 p. 600 a. 690; Oudinus in *Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis* t. 1 col. 1667 et seq. saec. 7 a. 690, qui etiam distinxit Corippum a Cresconio (ut fecerat Vossius, si conferas locum cit. cum eiusdem capite 5 libri 2 *de poëtis Latinis*), illum auctorem dicens tantummodo poëmatis *de laudibus Iustini* et hunc *collectionis canonum*; Dupinius in *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques* t. 6 Mons 1694 p. 45; Ioh. Iac. Hofmannus in *Lexico Universali* t. 1 p. 1018 ed. Lugd. Bat. 1698; Ceillerus in *Histoire des auteurs sacrés et ecclésiastiques* t. 17 Paris 1750 p. 757; Berardus in *praefatione* ad *Gratiani canones genuinos ab apocryphis discretos* Taurini 1752 p. 28; Ballerinii in *Tractatu de antiquis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque* p. 4 c. 3 in *Appendice ad S. Leonis Magni Opera* seu t. 3 Venet. 1757 p. 254; et alii fere omnes qui de *concordia canonum* Cresconii egerunt; quibus subscripsisse videtur Andres in eius opere *Dell' origine, de' progressi e dello stato attuale d' ogni letteratura parte seconda delle scienze ecclesiastiche libro terzo,* to. 21 edit. Venetae anni 1800 p. 46. iis accensendus est etiam Quadrius in opere cui titulus *Della storia e della ragione d' ogni poesia vol. quarto* (t. 6) *Milano* 1749 p. 147: de eo autem infra redibit sermo.

Sed hac in re sequenda omnino est opinio Fogginii, qui p. 15 ait "aut minus veraciter aut saltem minus diligenter indicatum puto ab adnotatore" codicis Vallicellani "argumentum carminis *de bellis Libycis*, quod ei innotescebat Cresconii nomine inscriptum. si enim, quia tunc forte in ore vulgi celebrabatur praecipue insignis victoria quam recentius in Africa de Saracenis Iohannes patricius imperatore Leontio reportaverat, hanc ille victoriam Cresconiani carminis argumentum esse adserere intendit, falsitatis eum arguunt primi eiusdem carminis versus a Cuspiniano editi, qui bellum indicant vario ac diuturno Marte agitatum, cum e contrario bellum Saracenicum sub Leontio brevi temporis spatio confectum esse constet ex Anastasio Bibliothecario

et Cedreno.... si quis (p. 16) autem malit adnotatorem, secundum aetatis suae morem, Saracenorum nomine Africanas gentes appellasse, Africana licet bella sub Iustiniano gesta indicare voluerit, eum non fuisse mendacem dabo, sed in proprietate verborum minus diligentem dicam."

Hinc prudenter, ut ego arbitror, ipse Fogginius non tantam fidem mereri adnotatorem putat quantam passim ei tribuunt citati auctores, etiam dum affirmat Cresconium Corippum poëtam eundem esse ac illum Cresconium canonum collectorem, nec non hunc re vera fuisse episcopum. concedit enim sub Iustiniano vixisse utrumque, sed in *epistola collectioni* praemissa *ad Liberinum* aliquas deprehendit phrases quae *haud bene* (p. 15) *conveniunt episcopo ad episcopum scribenti.* hac in re nonnulli fortasse erunt quibus acquiescere placebit opinioni cl. Morcelli, qui in *Africa Christiana* (vol. 3 p. 321 et 329) testatur poëtam nostrum episcopum fuisse, nec non auctorem *breviarii et concordiae canonum*, sub anno 571, etsi argumenta Fogginii non modo non diluat sed ne proferat quidem. re vera fateor, et quicunque poëma, quod iam primum utcunque in lucem a me profertur, legerit, mecum fateri debebit, nihil esse in *Iohannide* quod episcopum dedeceat. nullum sane amorem profanum invenies eo in carmine, sed contra vere Christianum poëtam illud ubique redolet. imo, ut iam observavit Fogginius p. 21, *Corippo familiares erant sacrae litterae, quod eius versus ostendunt; in quibus plura ex illis imitatur.* hoc idem confirmat *Iohannis*, ita ut fere de hoc ipso poëmate dici queat quod Barthius de aliis eiusdem auctoris carminibus testatum reliquit lib. 21 *Adversar.* c. 2 col. 1014, nempe *phrasim sacram* in eo *singulis paginis apparere.* codices praeterea qui illud continebant, et de quibus mox subiiciendus est sermo, luculenter testantur Cresconium eiusdem esse auctorem. cum autem hoc nomen frequentissimum fuerit in Africa, ut vel ex ipso opere Morcelli patet, in quo 35 episcopos reperies sub Cresconii nomine praeter unum Crisconium, ex opinione Fogginii recedere nequeo. de *Flavii* praenomine nihil est quod dicam, nisi idem commune fuisse fere post Constantinianum saeculum apud Romanos et sub Romano imperio degentes. cognomen vero *Corippus* peculiare est nostro poëtae, nec ullum alium inveni hucusque eodem appellatum.

videtur autem id e Graeca lingua desumptum ex vocibus κόρος *puer* vel *pullus* aut *niger*, et ἵππος *equus*; quasi dicas *equuleus* vel *niger equus*, aut etiam *puer* id est *servus ab equis* vel *equiso*.

Etsi poëma *de bellis Libycis* olim pluribus in codicibus descriptum exstiterit, de duobus tantum notitia ad eruditos viros pervenit: nam tertius Trivultianus hucusque latuit vel penitus ignotus exstitit, quamvis in plurium doctorum hominum manibus fuerit, ut infra docebo. antiquiorem codicem fuisse patet illum qui in bibliotheca monachorum Montis Casini diu fuit adservatus, nempe a saeculo 11 usque ad 16. "Petrus" namque "diaconus," ut ait Fogginius p. 10, "in Auctario ad Chronicon Casinense Leonis Marsicani, ubi inter libros quos describi curavit abbas Desiderius, ad Romanam cathedram postea evectus sub Victoris 2 nomine, *Cresconium* memorat *de bellis Libycis*. hunc codicem in bibliotheca monasterii Montis Casini adhuc superfuisse anno 1532 novi" (est idem Fogginius qui loquitur) "ex ms codice Vaticano 3961, qui indicem continet Casinensium mss Clementis 7 iussu confectum. sic enim in classe librorum grammaticalium legitur: *liber Cresconii incip. Victoris.*" suspicatus erat Fogginius vel male indicatum hunc codicem fuisse vel mutilum exstitisse, cum teste Cuspiniano Budensis initium sumeret ab hisce verbis: *signa, duces* etc.: sed nunc patet neutiquam id esse. imo ex illa voce *Victoris* constat Casinensem codicem *praefationem* etiam habuisse, quam prae se fert quoque Trivultianus. utrum eadem caruerit ms Budensis, ex quo recitavit Cuspinianus priores quinque versus poëmatis eiusdem in suo *de Caesaribus et imperatoribus* libro, ubi de Iustiniano agit, nobis non liquet. etenim praeter titulum et illos quinque versus, ex quibus re vera incipit poëma quique eiusdem argumentum nobis ante oculos ponunt, nihil aliud de illo ms Cuspinianus nobiscum communicavit. neutrum autem eorum codicum ad nos usque perdurasse, non immerito est dicendum, cum nondum poëma illud tam diu expetitum in lucem venerit; nec adhuc sciri ab ullo potuit quid illis codicibus factum sit, quove pervenerint. de Casinensi enim Fogginius iam factus fuerat certior, ut ipse ait, a viro docto illius bibliothecae curatore, nullam ibi restare membranam quae Cresconii nomen prae se ferat, nullam in qua de

bellis Libycis agatur. Angelus de Nuce, abbas et bibliothecarius Montis Casini, usque ab anno 1666, quo citatum illius monasterii *Chronicon* edidit, ad seriem librorum quos Desiderius describi curaverat, iure ac merito hanc notam apposuerat: *eorum plurimi supersunt, non tamen omnes, expilata non semel nostra bibliotheca.*

Nunc venio ad ms bibliothecae Budensis, quam magnis impensis Matthias Corvinus Hungariae rex quinquaginta milibus codicum, ut ferunt, adornaverat. ms illum vidit Ioh. Cuspinianus Budae, non autem in monasterio Montis Casini, ut perperam refert IAFabricius in utraque *Bibliotheca* sua *Latina*, illa nempe *veterum auctorum* et altera *mediae et infimae aetatis*, et post eum Polycarpus Leyserus in *Historia poëtarum et poëmatum medii aevi* p. 174, nec non auctor *Collectionis Pisauriensis omnium poëmatum* to. 6 p. 12; neque in Viennensi Austriae bibliotheca, ut falso coniectabat Barthius in *Adversar.* 54 2 col. 2585; neque in *Bibliotheca Badensi*, ut minus recte legitur in *Appendice bibliothecae Conr. Gesneri* ab eo edita Turici a. 1555 p. 26 art. *Crastonius Gorippus*, et in eiusdem *Bibliothecae epitome per Iosiam Simlerum Tiguri* 1574 p. 149, ac eadem in *Epitome postremo amplificata per Ioh. Iac. Frisium* ibidem a. 1583 impressa p. 177. est autem observandum hoc in opere distinctum fuisse Crastonium Gorippum a Cresconio. illi tribuuntur *Iohannidos* libri uti exstantes in bibliotheca Badensi teste Cuspiniano, alteri vero *bella in Africa gesta sub Iustiniano imp. carmine descripta* et *Concordia canonum*. porro ii hac in re nullo modo sunt audiendi, cum provocent ad librum Cuspiniani ipsius *de Caesaribus*. in hoc enim libro p. 176 ed. Basil. a. 1561 ita idem ait: *bellum vero Libycum, quod Ioannes contra Aphros gessit, Fl. Cresconius Gorippus* (sic eum vocat) *octo libris prosequutus est, quibus titulum fecit Iohannidos; quos in Regia bibliotheca Budae reperi. hi sic incipiunt:*

signa, duces gentesque feras, Martisque ruinas,
insidias, stragesque virum durosque labores,
et Libyae clades, et fractos viribus hostes,
indictamque famem populis laticesque negatos,
utraque letifero turbantes castra tumultu.

et reliqua. sane Nic. Gerbelius operi Cuspiniani *auctorum, quos* idem *citat*, praemisit *catalogum*, in quo legitur: *Crastonius Corippus, qui libros Iohannidos scripsit, qui habentur in bibliotheca Budensi.* sic plane habet tum citata editio Basileensis tum altera Francofurti anni 1601, quae in bibliotheca nostra Ambrosiana prostant. principem editionem, quae tamen postuma exiit Argentorati anno 1540, re vera nondum vidi; sed cum ex eadem repetitae sint posteriores, non est cur aliquis putet novos editores ausos esse immutare textum auctoris. ideoque vel a prima editione operis Cuspiniani vel fortasse ab errore Gerbelii factum est, ut alii, nempe Simlerus et Gesnerus, *Crastonem* vocaverint *Cresconium* nostrum. eundem etiam *Crisconium* et *Crescentium* appellat Fabricius in citata *Bibliotheca mediae* et *infimae Latinitatis*, nec non *Crispum* IN Erythraeus in *Pinacotheca* p. 25. porro Fabricius perperam culpam reiicit in Cuspinianum de falso *Crastonii* nomine. Christ. Daumius quoque scribebat Nic. Heinsio anno 1673 *Iohanneida Corippi in bibliotheca Budensi fuisse*, ut videre est in Burmanniana *Sylloge Epistolarum* to. 5 p. 217.

Sed quandonam, inquies, viderit Cuspinianus Iohannidem *Budae*, ut ipse ait, *in regia bibliotheca*. Nic. Gerbelius in *epistola ad lectorem* data *Argentorati kal. Augusti, ab anno redempti orbis* 1540, et praefixa operi Cuspiniani *de Caesaribus*, in qua aliqua de vita auctoris congessit, haec de eodem ait: *imperator divus Maximilianus eum in senatum suum adscivit, eumque in Ungariam Boemiam Poloniamque oratorem misit annis duodecim continuis.* imo ipse Cuspinianus in epistola praemissa *diario* suo *de congressu Caesaris Maximiliani Augusti et trium regum, Hungariae Bohemiae et Poloniae, Vladislai Ludovici ac Sigismundi, in urbe Viennensi facto, 17 Iulii, a. Christi* 1515, Iacobo Vilinger scribebat ex Vienna vigesima Augusti: *quinque annis volvo hoc saxum, quibus vigesies et quater in Hungariam orator ivi.* in ipso quoque diario, quod exstat post cit. librum *de Caesaribus* p. 617, legitur: *remissus est itaque Cuspinianus a Buda ad Caesarem;* et paulo post: *praemissus est itaque Cuspinianus Budam.* hinc non ambigendum est vidisse Cuspinianum Budae codicem Corippi intra annos 1510 et 1515. hoc eodem tempore procul dubio Cuspinianus alios quoque codices ibidem consuluit: nam in suo *commentario in Aure-*

lii Cassiodori Consules ad annum Christi 410 p. 434 edit. Francofurti 1601 sic ait: *Budae in bibliotheca regia, dum illic oratorem Caes. Maximiliani apud Vladislaum regem agerem, mirae vetustatis Procopium Graecum reperi, quem mihi rex mutuo dedit; in quo, cum conferrem cum Latino, multa deesse observavi: tam lacer et mancus venit ad manus interpretis; quod et crebro lamentatur.*

Quid autem actum sit de illo codice Corippi, hucusque ignoratur. notum est enim, cum Solimanus 2 Turcarum imperator a. 1526 totam fere Hungariam suis armis subiecisset et Budam expugnavisset, celebrem illam bibliothecam, a Matthia Corvino Hungariae rege, ut iam dixi, coadunatam, direptam fuisse varieque distractam. hinc illius codices plures in bibliothecas migraverunt, ut testatur Lambecius *Commentariorum de bibliotheca Vindobonensi libro* 1 num. 36 p. 70 edit. Kollarii, ubi de iis agit qui eandem variis temporibus ditaverunt, ex quibus unus fuit ipse Cuspinianus, aliquot etiam ex Budensibus libris a se comparatis, dum eidem praeesset. Struvius quoque in *Introductione in notitiam rei litterariae et usum bibliothecarum* c. 2 § 18 p. 67 et seq. edit. Ienensis anni 1710, de dispersione bibliothecae Budensis agit, et alios ex Corvinianis codicibus in Guelferbytana unumque in Salana bibliotheca servari affirmat; qui subdit etiam in privatorum bibliothecis reperiri huiusmodi codices. porro Georgius Remus nactus est in bibliotheca Augusti iunioris ducis Lunebergi codicem, qui continebat *opera Barth. Fontii*, quemque auctor obtulerat regi Matthiae, ut putat idem editor, qui illa a. 1621 Francofurti typis commisit. in bibliothecis Italiae quoque visuntur plures mss Budenses. aliquot possidere Estensem animadvertit Tiraboschius in Historia Litteraria Italiae t. 7 p. 230 secundae edit. Mutinensis. inveniuntur Florentiae quoque in bibliotheca Laurentiana, ut monet nos Bandinius in illius *catalogo codicum Latinorum* to. 1 col. 14 142 et 696 et to. 2 col. 846, quatuor codices exscripti a. 1488 et sequenti pro Matthia Corvino: sed ii fortasse ob eius mortem, quae contigit a. 1490 pridie nonas vel 8 idus Aprilis, relicti fuerant Florentiae atque a Leone P. 10 redempti. sed codicem descriptum ibidem to. 2 col. 759 prodiisse ex Budensi bibliotheca testatus est qui illum emerat Cpoli. imo Brassicanus in prae

tione ad suum Salvianum nos docet ab ipso Hungariae rege Ludovico, qui patri suo Vladislao successit a. 1516, obtinuisse, antequam Turcae Budam ingrederentur, varios codices Corvinianos. tandem residui 400 circiter codices, Buda a Christi fidelibus recuperata, Viennam traducti fuerunt anno 1686, non tamen opera Lambecii, ut falso narrat Tiraboschius Historia supra citata t. 6 p. 1 p. 159: nam ipse Lambecius usque ab anno 1680 inter vivos esse desierat. tres codices tantum ille a. 1666 Viennam e Budensi bibliotheca retulerat, permittente ipso Turcarum domini administro, ut idem Lambecius testatur *Commentar.* lib. 2 c. 9 col. 948 edit. citatae.

Quod vero ait Struvius de privatorum bibliothecis, dicendum est etiam de museo Trivultio, in quo tres codices existunt insignes, si membranas scripturam et ornatus praecipue spectes, qui depicta ostendunt stemmata regni Hungariae et praedicti eius regis Matthiae, nec non huius emblemata varia. sunt iidem praegrandi forma, et cooperti corio purpureo, in quo visuntur adhuc impressa huiusmodi quoque insignia praeter varia aurea ornamenta, omnes Latini et saeculo 15 descripti. in priori habentur *Ioannis Damasceni sententiae*, *item Anselmi archiepiscopi Cantuariensis monologion*, *eiusdem prologion*, *cur deus homo*, *de processione S. Spiritus*, *de fermentato et azimo*, *de voluntate triplici vel de similitudinibus*, *de conceptu virginis*, *de sacramentis ecclesiae*. alter complectitur *Commentaria Porphirionis et Acronis in QHoratium Flaccum*. tertio denique continentur haec, nempe *Laërtii Diogenis vitae atque sententiae eorum qui in philosophia claruerunt*, praemissa epistola interpretis Latini F. Ambrosii Traversarii Camaldulensis ad Cosmum Medicem; *Herodotus de vita Homeri*, cui praeit *Peregrini Allii* interpretis *praefatio ad Laurentium Medicem*; *PVirgilii Maronis vita per Donatum grammaticum edita*; *vitae quorundam Latinorum poëtarum a PCandido editae*; *Pomponii Infortunati in MAnnaei Lucani vitam*; *ex annumerationibus Eusebii de temporibus per Olympiadas poëtarum quorundam Latinorum vitae*; *Verba MFabii Quintiliani de institutione oratoria libro decimo cum de poëtis Latinis tractat*. tres isti codices mss Corviniani videntur mihi praecipue ex charactere descripti Florentiae, qua in urbe rex Matthias, teste Struvio loco supra

citato p. 66 et seq., quatuor insignes librarios magnis impendiis semper aluit, quorum is labor unicus ut omnes melioris notae auctores et Graecos et Latinos exscriberent. postremus ms sane Florentinum se prodit manifesto ex sequenti nota, quae in calce eiusdem legitur, nempe: *Franciscus Sassettus Thomae filius florentinus civis faciundum curavit. Mitia Fata Mihi.* cum Thomam tum Franciscum Sassettum plurium re vera codicum possessores fuisse testantur Iulianellius in *praefat.* ad Biscionii *Catalogum bibliothecae Mediceo-Laurentianae* p. 41 nota (63), et Bandinius in suo *Catalogo* eiusdem *bibliothecae*, ut patet ex *Indice* in to. 5 verbo *Sassettus* col. 758. quin imo Bandinius ipse to. 1 *Catalogi codicum Graecorum* in *praefatione* p. 11 scripsit: *nec omittendi codices ferme quinquaginta gentis Sassettae, qui quum a.* 1449 *notentur, vix dubitandum et hos in Cosmi potestatem devenisse.* observandum est etiam illud effatum *Mitia Fata Mihi* inscriptum fuisse in omnibus codicibus qui nomen *Francisci Sassetti* habent. ne credas tamen codicem Trivultianum qui Laërtii *vitas* continet ex bibliotheca Medicea prodiisse, cum insignia gentilicia, quae illum intus et foris ornant, et praecipue corvus cum anulo in rostro, dubium nullum relinquant eundem ms ad bibliothecam Corvinianam spectasse, vel ex cessione Francisci Sassetti, vel etiam postquam distracta fuerit huius bibliotheca. hanc Michaël Verinus Mediceae aequiparabat scribens ad Petrum Ridolfum, prout legitur in illius epistola edita a Bandinio tomo 3 cit. *Catalogi bibliothecae Laurentianae* col. 480, in qua sic ille ait: *non est mihi Saxetta vel Medicea bibliotheca, sed est scrinium parvum refertum emendatis libris, quos vel Attalicis vestibus praepono.* de eodem Franc. Sassetto luculentum testimonium exstat apud Barth. Fontium, qui plura ad illum epigrammata direxit, et a quo praeterea liber suorum carminum *Saxettus* inscriptus fuit, ut videre est in editione citata operum eiusdem Francofurtensi anni 1621 p. 374 et seqq.

Attamen ad Budensem bibliothecam nunquam spectavit codex quo utor in edendo Corippi poëmate. constat enim vel ex collatione versuum quos publici iuris fecerat Cuspinianus ex ms a se Budae perspecto, non eundem plane fuisse ac nostrum, ut patebit cuique inspicienti notas quas adieci ad priores quinque versus libri 1. quinimmo ille codex *octo* continebat *libros*, et

noster plus quam septem nunquam enumeravit. praetèrea Trivultianus codex Mediolani exscriptus fuit saeculo 14, eademque in urbe semper exstitit, ut brevi me comprobaturum spero. ideo *Mediolanensis* a me vocatus est in ipsa libri fronte, ut statim lectores monerem nec Budensem neque Casinensem me nactum fuisse. ex charactere illo inter Latinum et Teutonicum, quem Semigotthicum appellat vulgus, neo non ex illa crassiori papyro, cuius usus viguit praecipue saeculo 14, coniicio ad idem saeculum spectare. charta re vera prae se fert signum quoddam mihi ignotum, nempe palliolum bipartitum, vel vittas duas dependentes, nescio an ab ala extensa vel a cornu cervino. sed in ipso codice adiectae fuerunt eodem, ut puto, saeculo plures aliae chartae, in quibus aliorum poëtarum carmina exscripta sunt charactere non absimili illi quo Corippi poëma est descriptum. in prima autem ex hisce chartis visitur corona laurea, et reliquae, quae constant foliis 15, referunt anguem Vicecomitum absque puero tamen, ut passim conspicitur in papyro Mediolanensi saeculi etiam 15. aliud argumentum, ex quo patet Mediolani exstitisse usque a saeculo 14 codicem nostrum, sumo ex 4 Schedis in eodem ms repertis, quae continent periochas quasdam ad aliquot eiusdem poëmatii libros. videntur autem illae ab eadem manu conscriptae quae codicem exaraverat. porro in ipso ms ad lib. 3 v. 345, ut moneo in nota ad eundem locum, haec leguntur: *hic describitur mortalitas quasi sicut fuit* 1348; et periocha ad eundem locum respondens sic se habet: *describit mortalitatem, et proprie sicut fuit* 1348 *et Mediolani* 1360. hinc etiamsi aliquis negare voluerit Mediolani exscriptum codicem, saltem ex quo tempore periochae scriptae in eoque relictae fuerunt, Mediolani illum exstitisse concedendum erit. hic fortasse eundem codicem vidit Iohannes Aloysius Guidobonus, quem citavi ad lib. 6 v. 370 et ad lib. 7 v. 509, qui carmen scripsit hucusque ignotum, ut est etiam ipse poëta, de itinere Galeatii Mariae Sfortiae, cum illum pater eius Franciscus Ferrariam mitteret in occursum Friderici imp. anno 1452 ineunte. nuper bibliothecae Ambrosianae acquisitus fuit idem membranaceus codex oblatus Galeatio Mariae, qui post mortem patris fuit dux Mediolani, ut coniicio ex stemmate in priori pagina picto cum aliis ornatibus. titulum hunc prae se fert: *ad. Ill. P. Galeaz*

Mariam. Sf. Vicecomitem, Papiae Comitem, Io. Aloysii Guidoboni oratio incipit. ibidem autem occurrit peculiariter vox *bisquini*, qua solus Corippus fortasse usus fuerat. imo, nisi mea me fallit opinio, Mediolani semper fuit Trivultianus Corippi codex. eum enim, ut puto, una cum aliis codicibus a 20viris moderatoribus fabricae templi maioris Mediolani coëmit avus Tuus, clarissime Iohannes Iacobe, marchio nempe Alexander Theodorus Trivultius, de litteris adeo bene meritus, ut testantur plures ex praeclarissimis saeculi superioris scriptoribus, veluti Muratorius, Gorius, Guido Ferrarius aliique, qui vel opera eidem dicaverunt vel de eo mentionem in suis scriptis reliquerunt; nec non libri Mediolani impressi impensis societatis Palatinae, cui fere praeerat quamque aliquando est moderatus. cum in vivis esset Hieronymus patruus Tuus, cui tantum debeo, utpote qui me sub Tuam clientelam esse voluit, narrabat mihi codicem illum ingentem, qui continet epistolas Francisci Philelfi, quo usus est Rosminius in adornanda huius *vita*, sic emptum fuisse una cum aliquot aliis codicibus, qui in archio praedicti templi iacebant. inter hosce autem coniicio fuisse Corippi quoque ms. etenim Quadrius, Zacharias et comes Mazzuchellius illum enumerant inter codices quos praedictus marchio possidebat; quanquam omnes, unus post alium, erraverint in describendo quid ille contineret. non multum ante annum 1752 in potestatem iam laudati marchionis Trivultii transiisse hosce codices constat tum ex Quadrio tum ex Zacharia infra citandis. ille namque mentionem nullam fecerat Ioh. de Bonis tom. 6 ed. a. 1749, sed tantum in additamentis ad eundem tomum editis tomo 7 praedicto a. 1752. alter vero hoc eodem anno mss codices eosdem vocat *novam librorum supellectilem, qua selectissimam bibliothecam suam* idem marchio *auxerat*, cum tamen Mediolani Zachariam exstitisse pateat a festo *pentecostis Christianae* anni 1747 usque *ad kalendas Ianuarias* anni subsequentis; quod colligo ex cap. 7 sui *Excursus litterarii* p. 72, 90, 99, 120 etc.

Quadrius, qui marchionis Trivultii familiaris et ab eius bibliotheca fuit, tomo 7 seu in addendis ad opus inscriptum *Storia e ragione d' ogni poesia* p. 266 et seq. haec reliquit. "Giovanni de Bonis di Arezzo fioriva intorno al fine del tredicesimo secolo. due diversi codici si trovano nella più volte da me

lodata biblioteca Trivulziana de' versi di questo poeta parte Latini e parte Italiani. l' uno è in pergamena, ed in 4; e contiene la *Buccolica*, e tre libri della *Romulea*, che è un poema sopra la fondazione di Roma, e de' varii fatti di que' primi tempi, tutte poesie Latine. l' altro è cartaceo, ed è in foglio; e comprende varie *Elegie*, un poemetto sulla guerra d' Affrica, e sulla vittoria di non so qual Giovanni, medesimamente in versi Latini. dipoi seguono alcuni capitoli in versi Italiani, che hanno per titolo *Victoria virtutum cum vitiis conflictantium, composita a Iohanne de Bonis de Aretio*; e questo poemetto in terza rima volgare è in sette canti diviso." Francisci Antonii autem Zachariae verba haec sunt in *Excursu litterario* c. 16 p. 322: "Instabat quadragesima huius anni 1752. Florentia igitur discessi, ut Mediolanum me conferrem, ubi in S. Fidelis aedibus concionem eram habiturus ex Patris Simonetti domui professorum paucis ab hinc annis praepositi voluntate. atque ut illuc veni, adii statim Emin. Penteobonellum cardinalem amplissimum et Mediolanensem archiepiscopum omni eruditione excultum, qui summa me humanitate complexus longum de litterariis rebus sermonem instituit. ad aedes cl. march. Theodori Alexandri Trivultii postero die adcessi, et novam, qua selectissimam bibliothecam suam auxerat, librorum mss editorumque supellectilem lubens inspexi. inter mss codices *Ioannis de Bonis Aretini* Italica et Latina carmina non uno volumine comprehensa adservat." audiamus et co. Mazzuchellium, qui inter *Scriptores Italiae* (vol. 2 parte 3 Brixiae impressa a. 1762 p. 1665) Iohannem quoque de Bonis recenset hoc articulo. "Giovanni de Bonis Aretino fiorì circa la fine del secolo 13. si dilettò di poesia Latina e volgare, in amendue le quali ha lasciati varj componimenti, cioè la *Buccolica*, e la *Romulea* in tre libri ne' quali tratta della fondazione di Roma e di varj fatti di que' primi tempi, che esistono a penna in un codice in 4 della libreria del chiariss. Sig. March. Teodoro Alessandro Trivulzi in Milano, presso al quale un altro codice in foglio si conversa, in cui mss si trovano varie elegie Latine, un poemetto sulla guerra d' Affrica, e sulla vittoria di un certo Giovanni pure in Latino, e un poemetto in terza rima volgare diviso in sette canti intitolato: *Victoria virtutum cum vitiis conflictantium*, tutti componimenti del nostro au-

tore." in subiecta autem nota Mazzuchellius citat Quadrium et Zachariam.

Constat sane hallucinatos esse hosce scriptores in describendo codice qui continet Corippi poëma deperditum, etsi eum priores duo inspexerunt et tractaverunt. praeterea erravit Quadrius et post eum Mazzuchellius in assignanda aetate cum codicis eiusdem tum Iohannis de Bonis: etenim ex iis quae infra de eo referam, perspicue patebit vixisse hunc saeculo exeunte 14, non autem 13. codex vero incipit statim ab eodem poëmate quod nunc editur, absque ullo auctoris nomine vel titulo. ego autem, cum iussus fuerim texere raptim brevem aliquem indicem codicum Trivultianorum, incidi in eundem; et cum aliquot versus perlegissem, statim suspicatus sum eos non sapere saeculum 13 nec 14. ex illo autem versu 15 libri 1,

Iustiniane, tuis, princeps, assurge triumphis,

coniectavi ad Iustiniani Magni imperatoris aetatem poëma illud esse retrahendum. paulo post in exteriori parte tabulae, quae tegit et claudit codicem ipsum, infixam perspexi clavis ferreis parvam schedulam membranaceam, in qua bene lota et extersa tandem legere potui *Crestonius* vel *Cresconius.* tunc patuit mihi quid esset poëma, quod Quadrius aliique Iohanni de Bonis inconsulto tribuerant, et quisnam esset eius verus auctor, cui restituendum extemplo nullus dubitavi. mirandum sane est praecipue Quadrium, ut ita dicam, dormitavisse, cum manibus hunc codicem versaret. is enim tomo 6 citati operis sui iam disseruerat de nostro Corippo atque de Cresconio, putans eos duos esse poëtas, unumque sub Iustino 2 imperatore, alterum sub Leontio floruisse; illum grammaticum fuisse, hunc episcopum, utrumque Africanum. sed ipsius verba audiamus. p. 663 et seq. haec habet. "Flavio Cresconio Corippo, gramatico, viveva a' tempi di Giustino 2 imperadore. scrisse in esametri quattro libri in lode del predetto Giustino, de' quali più edizioni si sono fatte etc. scrisse pure delle guerre di Giustino contra Vandali nell' Affrica, il che lo stesso Corippo nella prefazione del predetto libro accenna. ma quest' opera è perduta. il Cuspiniano appo il Mineo rammenta pure di questo poeta la *Giovannide,* e credesi star manoscritta nel monistero Cassinese." quis autem fuerit ille *Mineo,* cuius hic est mentio, nusquam reperi; unde

suspicatus fueram mendum esse typographicum pro *Mireo*. iste quippe in suo *Auctario de scriptoribus ecclesiasticis* parte altera c. 36 p. 181 iuxta editionem Ioh. Alb. Fabricii in *Bibliotheca ecclesiastica Hamburgi* 1718 de Cuspiniano agit, sed nihil de *Iohannide* dicit. quare puto Quadrium *Mireo* scripsisse pro *Fabricio;* qui re vera in eundem incidit errorem, ut iam monui. pagina autem 127 citati tomi 6 haec quoque retulerat Quadrius. "Cresconio, vescovo Affricano, fioriva circa gli anni del Signore 696, nel tempo che l' Affrica fu da' Saraceni ridotta in servitù. scrisse in un poema le guerre e le vittorie, che Giovanni Desiderio, patrizio, mandato da Leonzio imperadore in Affrica, riportò contra i predetti barbari, come veder si può appresso il Mabillon, nella prima parte del Museo Italico. ma il detto poema è perito." observandum est Mabillonium in nota codicis Vallicellani, iam supra relata ex Baronio et Fogginio, legisse post *Iohannis* nomen etiam *Des.*, ex quo coniecit Quadrius hunc *Iohannem* altero nomine etiam *Desiderium* vocatum fuisse. ex recitatis Quadrii verbis patet ipsum quatuor poëmata fecisse ex uno, et tres auctores ex unico eodemque Corippo nostro. Leyserus quoque cit. *Hist.* p. 178 et seq. distinguit poëma *Iohannidos* ab altero, cui titulum fecit *De bellis Iustini in Africa contra Vandalos*, nec non utrumque poëma tribuit Corippo, huncque rursus distinguit a Cresconio, quem dicit p. 198 episcopum Africanum circa annum 690, et auctorem facit alius poëmatis, in quo *descripsit bella et victorias; quas Iohannes patricius a Leontio imperatore in Africam missus de Saracenis reportavit.* eandem quoque distinctionem Corippi a Cresconio secutus est tandem Ioh. Lamius in *Chronologia virorum eruditione praestantium* p. 193 et 195: utrumque enim ibi poëtam dicit.

Redeo nunc ad Trivultianum codicem. is post *Iohannidos* libros illis in chartis adiectis, ut supra monui, continet acephalum fragmentum poëmatii Italici absque auctoris nomine, ex 78 ternariis, vulgo *terzetti* vel *terzine*, quorum prior est:

son sostegno del mondo tutto quanto,
perchè fan figli, et fami compagnia
ubedienti al marito, e suo vanto.

postremus autem ex hisce ternariis est:

o se cadesse, faria un gran salto.
d' alcun dico, per none stare indarno.
agia perdono, si commetto difalto.

cum vero iis in versibus mentio fiat de Urbano 6, patet eos spectare ad saeculum 14, et auctorem habere I. L. de Bonis ex infra dicendis. quinimo pertinent fortasse iidem versus ad poëma subsequens in ipso codice, quod hunc titulum prae se fert: *Victoria virtutum con vitiis* (id est *cum vitiis*) *conflictantium edita a Iohanne L. de Bonis de Aretio. incepit primus cantus:*

unico padre eterno bino et trino,
che festi ei cieli la terra il mar l' abisso
l' angelo et l' uomo, et tucto così fino etc.

septem sunt cantus vel capitula, nec videtur opus perfectum. postremi versus septimi huiusmodi capituli sunt isti:

alor si divotaro l' inferne curie
et Minosse abandona in grande ofitio,
et non punisce chi fa più iniurie.

cantu secundo memorantur inter grammaticos quidam Gorus de Aretio, inter dialecticos Ocham, quem constat obiisse a. 1346, inter oratores quidam Faminus, mihi prorsus ignotus, inter iurisperitos Azo, Gofredus (fortasse *Odofredus*) et Acursius, qui floruerunt Bononiae saeculo 14; cantu quarto inter poëtas est quidam Gercooheo (qui in margine vocatur *Geri Aretino*, et videtur idem esse Gorus supra memoratus inter grammaticos), Petrarcha, Dantes Alegierius, ut sic ibi vocatur, et Fatius, procul dubio ille ex Ubertis auctor poëmatis cui titulus *Dittamondo*. pari modo puto Gorum Aretinum illum esse, de quo exstat tomo 15 *Scriptorum rerum Italicarum* p. 813 Chronicon Aretinum ab a. 1310 ad 1384. Italico carmine vulgo *terza rima* descriptum, ubi auctor vocatur *Ser Gorello d' Arezzo.* cantu 5 tandem legitur hic versus:

chi polvere di bombarde non fun viste.

ex quibus omnibus simul sumptis elucet vixisse auctorem post medium saeculum 14. hoc itidem constat ex eius operibus quae continent alii sui codices, de quibus infra verba faciam. elegias tandem, quarum meminit Quadrius, hoc in codice non reperi, sed eorum loco Eclogas 12, quae nomen auctoris nullum prae se ferunt, nec tamen Iohanni de Bonis sunt tribuendae, sed mani-

festo patet non alias esse quam ipsas Petrarchae *Eclogas*, quod evidens est vel ex solo primo versu Eclogae primae:

Monice, tranquillo, solus tibi conditus antro.

in postrema autem codicis pagina sunt 36 priores versus libri I poëmatis ipsius Petrarchae, quod *Africa* inscribitur.

Sed antequam progrediar ad recensenda cetera poëmatia istius de Bonis, observandum est huic poëtae praeter *Iohannis* nomen, quo uno eum appellant Quadrius aliique Quadrium secuti, aliud insuper fuisse nomen, unica littera *L* designatum. Utrum vero *Leonem* vel *Leonardum* an *Ludovicum* indicet L, adhuc mihi est incompertum, cum nusquam invenerim illud nomen scriptum, sed ubique tantum unica illa littera praenotatum, semperque post *Iohannis* nomen vel integre vel compendiarie scriptum subsequitur illud *L*, quod nescio qua de causa id Quadrius praeterierit. attamen *Ludovicum* fuisse eius nomen puto, utpote quod crebrius illo saeculo usurpatum occurrat.

Nec duo tantum codices musei Trivultii, sed quattuor continent carmina Ioh. L. de Bonis, omnia, si superis placet, tam imperite, tam barbare, sive quae Latine sive quae Italice scripsit, composita, ut nemini mirum propterea videri debeat quod tam male exscripserit etiam Corippi poëma. Iubet tamen etiam de reliquis tribus codicibus (cum satis iam descripsisse mihi videar priorem illum in quo est nostri Corippi poëma) addere nonnulla, ut magis ac magis appareat quidnam hominis fuerit, et qua aetate, quo loco vixerit poëta hic ex Aretio, cuius, ut vidimus, tot nostri scriptores meminerunt, unaque constet quam perperam illum huius inediti poëmatis fecerint auctorem, cuius tantum fuit exscriptor, et quod magis dolet, exscriptor si quis alius imperitissimus. ab illo incipiam codice quem Quadrius tractavit, dixitque esse membranaceum in quarto, ut aiunt, quemque ego in adornando brevi indiculo mss codicum Trivultianorum, quorum numerus ferme ad 2000 ascendit, signavi A 273. is continet priori in loco eclogas tres, quarum prima dicitur *Ianua*. versus autem 100 ibidem est huiusmodi:

Antonius Ianuae dux inclitus urbis Adurnus.

cum vero hic dux Ianuensium fuerit primum a. 1383, et postmodum tribus aliis vicibus evectus ad eandem supremam dignitatem patriae suae usque ad annum 1396, intra illud temporis

spatium eclogam eandem scriptam esse oportet. in secunda ecloga agit auctor de patria sua Aretio; et in tertia Urbanus VI papa, Iohanna regina Neapolis aliique principes memorantur, qui saeculo 14 vixerunt. subinde occurrit poëma heroico, paene dixeram macaronico, carmine compositum, cui titulus est *Romulea*, cuiusque meminit Quadrius et Mazzuchellius post eum. constat idem hoc in ms tribus tantum libris; sed index praemissus alii codici, de quo infra, me docet 12 libris comprehensum fuisse id poëma, in quo ab urbe Roma condita usque ad Augusti apotheosin Romanam historiam perstrinxerat auctor. praestat interim ex ipso codice recitare titulum et priores versus: *In Nomine Domini Amen. incipit primus liber Romulee I. L. de B. de Ar. in quo tractatur de primevo ortu urbis a Romulo et de ipso Romulo. et regibus et de morte lucretie. et principio consulatus.*

Celestis vates gaudet quoque Mantua proles.
Cordubaque, hucusque narrarunt prelia ducem.
iam nece preventi tacuerunt lira sonora.
ast ego ne sileant tantorum gesta virorum
residuum Rome presumpsi canere lauros etc.

vides postremam ultimi huius versus partem desumptam ex praefationis Corippi versu primo, qui desinit: *praesumpsi dicere lauros*. plures alios Corippi versus suos fecit de Bonis etiam in hoc poëmate. secundum librum claudit triumphus post secundum bellum Punicum, et liber tertius parum ultra progreditur in historia Romana, estque imperfectus, cum in alio codice sit idem liber prolixior, cui alii succedunt quoque libri. in hoc quoque codice membranaceo rursus repetiti leguntur plures supradicti secundi libri Romuleae versus paululum immutati. deinde sunt duo disticha moralia et epitaphium Odofredi celebris iurisperiti. postremum autem carmen, quod codex idem continet, est quoddam Panegyricum in laudem Galeatii Vicecomitis, quod incipit:

altitonans genitor sub alto culmine celi.

sub eius finem loquitur poëta de marmoreo templo maiore, quod tunc magno studio ac vehementi ardore populus Mediolanensis excitabat, quod contigit circa annum 1386. nec silentio premam membranas, ex quibus constat hic codex (sic sunt et aliae cum chartis immixtae in aliis codicibus infra recensendis) rescriptas

esse fere omnes, et ad alios prius pertinuisse codices: sed nihil novi in iisdem inveni, vel quod publicam mereatur lucem. sunt eaedem omnes decerptae ex codicibus theologicis vel ad iurisprudentiam spectantibus, quorum scriptura pertinet ad saeculum 13.

Alter codex Trivultianus, signatus A 275, est chartaceus in folio cum aliquot membranis interpositis. rursus offendi in hoc codice tres eclogas prioris codicis cum septem aliis, quibus sequens praefigitur titulus: *Incipit primus liber bucolice Iohannis L. de Bonis de Aretio et egloga prima quae dicitur Ianua, ubi describitur et laudes Antoniocti Adurni tunc ducis.* ecloga ibidem secunda dicitur Poësis, et tertia *Parnasus, ubi dicitur de morte p.* (Petrarchae) *et describitur mons parnasus.* ibi v. 38 et seqq. haec leguntur:

felix vernarius placido sic pectore cepit.
venit et huc ille, qui nomine iam titulatus.
est mihi consimilis. etiamque petrarca vocatur.

vide quam non demisse, quam imo magnifice de se sentiat noster hic de Bonis, qui Petrarcham *consimilem* sibi audeat pronuntiare: adeo scilicet nos fallit auctor noster, ut pessimus omnium poëta nihil dubitet esse se aequalem vel optimo omnium poëtae. sed audire est ut se non modo Petrarchae, sed Virgilio etiam et Horatio audeat aequiparare, dum eo se miseriarum redactum pingit ut (quod fatum fuit etiam summorum quorundam vatum) necesse sibi esset esurire, algere, ac sine tecto sine lare certo paene victum ostiatim quaeritare. sed prius alia quaedam velim animadverti, quae ad rem nostram faciunt. *sexta* ecloga *dicitur Mediolanum, ubi describitur et qualiter fit dux et creatur.* cum a. 1395 Galeatius Vicecomes ducis titulum sumpserit, hinc patet quo tempore scripserit poëta noster hanc eclogam. initio octavae, quae *dicitur Ecclesia,* praeclarum, quamvis versibus de more quam qui maxime inficeti, testimonium redditur virtuti Petri de Luxemburgo, qui obiit cardinalis et episcopus Metensis a. 1387, aetatis vero suae 18 tantum, et a. 1517 merito inter Beatos relatus fuit a Leone 10 summo pontifice. priores eclogae versus sunt:

Dulcis amice dei regali stirpe refulgens
de Luzimburgoque alter Petrus beatus.
sorte datum quibus est cum clave revolvere valvas

ad vota en superas celsas atque profanas.
ecclesie sancte pastorum gloria patrum.
vates celse sacer . omni virtute decorus
angelice vite . patriarca simulque profeta
pastorum decus . et celi clarissima lampas.
eximius doctor martir virgoque pudicus
auri contemptor . vilis quoque prodigus heris etc.

eclogas 10 sequuntur epistolae 30 ad reges, ad pontifices, ad caelites, ad universam ecclesiam ut tollatur schisma; in quibus notatu dignae videntur *octava pape*, nempe Bonifacio 9, qui sedit Romae post Urbanum 6 ab anno 1389 usque ad 1404, *duodecima imperatori Cpolitano*, *decimatertia imperatori Bulgarie*, et praecipue *decimaoctava regi Ungarie*, quae incipit:

bisquinis vicibus iam sol varieque vagatur
et non deponunt tantam pestemque nocivam etc.

iam vero, cum illud schisma coeperit a. 1378, apparet hanc epistolam scriptam fuisse a. 1388. hic etiam obiter est notandum vocem *bisquinis* desumpsisse de Bonis ex Corippo, ut monui ad l. 6 v. 370, cuius *Iohannidem* prae oculis habuisse, cum scriberet infelicia sua poëmatia, luce clarius existimo. epistola vero *vigesima secunda*, cum sit data *ad inclitum ducem Mediolani*, referri debet ad annum 1395 ex supradictis. post huiusmodi epistolas praesto sunt plura alia carmina aeque rudia et vilia, quae praetereo, ut veniam ad epistolam absque titulo ad quendam armorum ductorem ducis Mediolani, fortasse Iacobum Vermem, cui se commendans illa de sua inopia bonus homo fatetur quae supra innuebam:

non habet ipse locum, audi mirumque nephandum.
quo ipse locetur, licet mandaverit almus
dux pius pluries teste priore verendo.
non habet lettum . non indumentaque vittum etc.
carus ducum fuit et principum atque baronum
nunc vero laxatus fraudi mundique nocivi
senex . inops . exul . alienaque rura peragrans
est destitutus dominis . patribusque magistris
ni quod sola tua sperat medicina sanari.
sed si illa etas aurea sanctaque rediret.
qua pares sibi simulque ad alta ponantur.

felix cum requie, altaque in sede sederet
quid Tytiro fecit pastor bonus ille menalca?
quid flaco alter divus clarusque mecenas?
patruus . et pater . ducis, divique sereni
Petrarce suo, domino gratoque patrique.
ipse destitutus supplex tua numina poscit.
nec sit ipsa modo spes tanti muneris expers,
detur sibi victus dentur indumenta locusque.
quo cantare possit laudes tuasque ducisque.
militi clarorum militum mea carmina dentur.

porro nonne videtur Tibi et hic non secus ac Martialis magna sui confidentia dicere:

sint Maecenates, deerunt nec, Flacce, Marones.

alia iterum complura omitto poëmatia, quae in codice sequuntur, ne taedio sim lectori: tantum adverto p. 37 praesto esse epistolam quandam sine epigraphe, ex qua eruitur officium aliquod publicum, vile tamen, quo scilicet famem expelleret, demandatum illi fuisse, idque Mediolani exercuisse. en epistolae versus:

ast ego diversa per devia mentis . et usus.
distrahor infelix . mundique in fluttibus erro
hic victus me cura urget . servile subire
offitii pondus . populique intendere rebus
invisis fortuna felix tenerisque sub annis
exsortem patria pepulit, sparsitque per orbem
exul . inops . vagus . alienaque oppida curro.

sed quid quaeris? epicae etiam tubae non semel os admovere ausus est Ioh. noster L. de Bonis. post enim supra commemorata opera quoddam poëma duobus constans libris occurrit, quod cum in laudem Galeatii Vicecomitis Mediolani ducis scripserit, eiusque gesta seu vitam heroico carmine cecinerit seu canere sibi visus fuerit, idcirco illud appellavit (mirare tituli novitatem) *Viscontina,* quod coniicio ex notula, quam auctor scripsit inter utrumque librum hisce verbis concepta: *Explicit primus liber viscontine. incipit secundus de ortu ducis.* parum autem conferre possunt isti libri ad historiam Mediolanensem. sane prior totus versatur in describendo bello contra Florentinos, quod noster ille primus dux suscepit, et peculiariter de congressu armo-

rum ducalium prope Alexandriam sub militum ductore Iacobo a Verme una cum Thadaeo pariter a Verme contra Iohannem Augud et comitem Armeniacensem. alter vero liber vitam describit Galeatii usque ad obitum eius patris. post plures rythmos aliasque huiusmodi, sit verbo venia, quisquilias adsunt tria fragmenta illius poëmatis, quod a nostro de Bonis vocatur *Romulca*. videntur ea spectasse ad librum 5 6 et 12, ut innuo ex indice praefixo codici, ad quem recensendum illico transeo.

Quartus tandem codex qui opera I. L. de Bonis continet, atque a me signatus fuit A 274, est item chartaceus in folio praegrandi. in hoc praemissa fuit *Tabula librorum metricorum Iohannis L. de Bonis de Aretio*, tum eorum qui hic, tum aliorum qui in superioribus codicibus descripti fuerunt, tum eorum qui nusquam reperiuntur; deinde mss redeunt Eclogae 10 codicis mox descripti, et epistolae illae quoque *de tollendo schismate*, sive, ut bonus noster de Bonis scribit, *sismate*, quod in quos inciderit annos saeculi 14, dictum est supra. p. 108 occurrit poëma in memorata *Tabula* praenotatum *liber Aretii in rima qui partitus est in libros C.^or^* (fortasse *quattuor*) *et infernum et paradisum*. constat autem id poëma 55 capitulis. in fronte est rudis delineatio, quae repraesentat carcerem, ex cuius crate ferrea visitur inclusa humana figura. altera huiusmodi pictura prostat p. 115, ubi extra portas urbis ingens turba mulierum et puerorum repraesentata fuit: in eo enim capitulo, quod est 7, narratur confusim expulsos fuisse Aretio pueros ac feminas, cum ibidem dominaretur Carolus vocatus a Dyrrhachio. titulum prae se fert huiusmodi, sed initio corruptum: *Incipit ..... Inferni Aretii Iohannis . l. de bonis de Aretio . conquerente de Karulo de Durazo . et inconstantia et vilitate orbis . primus cantus.* sunt versus ternarii, vulgo *terza rima.* sic autem incipit idem prior *cantus* vel capitulum:

Afannato de piu malinconie
come coloro che sono alle prescioni
ai quali recise son tucte le vie.

hinc facile est coniicere cur carcer pictus fuerit in fronte huius poëmatis. in margine ad ternarium 11 huius primi capituli legitur: *nota quod hic comparationem propriam et profeticam mortem Karuli de durazo qui fuit causa tanti mali.* ex eadem

autem nota eruitur hoc poëma scriptum fuisse saltem a. 1386: eo enim anno idem Carolus rex Neapolis et Hungariae occisus fuit. in genere animadverto plura ad historiam Arretii et totius Italiae in hisce carminibus expiscari posse, quae cum ad rem nostram nihil referant, libenter praetereo. deinde bis occurrit in hoc codice fragmentum libri 1 *Viscontinae*. denique habes rursus etiam Italica carmina, *canzoni*, *terzine* sive *capitoli*, *ballate*, *sonetti*. quae tamen omnia non secus ac Latina merum rus olent. quas Itali appellant *canzoni*, de Bonis vocat *Cantilenas*, ut *Cantilena moralis eiusdem I. L. de Bonis de Aretio de creatione Sexti pape Urbani;* altera *de commendatione Ianuensium*, eorumque ducis Antoniotti Adurni, *liberantium Urbanum sextum carceratum in noceria de christianis* (vel potius *de Paganis*) *per Karulum de durazo;* et bis *cantilena in qua Florentia conqueritur intra se quia questionem fecit cum vipera.* fit in eadem mentio de morte comitis Armeniacensis, quae contigit a. 1391, et de fuga Iohannis Augud. cum autem de prioris morte non bene inter se concordes sint historici, hic obiter proferam quae ibidem de utroque leguntur, nempe:

convocando, il conte
darmignacha gentile famoso sire
che morir volse, innanti che fugire.
Iohanni agud, chen segna, ai garzoni.
et guarda piu alutil calonore.
ne fu caciato fore.
in magiur fretta, che non ari voluto.
ma pur sagio . et astuto.
se parti operando gli speroni.

in alia huiusmodi *cantilena Aquila loquitur vipere congratulando secum quod facta est Ducissa Mediolani.* ex quibus magis ac magis elucet ad quamnam proprie aetatem spectet hic auctor. fere ad calcem codicis est oratio Latina ad ducem Mediolani, ut pacem deneget Florentinis. ea videtur esse eiusdem de Bonis, etsi eius nomen hic absit. claudunt denique codicem 4 priores Eclogae Petrarchae cum commentario incepto tantum ad primam Eclogam, in quo haec leguntur: *Monicus est colluctor . et Silvius . et monos . est dicere solus . acas grece . tristis pro quo intellige fratrem p. qui erat monicus cartusiensis . pro Silvio intel-*

lige . petrarcam . quia libenter ut poete consueverunt morabatur in silvis . et locis solitariis etc.

Iamvero ex recensione codicum, qui opera mss Ioh. L. de Bonis continent, facile quisque arguere poterit eum Mediolani degisse atque hic fixisse suum domicilium. in quodam edicto diei 15 Novembris anni 1448, in quo plures recensentur debitores reipublicae Mediolanensis, nominantur etiam *heredes domini Iohannis de Arezio*. ibidem re vera non legitur cognomen *de Bonis*, nec secundum nomen *L*, quod puto fuisse *Ludovicum*, ut iam innui: sed non omnino est improbabile eundem fuisse ac nostrum poëtam Arretinum. ex quo cum vero propius fiat eundem Mediolani ad mortem usque substitisse, hinc etiam facile colligimus quomodo ad nostri templi maioris devenerint isti codices. nimirum vel ipse auctor eidem suos libros legavit; vel alii, ad quorum manus pervenerunt ipsi codices, id praestiterunt. nam constat ex Philelfi postremis tabulis, quas noster Saxius publici iuris fecit in *Historia typographico-litteraria Mediolanensi* praemissa ab Argelato *Bibliothecae scriptorum Mediolanensium*, eum reliquisse ecclesiae nostrae maiori proprios libros, inter quos procul dubio fuit codex ille epistolarum, qui, ut iam monui, a curatoribus supradictis ad marchionem Trivultium divenditus fuit. sane penes curatores eosdem exstitit olim bibliotheca, quae Saxii nostri diligentiam effugit, ubi luculenter de Mediolanensibus bibliothecis antiquis tractavit in suo *prodromo de studiis litterariis Mediolanensium ad* mox cit. *Historiam typographico-litterariam* c. 2 col. 7 et seqq. porro Antonius ex marchionibus Salutiarum nosterque archiepiscopus, qui obiit 14 kal. Octobr. anni 1401 iuxta Giulinium in *Continuazione delle memorie di Milano* P. 3 p. 59, eidem fabricae maioris templi suam bibliothecam reliquit. id colligo ex libro expensarum ejusdem fabricae scripto anno 1430 fol. 88, ex quo in meis adversariis pluribus abhinc annis hanc memoriolam retuli: *Die veneris XV. Septembris. Capitulum dominorum ordinariorum ecclesie domine sancte Marie maioris mediolani. Pro eorum remuneratione Annualis Reverendissimi in christo patris quondam domini Antonii de salutiis olim Archiepiscopi Mediolanensis Annuatim fiendi iuxta provisionem superinde factam ut continetur in libro provixionum fo. CCCCLXXXVJ. Cuius occaxione*

prefatus dominus Archiepiscopus. Relinquit Sacristie suprascripte ecclesie libros suos in maxima suma. Qui libri repositi sunt in libraria ipsius fabrice existenti in campo sancto prefate ecclesie. Et numerentur Aluysio de la strata ex ordinariis suprascriptis libras duas soldos octo imperialium lib. IJ. ss. VIIJ. de hac bibliotheca in campo sancto prope templum maius exsistenti aliam memoriam mihi praestitit quidam liber, in quo descriptae fuerant conventiones contractus et aliae huiusmodi adnotationes ad ipsam fabricam pertinentes ab anno 1428 usque ad 1439. ibi fo. 29 legitur quaedam conventio inter magistrum Stephanum Pandinum et negotiorum gestores venerabilis fabricae *pro una fenestra vitrea* ab illo fienda, ubi inter alia pacta est etiam sequens, nempe: *Item pacto ut supra quod dictus Magister Steffanus possit uti camera illa cum fornello et utensilibus illis in ea existentibus que sunt dicte fabrice, que camera sita est in campo sancto ipsius fabrice supra librariam dicte fabrice.* prius tamen in ipso templo maiori exstabat eadem bibliotheca, in qua repositi fuerant, probabiliter statim ac obiit ille noster antistes, codices ab eo relicti; inter quos fortasse enumerabantur etiam mss I. L. de Bonis. equidem id mihi constat ex libro ms cui titulus est: *MCCCC̊ secundo Liber copertus rubro feramentorum cere atque diversorum utensilium spectantium fabrice quamplurimum venerande Immenseque ecclesie virginis gloriose dei genitricis domine maioris Mediolani Anni predicti MCCCC̊IJ incoatus per Teoldum de scaldia eius sumptuose fabrice rationatorem a carta quorum ferramentorum cere et utensilium existit admenistrator caneparius atque gubernator Alegrinus de galarate fabrice prefate ofitialis ut Infra ordinate et latius continetur.* hoc autem in libro fo. 323 haec leguntur: *Magister Arexmolus de sirturi Inzegnerius et Magister a lignamine* etc. *debet dare pro corda una canepi a rodella eidem data ut supra die XXVIIJ. septembris pro opperando ipsam pro oppere cassine alziande in ecclesia predicta ab altare Maius usque ad sallam librarie posite in dicta ecclesia de versus arengum uti continetur* etc. quinimo quondam prae manibus habui librum *pontificalem*, ut vocant, saeculo 14 exaratum, qui nomen prae se ferebat supra dicti antistitis nostri Antonii de Salutiis uti possessoris, quique praeterea hanc aliam notam habebat: *Sum Ecclesie Mediolanensis.* anti-

quitus apud templa fuisse bibliothecas notum est; et ipse Morellius in opere inscripto *Della pubblica libreria di San Marco in Venezia dissertazione storica* c. 1 n. 4 p. 6 narrat usque ad annum 1787 in quadam cella supra idem templum divi Marci adservatos fuisse libros, quos Petrarcha reipublicae Venetae dono dederat, ut initium quoddam bibliothecae ibidem exstaret. praeterea adhuc saeculo 16 bibliothecas in templis saltem aliquo in loco fuisse, mihi videtur colligi posse ex iis quae Hieronymus Garimbertus scripsit in libro cui titulus *De' reggimenti de la città*, impresso Venetiis anno 1544. libro enim quarto fo. 59, ubi de templo et peculiariter de ecclesia cathedrali agit, sic ait: *Inoltre che in esso i più litterati e vechi sacerdoti, diputati al culto divino, habbiano la cura de la libraria e del studio, legendo publicamente a i giovani, così de le sacre lettere, come del modo c' hanno a tenere circa le debite cerimonie.*

Reliquum est ut dicam de argumento nostri poëmatis, deque utilitate ex eodem capienda ad historiam praecipue illustrandam. argumentum poëmatis totum fere habemus ex Procopio duobus in locis expressum, *de bello Vandalico* l. 2 c. 28 p. 305—6 ed. Paris. et *de bello Gotthico* l. 4 c. 17 p. 614—5. Paulus vero diaconus *de gestis Longobardorum* l. 1 c. 25 apud Muratorium *Rer. Italicar. scriptor.* to. 1 p. 420 paucis hisce verbis rem totam perstringit: *Iustinianus ... Mauros ... Africam infestantes eorumque regem Attilam* (al. *Antalam*) *per Iohannem exconsulem* (al. *proconsulem*) *mirabili virtute protrivit.* nostrum hunc Iohannem *exconsulem* fuisse nec constat nec est probabile, cum nusquam sic appellatus sit a Procopio. potius potuit diaconus *proconsulem* eum vocare lato quodam sensu, quia aliquo tempore rexit solus, ut olim proconsules Romani, Africam, cum nempe ad debellandos Mauros ibidem missus fuerit ab imperatore ipso Iustiniano cum potestate ac titulo magistri militiae in Africam universam, ut patet ex Procopii loco mox allato.

Quis autem re vera fuerit hic Iohannes, quem fratrem Pappi tantum dicit Procopius locis paulo supra citatis, nunc est mihi inquirendum, cum de poëmatis heroë agatur. de Pappo vel Pampo, ut scribendum esse censui libro 1 v. 400 *Iohannidos*, quaecunque reperi apud Procopium, in nota ad illum versum

congessi; sed nil aliud ex iis locis constat nisi eum fuisse in Africa prius sub Belisario et postmodum sub Germano ducem, atque ex poëmate nunc a me edito, in Africa obiisse. quinimo ex eodem poëmate l. 7 v. 576 nunc nomen illorum patris accipimus fuisse Evantum, et Iohannis filium Petrum vocatum ex l. 1 v. 197 et seqq., nec non ex v. 305 atque ex l. 6 v. 209 et seq.; hunc vero susceptum a Iohanne ex regia coniuge, quam inde coniectaveram fuisse Iustinam Germani filiam, qui ex fratre nepos exstitit Iustiniani Augusti. id clare mihi videbatur erui posse ex l. 1 v. 202 et seq., ut adnotavi ad illos versus. cum autem attentius postmodum singula Procopii loca perpenderim, in quibus de eodem Iohanne Vitaliani ex sorore nepote agit, deprehendi eodem tempore, quo hic (ut constat ex l. 3 *de bello Gotthico* c. 40 p. 560 et seq., item l. 4 c. 21 et seq. p. 625 et seqq.) nempe anno circiter 550 et seq. Salonis hiemabat, ut in Italiam adventaret cum Narsete ad debellandos Gotthos sub Totila dimicantes, interim Iohannem nostrum (ut patet ex nostro poëmate collato cum iis quae Procopius narrat cit. l. 4 c. 1 et seqq. usque ad 16) in expeditione contra Persas fuisse, ex qua revocatus ab imperatore in Africam missus fuit tanquam magister militiae contra Mauros rebelles, ut narrat idem Procopius c. 12 citati l. 4 p. 614 et *de bello Vandalico* l. 2 c. 28 p. 305. sane ad annum Christi 551 refert Muratorius in Annalibus Italiae, quod de Iohanne nostro Procopius *de bello Gotthico* l. 4 c. 34 p. 637 his verbis narrat: *Sardiniam Totilas vectigalem fecit. quod ubi accepit Iohannes, militiae magister in Africa, classem in Sardiniam cum copiis destinat; quae cum ad urbem Calarim accessissent, castris positis obsidionem meditabantur, impares se oppugnandis moenibus iudicantes eo quod ibi praesidium Gotthi satis validum haberent. re barbari cognita ex urbe erumpunt, subitoque impetu hostibus facile in fugam versis multos conficiunt. caeteri ad naves tum evasere; nec multo post inde profecti cum omni classe pervenerunt Carthaginem, ibique hiemarunt, primo vere bellum iterum in Corsicam et Sardiniam portaturi maiori cum apparatu.* nec amplius fit mentio apud Procopium de Iohanne nostro. eius verba huc retuli, quia ex iis mihi videtur constare magis magisque Iohannem Pappi fratrem distinguendum esse a Iohanne Vitaliani ex sorore nepote, qui tunc

alibi erat, ut supra innuimus. insuper ex mox allatis Procopii verbis patet Iohannem non traiecisse in Sardiniam, ut ait Muratorius loco citato, sed classem tantum illuc misisse contra Gotthos. haec autem etiam indicant bellum contra Mauros iam perfectum fuisse, ut patet quoque ex paulo supra citato c. 17 libri 4 Procopii. hinc etiam statuendum erit bellum hoc Africanum, quod cecinit Corippus noster, accidisse anno circiter 550, non vero anno 547, ut innuit Morcellus, nec multo minus *anno* 8 *imperii Iustiniani*, id est anno dom. 534, ut falso coniecerat Fogginius in praefatione ad suum Corippum p. 19. constat enim ex pluries citato Procopii loco, quem Fogginius ipse etiam attulerat, post revocatum ex Africa Artabanum illuc missum Iohannem. porro, ut ibidem ait Procopius, post caedem Guntarich tyranni, quam accidisse affirmat idem historicus paulo supra anno imperii Iustiniani 19, Christi nempe 545. etiam apud Marcellinum Comitem in *Chronico* satis clare distinguitur Iohannes noster ab altero, cum haec ille adnotaverit: *Ind. X P. C. Basilii anno* 6 (id est Christi 547) *Iohannes magister militum* (nempe ille quem Procopius dicit Vitaliani ex sorore nepos) *ad Italiam properat .... Artabanes .... Guntarich occidit, Iohannem idem Stotzam iuniorem vinctum transmittit ad principem. post aliquantos dies mittitur in Africam Iohannes* (hic est poëmatis nostri heros), *et Artabanes evocatus praesentale accepit magisterium. Ind. XI P. C. Basilii* 7 (Christi 548) *Iohannes magister militum* (ille nempe Vitaliani ex sorore nepos) *in Campaniam praedans Gotthos, nonnullos liberat senatores.* tandem *Ind. XIV P. C. Basilii* 10 (Christi 550) *his temporibus in Africa Mauri per Iohannem patricium* (nostrum rursus heroëm) *domiti sunt.* quae tamen hic narrat Marcellinus sub anno 547, non omnia acciderunt eodem anno: nam ex Procopio vidimus anno 545 Guntarich occisum fuisse ab Artabane, et non prius Iohannem missum fuisse quam Artabanes inde revocatus esset. neque nobis constat eodem anno vel sequenti revocatum Artabanem atque illi suffectum Iohannem statim fuisse. imo ex supra a me allatis videtur potius huius expeditio in Africam contigisse circa annum 24 vel 25 imperii Iustiniani, id est anno 550.

Cum autem res gestas in Africa sub Iustiniano non omnes persecutus sit Procopius, qui fere eas tantum refert quae ad ex-

peditionem contra Vandalos pertinent, facile quisque videbit in hoc poëmate Corippi nos plura reperire, ex quibus magnam historiae Africanae saeculi 6 lacunam explere possimus. quinimo aliqua ex *Iohannide* rescimus ex rebus in Persia eodem saeculo actis, cum ex eadem regione vocatus fuerit Iohannes noster a Iustiniano, ut in Africam iam tertio proficisceretur ad debellandos Mauros rebelles. fuerat is enim primo in Africa sub Belisario a. 533 contra Vandalos, ut patet ex libro 1 nostri poëmatis v. 380, et deinde sub Germano a. 537, ut constat ex Procopio *de bello Vand.* l. 2 c. 17 p. 278. quodsi aliqui mihi in dubium revocent fidem Corippi ex Alemanno viro Graeco ideoque parum aequo erga Latinos, qui in *praefatione ad Historiam arcanam* Procopii illum dixit tam *improvidum Iustiniani adulatorem quam levem poëtam*, eidem opponam non censuram in Alemannum nimis acrem Ioh. Eichelii in *praefatione* ad *'Ανέκδοτα* Procopii edita Helmstadii a. 1654 n. 40, sed potius doctissimi cardinalis Norisii nemini suspectam auctoritatem, qui post illos in *Dissertatione de Synodo* 5 c. 8 § 2 irrefragabile Corippi testimonium non veritus est vocare. hinc non dubito quin ego haud exiguam initurus sim gratiam apud illos omnes qui historiis delectantur. quinimo alter cardinalis, bibliothecae Ambrosianae ille fundator, noster Federicus Borromeus, initio *libri secundi de amore virtutis* p. 82, haec reliquit: *itaque semper commendanda erit eorum industria qui scriptis alienis, postquam interiere, novam redonare vitam student, quive laboris aliquid in eo ponunt ne tempus edax ea absumat.* Africae quoque geographia satis auctior evadet ex nostro poëmate, etiamsi ex corrupto nostro codice corrupta plura esse nomina propria non infitiandum sit. propterea in indice omnia ad geographiam spectantia accurate retuli. mores item ritusque Africanos illius aevi hinc discimus praecipue apud Mauros adhuc idololatras. Punica quoque nomina illorum numinum, ut *Gurzil* pro Iove Ammone et *Mastiman* pro *Iove Taenario*, id est Plutone, hic invenimus. utinam meliorem nactus fuissem codicem! sed id si datum mihi non fuit, non erat cur non communicarem aliis quem inveni, quoad alter et integrior et correctior detegatur.

Quinimo spero fore ut *Iohannis* etiam velut poëma libenti animo excipiatur. auctor enim a Fogginio in pluries citata sua

praefatione p. 8 "dignoscitur elegans, et plane dignus ut illi inter aequales regnum poëticum conferre non sine ratione possis, secundum Barthii iudicium, qui hoc etiam sapienter addidit, Corippi libros *ultimos esse eloquentiae Romanae conatus.*" praeterea pluribus in locis *Adversariorum* suorum Barthius Corippum nostrum praedicat. libro nempe 8 c. 1 col. 358, et apud Fogginium p. 318, ait: *est genius* Corippi *eo aevo non contemnendi scriptoris ob id amandus, quod sui quam simillimus ubique est, more vel natura potius summorum auctorum aemulus;* c. 13 col. 390 *non invenustus poëta Cresconius Corippus* vocatur; et col. 392 ait adesse *multa in Corippo curam quam pro eo aevo feliciorem referentia;* et mox subdit: *Corippus adeo in illa aetate nos delectat, qua regnum poëticum ipsi conferre non sine ratione possis.* libro autem 9 c. 12 col. 436 prosequitur: *non magni nominis aut gloriae cum primis censendae scriptorem esse Cresconium Corippum ipsimet confitemur. suo tamen in genere, certe aevo, regnat, estque ideo magis illius affectanda illustratio, quo obscurior nullo suo merito degit;* et l. 17 c. 23 col. 855 rursus vocatur Corippus *poëta pro aevo suo minime negligendus.* tum l. 34 c. 3 col. 1548 eum dicit *non prorsus poenitendum ultimi aevi poëtam;* et col. 1550 subdit: *et habet sane non pauca Corippus bona et aequalibus suis meliora.* c. 21 col. 1581 ait: *inter eos auctores de quibus bene mereri operae pretium putes, licet primus non sit Cresconius Corippus, locum tamen suum inter postremos tuetur.* sic l. 35 c. 5 col. 1641 nos docet *Corippo ingenium non defuisse;* et l. 46 c. 15 col. 2156 eum *satis doctum poëtam* dicit. libro autem 55 c. 2 col. 2580 rursus de eo ait: *eum auctorem diligentius ideo repectimus, quod ultimus fere sit eorum qui tali argumento legi mereatur diligentius, quoniam caeteri fere ad res magis notas et vulgatiores abierunt, et sane nemo ad huius ingenium accedit. quod posterius facile intelliges, si Venantium Fortunatum Cresconio Corippo componere volueris: tanta enim horum differitas apparebit, ut pro Romano vate Corippum, illum alterum pro Gallo aliquo agnoscere non negaveris, etsi eodem tempore ambo scripserint.* proinde paulo post subiicit col. 2585: *utinam scriptum aliquem librum* Corippi *indipisci liceret! sunt aut fuerunt utique etiam in Germania nostra exemplaria eiusdem Iohannidos, utpote quam aliquot ve-*

sibus productis citat Iohannes Cuspinianus in Vitis Caesarum ex Viennensi Austria bibliotheca, si coniectura non decipimur; quam si cui docto et cordato viro illic vel alibi indipisci describendam contingeret, nae ille omnem posteritatem beneficio demereretur. id ut faciat cuicunque copia dabitur, idque quam maturrime poterit (non enim dubito etiamnum exstare eos codices), convicio nos eum poscimus et per Musarum omni aevo sacra mysteria obsecramus. nos quidem non pigeret, rebus omnibus sepositis, libro in manus sumto utili nos commentario accingere; ne in tali aliquo sibi laborandum censeat, qui fortunam tam aliquando habiturus est propitiam. Barthii vota fuerunt quoque Daumii, Leyseri, Pogginii, nec non aliorum. Daumius namque in *epistola* supra citata *ad Heinsium* scribebat anno 1672: *utinam aliquis Iohanneida Corippi, quae in bibliotheca Budensi fuit, tenebris erueret!* Polycarpus Leyserus in *praefatione* ad suam *Historiam poëtarum et poëmatum medii aevi*, ubi *Conspectum corporis poëtarum Latinorum medii aevi*, quod edere sibi mens erat, exposuit, prope finem exclamat: *utinam et haberi posset Corippi Iohannis.* Fogginius denique in pluries citata *praefatione* p. IX haec profert: *iamdiu huius etiam poëmatii editionem in votis habet respublica litteraria, neque elapsam eius spem mihi auguror ex eo quod mihi certo constat in pluribus olim codicibus descriptum fuisse.* paulo infra p. X de codice Casinensi addit: *utinam vero etiam nunc superesset, aut quo asportatus fuerit innotesceret! omnem profecto adhibuissem curam ne amplius desideraretur.* nec alii plures desunt qui Corippum laudaverunt. Olaus quippe Borrichius *Dissert. 2 de poëtis Latinis* p. 82 illum vocat *poëtam non ignobilem;* Christoph. Cellarius in *Prolegomenis* ad *Curas posteriores de barbarismis et idiotismis sermonis Latini* edit. Ienensis anni 1709 p. 47 et seq. inter *ferreae aetatis scriptores nequaquam barbaros aut contemnendos Corippum* quoque recenset IFNoltenius in *Lexico Latinae linguae antibarbaro* edito Helmstadii 1720 p. 971 dicit *Corippum grammaticum Africanum nec invenustum poëtam;* IPDe Ludwig in *Vita Iustiniani M. atque Theodorae Augustorum nec non Triboniani* Halae Salicae edita a. 1731 p. 683 not. 1182 exclamat: *utinam Corippus Africanus poëta esset in plurium manibus;* et Corn. Valer. Vonck in *Animadversionibus* suis editis a. 1744 et

a. 1777 recusis a Fogginio in suo Corippo aiebat: *est sane Corippus Africanus, qui sub Iustino secundo floruit, excellentis spiritus poëta et supra aetatem doctus.* in *Lexico* etiam *totius Latinitatis consilio et cura Iacobi Facciolati, opera et studio Aegidii Forcellini lucubrato* to. 1 p. 619 verbo *Corippus* legitur: *Fl. Cresconius Corippus, Africanus, grammaticus et poëta, vixit saeculo Christi 6 sub Iustino iuniore, de cuius laudibus scripsit heroico carmine libros quattuor, qui exstant, et Panegyricum, cuius fragmentum superest, et de bellis Libycis, quae interciderunt. stilus, ut grammatici hominis et Africani, satis nitidus et lene fluens, et ut verbo dicamus, suo saeculo haud paulo cultior.* novissime vero Fogginius a. 1777 p. VIII et seq. suae *praefationis* ad Corippum haec de eodem reliquit: *et sane manifesto se prodit* Corippus *in lectione librorum Virgilii apprime versatum et gentilis sui poëtae Claudiani imitatorem, cuius sublimes volatus, etsi non aequis semper pennis, aemulari studet. praestant hanc mihi censuram eius carmina, quae prae manibus sunt, et quae senio iam fessus, ut ipse loquitur, scripsit. utrum fervidus iuventa aliquid amplius potuerit, tunc constare poterit, si quando in apricum aetas proferat poëmation quo* Libycas gentes *et* Syrtica bella *complexus iam fuerat, et cuius* ipse *meminit in praefatione ad Iustinum.* post tot virorum eruditorum iudicia, quae in non levem commendationem poëtae nostri recidunt, nihili facienda erit nimis severa atque iniusta censura, cuius nota Adrianus Bailletus eum inussit in celebri opere, falso inscripto *Jugemens des savans sur les principaux ouvrages des auteurs.* ibidem nempe t. 3 edit. Amstelodam. anni 1725 p. 302 haec de Corippo leguntur. *L'idée que les critiques nous donnent de cet homme, est celle d'un grand flatteur et d'un petit poëte. tout ce qu'on dit de plus à son sujet, se peut rapporter à quelqu'une de ces deux méchantes qualités. la premiere rend assés croyable tout ce qu'on a publié de sa légèreté, de sa vanité, de sa passion aveugle, et de son indiscrétion dans la distribution du blâme et des louanges. la seconde n'a pas besoin d'autres preuves que celles que nous en donnent ses méchants vers, sa dureté, son obscurité, sa prosodie vicieuse et sa mauvaise Latinité.* unusquisque autem videt hunc auctorem secutum esse iudicium quod Alemannus protulerat de nostro Corippo, quin eum citaret vel

ullum alium. sed ignorantia audaciaque Bailleti satis detecta fuit a Menagio in opere inscripto *Antibaillet*, in quo falsa eius iudicia refutantur. ibidem enim (t. 7 edit. pariter Amstelodam. anni 1725 p. 22 parte 1 n. 20) ait Menagius: *Mr Baillet, comme je l'ai déja remarqué, est un copiste de copiste;* p. 76 n. 67: *comme je l'ai déja remarqué plusieurs fois, Mr Baillet n'a point lû les originaux;* p. 48 n. 41: *comme je l'ai déja remarqué plusieurs fois, Mr Baillet ne puise pas dans les sources;* p. 9 n. 5: *Mr Baillet qui fait profession de parler de tous les auteurs Grecs et Latins, sait peu de Grec, et il ne sait guère d'avantage de Latin;* et p. 106 n. 85: *Mr Baillet a écrit cinq volumes des poëtes. il ignore les finesses des langues dans lesquelles ont écrit la pluspart de ces poëtes. il n'y a que ceux qui font des vers, ou qui en ont fait, qui puissent connoître toutes les beautez et tous les défauts de la poësie. c'est ce qu'a été très-véritablement remarqué par St. Jerôme en son Epitre* 26: "*felices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices judicarent. poëtam non potest nosse nisi qui versum potest struere*" .... *Mr Baillet n'ayant donc jamais fait de vers, n'est pas capable de juger de vers. et il en juge aussi très-mal. mais n'ayant jamais fait de vers, il a cet avantage sur ceux qui en ont fait, qu'il n'y a point de représaille sur lui.* sed de hoc satis. potius alia sunt mihi hoc loci animadvertenda, nempe ex eodem poëmate nonnulla expiscari posse quae ad auctorem suum pertinent. etenim nunc novimus non Iohanni, ut innuebat Fogginius p. 19, nuncupatos esse libros *de bellis Libycis*, sed *ad proceres Carthaginienses*, ut coniicio ex elegia praemissa poëmati, in qua v. 1 ait Corippus:

victoris, proceres, praesumpsi dicere lauros.

item ibidem v. 35 et seq. legitur:

gaudeat in multis sic se Carthago triumphis.
sit mihi rite favor; sit, rogo, vester amor.

hinc etiam videtur in Africa scriptum poëma; atque mox citata elegia nos docet auctorem scripsisse prius, ut Virgilius, *Bucolica*, de quibus nihil adhuc compertum fuerat, fortasse quia iamdiu ea deperdita sunt. hoc clare patet ex versu 25 et seqq.

Brevibus nunc demum expono quam rationem secutus sum in meo edendo Corippo. prius mens mihi fuerat in lucem emit-

tere *Iohannidem* ita prorsus ut iacet in codice Trivultiano, eique e regione addere textum a me utcunque correctum, ut plane fecerat Fogginius, qui e regione editionis Michaëlis Ruizii Assagrii suam posuit. sed tam foede fuit descriptum et corrupte in nostro codice poëma *Iohannidos*, ut id visum esset vere monstrum. idcirco aliquot litterati viri, quos consului, inter quos Tu quoque fuisti, cl. Iohannes Iacobe, me ab ea intentione avocaverunt. hinc ratus sum potius in notis utcunque repraesentare codicem, qualis re vera est cum suis mendis cuiuscunque generis; ne quis in me querimonias faciat, quas Assagrius sustinuit. is enim (aiebat Arevalus in *Prolegomenis* ad *Dracontii Carmina* edita Romae a. 1791 c. 5 n. 45 p. 35) *nonnunquam hanc licentiam sibi arrogavit, ut versus corruptos ex ingenio suo restitueret, quin verba codicis aliis videnda ostenderet.* eandem vero querimoniam protulerat Barthius *Adversar.* l. 8 c. 1 hisce verbis conceptam: *illud tamen notandum, Michaëlem Assagrium impudentiuscule fecisse, quod suam nobis septem integrorum versuum correctionem obtrusit, veteri lectione codicis, quem unum solumque exstare hactenus non ignorabat, dissimulata, cum se eos corruptissimos invenisse fateatur.* spero fore ut, ubicunque ego male usus sum coniecturis in corrigendo codice, alii felicius id praestare possint, quin codicem ipsum videant, inspiciendo tantum *notas,* quas ad poëmatis calcem dedi. quod de carminibus ab Assagrio editis id nullus facere potest, quin bibliothecam Toletanam adeat, ubi, teste Arevalo loco mox citato post editores Matritenses *Patrum Toletanorum,* adhuc asservatur codex quo usus fuerat Assagrius. fateor, et pluries in *notis* fassus sum, me nequivisse sanare omnia ulcera quae inveni in codice Trivultiano, et plura adhuc reliquisse iis qui secundam editionem suscipient, unde criticen suam exerceant. nam quod olim aiebat Gifanius de omnibus antiquorum scriptis quae ad nos pervenerunt, id praesertim dicendum esse reor de hoc unico corruptissimo codice Corippi. *ex tot,* sic ille in *Apologia pro poëtis Latinis* addita suis *Observationibus in linguam Latinam* Francof. 1624 p. 458, *ex tot optimorum librorum milibus paucissimi ad nos, iique tam mendosi ac laceri pervenerunt, ut plus laboris subiturus sit qui illos expurgare velit, quam ipsi forte olim auctores. nullum enim vere antiquorum scriptum ad nos evasit,*

cui vel plurima non desint, vel quae supersunt, ita sint immutata ut sine Oedipo coniectore intelligi non valeant. quorum utrum sit magis dolendum, vix quisquam dignoscere queat.

Cum autem hic de *notis* meis sermo inciderit, vereor ne eas eruditi viri inveniant plus quam par erat locis similibus praecipue ex Virgilio desumptis oneratas. sed cum viderim Corippum imitatorem Virgilii Lucani et Claudiani fuisse, omnes locutiones, ne dicam omnia fere verba *Iohannidos* cum iis auctoribus contuli, ut securius incederem in corrigendo purgandoque textu quem prae manibus habebam. hinc factum est ut tam grandem messem collegerim inque *notas* meas referrem. plura re vera reieci, quae inutilia subinde mihi visa sunt: sed non potui me continere quin alia plura retinerem, ne totum laborem meum incassum abire viderem. inter *notas* criticas adiicienda esse censui etiam plura quae ad historiam praecipue illustrandam, et ad faciliorem eorum intelligentiam quae in poëmate leguntur, conferre posse putavi, ne lector opus haberet consulere varios libros, quos ad manus omnium ferme non sunt. idcirco plerumque auctorum, quos citare fortasse erat satius, integra loca retuli. praeter menda textus, quibus scatet codex, etiam omnes glossas et annotatiunculas, quas in illius margine reperi, accurate in *notis* meis exhibui, ne quid desideretur ab iis qui ingenium suum exercere voluerint in idem opus et in novam hanc messem post me falcem mittere. eadem plane ratio me movit ut etiam typis committerem, quaecunque inveni in tribus distinctis schedis repertis in codice Trivultiano. ex scripturae enim ductibus existimo eas exaratas fuisse ab eodem codicis exscriptore, quem fuisse Iohannem Ludovicum de Bonis, ut supra innui, dubitare nequeo. *periocharum* titulum illis imposui, quia aliquo modo respondent illis *periochis*, quas invenit et edidit Assagrius in suo Corippo. nostrae autem sunt plane rudiores, et idcirco non ante opus, ut fecit ille, sed in calce libri reiiciendas duxi, cum religio mihi fuerit eas omnino omittere: nam in iisdem etiam aliquot sunt verba, quae ad *Iohannidos* poëma spectant, quaeque alteram aliquando lectionem praebent. ceterum animadverto me servavisse codicis orthographiam, ubicumque eam tueri potui auctoritate grammaticorum primi nominis.

Ut librorum collectores in bibliothecis pone editionem postremam aliorum carminum nostri Corippi etiam hoc opus collocare possint, eadem forma tum, ut aiunt in quarto tum in folio imprimendum curavi. quamobrem huic titulum feci *Mantissa ad appendicem Corporis Byzantinae historiae Romanam*, illi vero *Fl. Cresconii Corippi operum tomus alter* *).

Sed tempus est, ut finem imponam praefationi, cuius longitudine, plus quam par erat, Te, cl. Vir, fortasse detinui; et ut Tibi me nec non labores meos commendatos velim.

---

*) Digreditur hinc Mazzucchellius (a p. LV ad LXXII), ut gemmam describat antea ineditam, qua libri sui frontem ornavit. ea gemma cum a Corippo aliena esse videretur (Gordianum enim patrem refert), iam non potuit non omitti. I. B.

MICHAELIS RUIZII
ASSAGRII CELTIBERI
DE LAUDIBUS IUSTINI AUGUSTI MINORIS
PRAEFATIO.

Ea librarii fuit, candidissime lector, vel negligentia vel ignorantia in describendo Corippo, nisi iam ex antiquiori exemplari identidem depravato imitationem fecerit, ut in ms nostro aliquot carmina omissa perversave fuerint, non pauca mutila, pleraque depravatissime legantur. quibus malis etsi a nobis summa cura et labore desudatum est ut salutare aliquod remedium inveniremus, fieri id quidem multis in locis minime potuit. mendae itaque nullius difficultatis et periculi, partim ex ipsa carminum orationisve structura, partim ex sententiae conformatae ratione, facile emendari potuerunt; aut saltem ad marginem ex coniectura emendatae scrupulum a nobis iniectum lectori significarunt. quae vero mala nullum aut non sine maxima difficultate remedium sibi postulare videbantur, ea nos omnino intacta reliquimus, alienam potius circa ipsa curationem requirentes, quam ut, ubi salutis remedium vix ullum aut dubium est, nostram temere, ut plerique arroganter simul et impudenter id faciunt, nobis plus nimio confidentes adhiberemus. placuit itaque in gratiam omnium, maxime vero eorum hominum qui minutissima quaeque in antiquis scriptoribus ad superstitionem usque rimantur, vitiata Corippi loca aut misere confracta, sed quibus a nobis curatio aliqua adhibita est, ad finem ipsius operis cum nostra sententia emendationeve reiicere; periculosissima vero

non alio modo intra ipsum Corippi contextum repraesentare quam ut plane in nostro unico ms exemplari leguntur. quodsi quandoque, iuvantibus bene superis, exemplar alicubi alterum reperiretur, non dubitamus quin inde Corippi editio tum integra tum emendatior multo in lucem publicam dari posset: sed cum hactenus in universa Europa ne de solo quidem nomine Corippus cognitus ulli antiquariorum hominum fuerit, vix unquam, aut nulla potius spes ipsum integrum, nedum emendatissimum, inveniendi nobis effulgere potest.

THOMAE DEMPSTERI A MURESK IC.

PRAEFATIO.

NATALIBUS CLARISSIMO ADOLESCENTI D. GASPAR DE LA TUILLERIE

Thomas Dempsterus a Muresk Scotus I. ST. P.

Multa sunt, Nobilissime Iuvenis, quae citra solem lucent. lampyrides, quas Tullius nitedulas vocat, in tenebris igniculi videntur: at ubi purior dies illuxit, decedit fulgor, et ascititium fucatumque nitorem veri luminis perfectio discutit. ita haec qualiacunque in Corippum, dum meliora compareant, petentibus amicis emittere decrevi, utinam meliori eruditionis solidae face brevi obruenda: nam *ut Polygnotus aut Aglaophon, delineavi tantum difficilia* (Plin. 35 9). Parrhasii sunt aut Apelles, a quibus summa manus sperari debeat. errores detexi aetatis operarumque inscitias, veritatis vix umbram consecutus; quod cur mireris? cum a triginta retro annis nemo luculento et dignissimo lucubrationibus poëtae manum admovere in tot doctis sit ausus. primus Michaël Ruizius Assagrius blattis tineisque depugnantem e latebris et situ extraxit, et lacunis foede interpolatum, corruptum, iniuria vetustatis arrosum sordibusque squallentem in lucem dedit; neque ex illo quisquam in Europa, quod sciam, ullam aliam membranam vidit, ut plane pro afflicto ac pene conclamato in fano Aesculapii sit pernoctandum, quo tandem sanitati restituto non unus deberetur gallus, non

unum sacro parieti anathema, *non triginta praemia, ut tyrannicidae olim Thrasybulo* (Quintil. 3 6), verum, ut ipse ait,

aeternam famam laudemque et nomen habebunt,

quibus tantum felicitatis seu sors seu industria dederit (Corippus l. 1 v. 88). interea tu meas curas boni consule, conceptas, ut nosti, et expressas una dierum hebdomade, in privata domestici studii umbra, quas volui *Ciminium saltum transmittere* (Liv. 9 36) *etiam sine criticorum senatus consulto*, et in apertos Famae campos descendere, tanquam exploratrices aliarum, quas habeo in eadem castra brevi educendas. exigua haec esse scio, sed rudes meo modulo metior, nec mihi propositum eruditis quicquam scribere, quorum vocem audire aveo, sed inventutem poëtices et politioris literaturae studiosam promovere; quo ut nihil aliud profecerim, certe *habes arenam nostri studii, ubi tui exerceas palaestram ingenii* (Fulgent. praefat. in l. 2 Mythol.). tuo haec inscripta nomini, quo sponte properantem hortarer ut metam pertingas et instar hieronicae in beata iurisprudentiae arce requiescas, avi patrisque inhaerens vestigiis (ne ulteriorem familiae tuae claritudinem tibi ostendam), quem utrumque magnae res actae, solida virtus ac principum favor erigit, illum etiam scriptorum aeternitas commendat. ego vero, ut verba Ausonii (praefat. ad Epiced. in patrem) usurpem, *non ut laudes exigo, sed ut ames postulo.* vale. Lutetiae prid. kal. Quintiles 1610.

DE CORIPPO CONIECTURA NON OBSCURA EX SCRIPTIS IPSIUS.

Explorata de Corippo tradere velle, in tam alto antiquitatis silentio, non minus difficile et arduum quam frivolum et non profuturum: *quod qui tentant oportet necessaria deserant, dum speciosa sectantur* (Sen. l. 9 controv. praefat.); idemque esse iudico atque de nutrice Hecubae, de Sirenum nominibus, de ordine Iliados et Odysseae cum Appione altercari, cum ante triginta annos nec huius nec alterius quidem Corippi nomen unquam in Europa lectum auditum, quod sciam. epigraphe igitur praefert nomen *Grammatici*, quo olim significabant non pulvere scholastico sordidos aut *syllabarum minutias aucupantes*, sed

illustres viros, doctos atque eruditionis generè excellentes, ut est apud Ausonium; ut recte ab Aurelio Cassiodoro dicatur *grammaticorum schola gloriosa mater facundiae.* sequitur deinde in titulo *Africani*, quod et ipse fateri videtur, dum nomine Africae agit gratias Anastasio quaestori ob fidelem Africanis navatam operam v. 37. senex hoc opus scripsit: nam in Paneg. Anastasii 48:

fessae miserere senectae,

et in Praefatione 37:

senio dextram pie porrige fesso.

minus locupletem ei fuisse rem familiarem suspicor ex iis quae lego in Praefatione v. 41. nescio an ex lite: nam in Paneg. Anast. 44:

hi sacri monstrant apices. lege, summe magister,
et causam defende meam.

officium certe aut in aula Palatina aut in provincia videtur gessisse; sed quale id sit, non exprimit, Paneg. Anast. 47:

quaestor Anastasi, sub cuius nomine gesto
principis officium.

descripsit res a Iustiniano Augusto in Africa gestas ductu Belisarii: sic enim Praefat. 35:

quid Libycas gentes et Syrtica praelia dicam
iam libris completa meis?

dedicavit hoc opus Sophiae Augustae Iustini Minoris uxori: nam haec apud eum lego 3 147:

diva, Augusta favens, sanctum et venerabile nomen,
immortale bonum, nostrae sapientia linguae,
auspiciis haec sacro tuis. tua vota canentem
respice, et oranti clemens solatia praebe.

scriptum nihilo minus rogatu Anastasii non obscure insinuat 1 15.

LECTORI MEO S.

Non me latet culpaturum te forsitan suppletas a me lacunas. at primum par utrique nostrum votum esse suspicor, restitutum pristino cultui Corippum aliquando videre, quod cum fieri non possit per me, quid vetat ingenio et probabili coniectura id tentari? reprehensum hoc olim, inquies, in grammaticis nonnul-

lis, qui temere Virgilianae purpurae burrum suum admiscere sunt ausi. at ego non conatus sed inscitiam taxatam contendo; et ne omnes prosequar ineptias, quale illud prodigiosae additionis nugamentum? dixit Maro (3 339) in persona Andromaches ad Aeneam:

quid puer Ascanius? superatne et vescitur aura?
quem tibi iam Troia.

sciolus quidam impudentissime supplevit:

peperit fumante Creusa.

cum tamen in eodem opere (2 724) Troia fumante sequatur *patrem non passibus aequis*. sed mihi certum ab antiquitate patrocinium; nam Lucretio Caro amatorio, ut fertur, medicamine primum in insaniam verso ac mox extincto, M. Cicero opus *de rerum natura*, quod etiamnum hodie exstat, *perpolivit atque emendavit.* dices recensuisse tantum et a librarii negligentia vindicasse. imo *ad obelum et unguem revocavit*, neque illi idcirco censoria nota inusta. idem nostro aevo praestitit in Nonno Panopolitano Franciscus Nansius, cuius industriam laudatissimus commendat Lipsius (Cent. 2 epist. 60); ut sileam criticam severitatem Leogorae Syracusani, Aristarchi, Zenodoti Ephesii et aliorum, qui Homeri caeterorumque scripta corrigebant emaculabant immutabantque. quis nescit Homericum opus ad libitum quorundam contextum? hos ego sequi utinam tam potuissem quam cupiebam! vale.

CORNELII VALERII VONCKII
PRAEFATIO.

Est sane Corippus Africanus, qui sub Iustino Secundo floruit, excellentis spiritus poëta et supra aetatem doctus, neque dubium est quin, si in felicius incidisset aevum, inter maximos vates fuisset numerandus. sed nunc praeclaram illam et divitem venam saeculi ad barbariem vergentis corrupit genius, cuius vestigia ut egregii operis totidem naevos passim ostentat. saepius tamen generosi oloris instar altius adsurgit, et lectores suos in stuporem abripit, talia tunc temporis scribi potuisse. quid! inspiciamus poëtas illos, qui a Constantino et sub Theodosiis ac postea floruerunt vulgoque Christiani audiunt. mera ibi barbaries, si Sedulium Paullinum et paucos forte alios exceperis. Corippus quanto iis serior, tanto elegantior. optandum profecto ut scripta eius ad nos integra pervenissent. sed et magna eorum parte destituimur, et quibus etiam per vetustatem invidam in hunc diem superesse licuit, lacera et trunca adparent, Deiphobo Virgiliano pene componenda. adde, plurimis in locis tam turpiter ac supine se dedisse librarios, ut coniunctis quasi mentibus in miseri auctoris perniciem iurasse videantur. nec potuit efficere excellentium virorum industria ut omnibus hisce medicinam facerent neque aliis post messem ipsorum restaret spicilegium. quodsi vero tanta ingenia sibi haud indecorum iudicaverint laboranti Corippo, ut praesto erat, opem ferre, quidni ego, pusilli iudicii et aetatis homuncio, a me non alienum ducam ut positis paullisper elegantioribus ad Musas aliquantum quidem horridiores, nec plane tamen incultas, divertam, modulumque meum ad exornandas eas conferam? bene alibi Barthius, de hoc ipso

Corippo agens: *Iuvat*, inquit, *ultimos Romanae eloquentiae conatus non adspernari, etsi vulgo minus nobiles habeantur.*

Sin vero hisce observationibus nostris occurrant quaedam a Rittershusio aut alio quopiam iam praecepta, eadem illis adscribi vehementer cupio: neque enim, praeter Ruizii editionem principem et Dempsteri, aliam videre contigit, quas et ipsas, ut plurima, debeo humanitati V. C. Petri Wesseling. non itaque mihi fraudi esse voluerim, si qui ante nos nostra forte dixerint, ut Donatus inquiebat. sed et quem laudabam modo, Barthius in *Adversariorum* libris, Corippum plurimis locis aut illustrarat aut emendarat, quae omnia huc repetere inanis duxi operae. nullas porro lacunas aut defecta loca supplere aggressus sum. nihil enim incertius et arbitrarium magis semper credidi quam veterum auctorum scriptis verba, ubi deesse videbantur, infarcire, quum forte millia talia nostrum excogitare possit ingenium, quorum ne unum quidem ipsis in mentem venerit. docuit sane experientia coniecturas eiusmodi nimium quantum esse lubricas, sique codices scriptos consulas, evidenter adparere falsas. quod et dudum viri docti observarunt. ab iis itaque (uno forte loco excepto, qui perspicuus erat) abstinui, voces tantum corruptas, siquidem mihi tales viderentur, sanare, aut versibus ordine minus recto collocatis transpositione novave interpunctione mederi institui, nonnulla etiam a crisi minus necessaria vindicare. quod ut nobis successerit, iudicent alii. sed in rem praesentem veniamus.

PETRI FRANCISCI FOGGINI
PRAEFATIO.

Michaël Ruizius Assagrius Celtiberus omnium primus Antverpiae typis Christophori Plantini in lucem emisit anno 1581, dedicavitque serenissimo principi Alberto S. R. E. presbytero Cardinali, archiduci Austriae, Corippi Africani Grammatici *Fragmentum carminis in laudem imp. Iustini Minoris; carmen panegyricum in laudem Anastasii quaestoris et magistri;* et libros quattuor *de laudibus Iustini Aug. Minoris*, ex ms cod., quem confidenter adserit, *non ex coniecturis sed ex fide certissima constare, fuisse ante septingentos et amplius annos descriptum.* at vero quo loco eum codicem repererit alto pressit silentio, quae prima mali labes: cum enim nullus alius inventus sit usque adhuc haec eadem carmina exhibens ms codex, quocum Ruizii editionem conferre quis potuerit, neque datus quidem sit cuique locus eundem saltem codicem, quo ille usus fuit, recensendi, hinc factum est ut eleganti sane poëtae nusquam omnino certaque fide licuerit integritatem decoremque suum restituere, quem partim ei veterem detraxisse librarium non abnuo, sed partim detraxisse etiam videtur ipse Ruizius, quod exsolescentes veteris codicis litteras non bene perceperit. itaque post Ruizium plures alii docti viri medicam manum Corippo apponere studuerunt, sed coniecturis quisque indulgens suis. inter hos primus in medium venit Thomas Dempsterus, qui Corippum et suas in eum *coniecturas et commentarium cum castigationibus* edidit Parisiis a. 1610. verum haec quoque editio multis male mulcatum plagis Corippum exhibet, praetereaque innumeris oppleta est erro-

ribus typographicis. Gaspar Barthius (*Advers. l.* 17 *c.* 33) de se ipso testimonium perhibet, quod a puero sategerat totum Corippum recensere, ut typis committeret, sed in proposito nequaquam permansit, et solummodo plures, doctas sane et acutas, in Corippum animadversiones suis Adversariorum libris interseruit. tertium igitur editus est Corippus ab Andrea Rivino Lipsiae a. 1655, quartum a Nicolao Rittershusio Altorfii Noricorum a. 1664, ac demum quintum ab Andrea Goetzio, qui Norimbergae degens editionem Nicolai Rittershusii iterum Altorfii a. 1743 recudi curavit, Conradi Rittershusii I. C. notis, quas Nicolaus filius suis sociaverat, cum autographo recognitis, et quibusdam e penu etiam suo superadditis, sed quae nullius fere pretii sunt; qua de re ex eo solum aliquam meretur laudem, quod nempe vocum omnium Indicem, ex quibus contexta sunt Corippi carmina, primus adiecerit. praeter has quinque carminum Corippi editiones nullam novi esse aliam, etsi plures alios novi eruditos exstitisse viros, qui illa iterum expolire meditati sunt. id enim in se receperat Maltretus, asseruitque multo castigatiores se posse Corippi libros edere, praeteriens tamen dicere an solummodo ex coniecturis, an vero ex aliquo, qui ei tunc forte innotuerit, ms codice. qua vero de causa promissum haud solverit non subit; quod aeque dictum volo de Leysero, qui, in conspectu corporis poëtarum Latinorum medii aevi, Corippi libros refingendi ex editionibus Ruizii ac Dempsteri spem pariter fecit pariterque nusquam exegit. demum cum nova haec mea ferveret editio, en mihi obviam fit Cornelii Val. Vonckii opusculum Traiecti editum a. 1744, cui titulus *Specimen Criticum*, in quo plures in Corippum emendationes proponuntur, nec non eiusdem eruditi viri libri duo *Lectionum Latinarum* sequenti anno in lucem emissi, ubi alias quoque in eundem Corippum emendationes ministrat, praetereaque profitetur Corippum totum innumeris locis emendatiorem dedisse, et iam in procinctu esse ut primus cum omnibus doctorum notis et cura etiam sua auctiorem ederet, consilium tamen differre contra votum debuisse, aliunde sibi subsidii spe nata ad eum magis exornandum. utinam Vonckius tam bene conceptum et tam prolixe promissum opus exegisset! sed eadem mala fortuna, qua in irritum cessere Maltreti ac Leyseri consilia, hoc quoque nobis invidit.

Itaque tum cum apud me constitui Corippum novae Appendici, quam curabam, Corporis historiae Byzantinae interserere, ne amplius ab eo Corpore vagaretur disiunctus, inprimis opus mihi fuit ut eius textum ipse distinguerem et emendarem; et ne quis aliquid desideraret, variorum notis eundem exornavi, Ruizii primum, deinde vero Dempsteri, Gasparis Barthii, utriusque Rittershusii ac Vonckii; nec praeteriissem a Goëtzio subintroductas, si quid valerent, et quas forte habet Rivinus, dummodo editionis ab eo confectae exemplum aliquod quovis pretio acquirere potuissem. praeter aliorum notas apposui etiam meas, in quibus facile profecto mihi fuisset multo plures et multo copiosiores eruditionis manipulos coacervare, ubi de rebus tum sacris et civilibus, tum militaribus et aulicis Augustae urbis Cpoleos, quarum Corippus meminit, sermonem instituere placuisset: sed cui non dicta summorum virorum opera, Du Fresnii praesertim et Bandurii, in quibus quicquid ad eas pertinet luculentissime expositum illustratumque reperitur? cum autem Ioh. Henr. Leichii et Ioh. Iac. Reiskii studio mox etiam in medium prodierint Constantini Porphyrogenneti imp. Cpolitani *de Ceremoniis Aulae Byzantinae* libri duo, vix plane aliquid nunc superest quod desiderare quis possit ad mores dignoscendos aulae Byzantinae. hos igitur quisque per se consulere poterit Graecae eruditionis thesauros, si ei opus libebit. satis mihi esse volui ut, quae coniectando primus in textu Corippi loca emendavi atque restitui, in notis meis confirmarem, quaedam licet etiam eruditionis capita interdum extulerit currens calamus. porro haesi dubius an solummodo textum Corippi emendatum darem, an potius qualem Ruizius, ut sibi visum est, ex ms codice typis expressit: sed tandem id consilii captandum censui ut praestarem utrumque, unde quis possit ex utriusque textus collatione, et ex rationibus quae in adiectis variorum notis proponuntur, eam lectionem sequi quae sibi placeat magis. variorum eruditorum notae Ruizii textum respiciunt, meae textum quem emendatum inscripsi, etsi sentio adhuc multa adesse quae aut secundas curas aut peritioris medici manus exspectant, ut sanentur; quorum aliqua cum per tempus subsenserim, in notis inde reconcinnare non praetermisi, in quibus etiam typographica quaedam errata correxi. quoniam vero haec Corippi carmina, quinquies licet typis impressa, adeo

tamen habentur rara ut vix casu ubivis gentium eorum aliquod ex tot editionibus exemplum venum expositum reperiri contingat, qualia laudatae Appendici Corporis historiae Byzantinae interserui, separatim etiam, qua vides forma, emittere optimum fore duxi, ut in seriem classicorum, qui notis variorum editi sunt, Corippus etiam referri queat et magis innotescat. neque enim litteratorum hominum curis minus digni sunt Corippi libri. plura in eis acute concepta et eleganter dicta deprehendes; praetereaque locuples testis est Corippus multarum rerum temporis sui; qua de re eius auctoritate et fide non semel usus est Baronius statim ac in lucem prodiit; et mox Ioh. Petrus De Ludewig in eius commendationem scripsit: *utinam Corippus, Africanus poëta, esset in plurium manibus: sed eius exempla Ruizii et Rittershusii non ita obvia. meretur certe is poëta recudi; idque ob plures causas. nam Iustiniani laudes canit, res Iustini describit successoris, idque ingeniose prudenterque, ut liceat inde nosse curialia tum vitia tum virtutes solemniaque.* quodsi Nicolaus Alemannus, bibliothecae Vaticanae olim praefectus, decessor meus, hanc tulit adversus Corippum censuram in praefatione ad Procopii Caesariensis libros qui ἀνέκδοτα inscribi solent, "*Corippus tam improvidus est Iustiniani atque Iustini adulator quam levis poëta: in alterius enim laudibus exsultans alterius in vituperationem labitur incautus vel potius adductus veritate,*" animadvertas volo virum ceteroquin egregiae indolis et eruditionis ita sensisse nescio quo abreptum in Iustinianum furore, principem profecto non sine magnis vitiis, sed multis quoque virtutibus conspicuum. is furor effecit ut Alemannus ne Corippum quidem aequis oculis aspicere potuerit, quia poëtico quodam aestu et secundum saeculi sui morem effusis laudibus Iustinianum celebravit. ceterum criticorum omnium communis est sensus, Corippum nec invenustum esse poëtam nec levem; et sciens prudensque censeo futurum fore ut quo emendatior legatur, eo magis dignoscatur elegans, et plane dignus ut illi inter aequales regnum poëticum conferre non sine ratione possis, secundum Barthii iudicium, qui hoc etiam sapienter addit, Corippi libros ultimos esse eloquentiae Romanae conatus. et sane manifesto se prodit in lectione librorum Virgilii apprime versatum et gentilis sui poëtae Claudiani imitatorem, cuius sublimes volatus, etsi

non aequis semper pennis, aemulari studet. praestant hanc mihi censuram eius carmina, quae prae manibus sunt, et quae senio iam fessus, ut ipse loquitur, scripsit. utrum fervidus iuventa aliquid amplius potuerit, tunc constare poterit, si quando in apricum aetas proferat poëmation, quo *Libycas gentes* et *Syrtica bella* complexus iam fuerat, et cuius ipse meminit in praefatione ad Iustinum.

Iamdiu huius etiam poëmatii editionem in votis habet res publica litteraria, neque elapsam eius spem mihi auguror ex eo quod mihi certo constat in pluribus olim codicibus descriptum fuisse. Ioh. Cuspinianus in suo *de Caesaribus et Imperatoribus* libro, agens de imp. Iustiniano M., repertum a se esse narrat Budae in bibliotheca Regia hoc poëmation octo libris distinctum, inscriptumque *Fl. Cresconii Corippi* nomine et titulo *Iohannidos*, cuius argumentum erat bellum Libycum, quod Iohannes Patricius contra Afros gessit. praeterea hos recitat eius primos versus:

signa, duces, gentesque feras Martisque ruinas,
insidias, stragesque virum durosque labores,
et Libyae clades, et fractos viribus hostes,
indictamque famem populis laticesque negatos,
utraque letiferi turbantes castra tumultus.

hinc igitur exstitisse olim Budae huius poëmatii codicem innotescit; et praeterea ex eo codice intelligimus Corippum nostrum fuisse dictum Fl. Cresconium Corippum, ex quo fit ut duos alios in medium adducere valeam de eodem Corippi poëmatio veteres testes. primus est Petrus Diaconus in Actuario ad Chronicon Casinense Leonis Marsicani, ubi inter libros, quos describi curavit abbas Desiderius ad Romanam cathedram postea evectus sub Victoris 2 nomine, Cresconium memorat *de bellis Libycis*. hunc codicem in bibliotheca monasterii Montis Casini adhuc superfuisse a. 1532 novi ex ms cod. Vatic. 3961, qui Indicem continet Casinensium mss Clementis 7 iussu confectum: sic enim in classe librorum Grammaticalium legitur: *liber Cresconii incip. Victoris.* nec mirere hoc initium haud bene convenire cum initio poëmatii *de bellis Libycis*, quod refert Cuspinianus: laudati enim Indicis auctor nec satis peritus nec satis diligens passim depre-

benditur, qualem se ipse etiam fatetur in epistola opellae suae praemissa, in qua ulterius adserit praecipitanter eam exegisse; aut si mavis, reponam tunc temporis fuisse illum Cresconii codicem ob vetustatem corruptum et mancum. utinam vero etiam nunc superesset, aut quo asportatus fuerit innotesceret! omnem profecto adhibuissem curam ne amplius desideraretur: at modo nulla ibi restat membrana quae Cresconii nomen prae se ferat, nulla in qua *de bellis Libycis* agatur, ut a docto viro illius bibliothecae curatore factus sum certior; qui me etiam monuit Angelum de Nuce, Chronici Casinensis editorem diligentissimum, ad seriem librorum, quos Desiderius describi curaverat, iure merito hanc notam apposuisse: *eorum plurimi supersunt, non tamen omnes, expilata non semel nostra bibliotheca.*

Alter demum poëmatii *de bellis Libycis* a Fl. Cresconio Corippo scripti testis est auctor anonymus, qui Cresconianam collectionem veterum Canonum aliaque ss. patrum opuscula descripsit in membranaceo ms codice saec. 10, Romae in bibliotheca Vallicellana adservato et nunc notato t. 18, qui texens p. 136 opusculorum omnium a se descriptorum indicem sub hoc titulo: *haec sunt quae in codice habentur,* ita incipit: *Concordia Canonum a Cresconio Africano episcopo digesta sub capitulis trecentis. iste nimirum Cresconius bella et victorias, quas Iohannes Patricius apud Africam de Saracenis gessit, hexametris versibus descripsit sub libris.* hanc notam iuris publici fecit Baronius (*a.* 527 *num.* 76) et iterum ex ipso codice descripsit ac recudit Mabillonius (*It. Italic. p.* 69); ita ut plane mirum sit quomodo Chifletius (*in Praef. Opp. Ferrandi*) et Coutantius (*in Praef. ad epistolas Romanorum Pontificum par.* 2 § 7) adserere non dubitaverint Baronium invenisse illam in ms cod. Vatic. operi Cresconiano praefixam, cum signanter ille notaverit cod. Vallicellanum et intermedium eius folium, unde eam descripserat. quoniam vero iidem docti viri plus aequo eandem notam aestimantes confidentissime vocarunt illam in testimonium aetatis qua Cresconius collector Canonum floruit, iuvat singula quae in ea adnotator adfirmat obiter expendere: neque enim fore molestum arbitror, ut capta occasione aliquid ministrem ad illustrandos Fl. Cresconii Corippi libros *de bellis Libycis,* si quando obveniat ut in apricum proferantur.

Itaque nugas agere puto qui Cresconii Canonum collectoris aetatem ex ea nota comperisse sibi blandiuntur, cum mihi videatur anonymus adnotator ex eo tantummodo sibi persuasisse quod eiusdem auctoris esset carmen *de bellis Libycis* ac collectio Canonum, quia nimirum Cresconii nomen utrique operi praefixum invenerat, et quia operis utriusque auctorem Africanum hominem esse sentiebat. verum animadvertamus oportet quod Cresconii seu mavis Crisconii nomen fuit Afris familiarissimum, ut plane liquet ex Collatione Carthaginensi et ex epistola concilii Milevitani ad Innocentium papam 1, quarum uni plures interfuerunt et hanc alteram plures nuncuparunt diversarum sedium episcopi, qui uno eodemque Cresconii nomine appellabantur. est igitur adnotatoris adsertio admodum incertae fidei, etsi indubitanter falsitatis non arguo, tum quia minime pugnat aliquem esse iuris canonici peritum et in arte poëtica potentem, tum etiam quia nulla suppetit ratio cur pernegem non eodem fere tempore editam fuisse collectionem Canonum Cresconianam ac editum est a Fl. Cresconio Corippo carmen *de bellis Libycis*. quinimo equidem sentio apprime probabile videri quod eadem ferme aetate, sub imperio nimirum Iustiniani Magni, utrumque opus prodierit: nam ex Ioh. Cuspiniani testimonio aliisque inferius adducendis rationum momentis certo teneo huius carminis argumentum esse Africana praelia sub Iustiniano M. gesta; et quod pertinet ad collectionem Canonum, quia sub eiusdem Iustiniani M. imperio eam quoque prodiisse coniicio ex epistola eidem operi praefixa, quae adhuc integra superest, ad Liberinum episcopum. et sane Cresconius in ea dicit se excusasse ab iniuncto opere, quod breviarium Canonum *a viro reverentissimo Ferrando Carthaginiensis ecclesiae diacono digestum iam fuerat*, et quod vereretur *ne aliud* breviarium *exsequendo eius prudentiae deprehenderetur in aliquo derogare*; quae loquendi ratio, non secus ac *sapientissimi* et *venerabilis viri* appellationes, quae ibidem Ferrando insuper tribuuntur, vehementer suadent aut adhuc in vivis Ferrandum fuisse aut saltem eius breviarium non multo ante fuisse editum. iam vero quem latet sub imperio Iustiniani Magni Ferrandum floruisse? fuit enim S. Fulgentii episcopi Ruspensis in monasterio Sardiniae Calaritano discipulus; et cum S. Fulgentius kal. Ian. a. sal. 533 mortem obierit, eiusdem vitam descripsit et Fe-

liciano in sede Ruspensi eidem post annum integrum suffecto dedicavit. qua de re factum hoc esse constat a. sal. 534, quo Iustinianus Magnus annum 8 imperii sui numerabat.

Unde vero bonus adnotator acceperit Cresconium collectorem Canonum fuisse episcopum divinare non ausim. quinetiam, si praelaudatam epistolam Cresconianae collectioni praefixam iterum consulas, facile intelliges eius auctorem, saltem tunc temporis, nullatenus fuisse in tali dignitate constitutum: Liberino enim *subiectum se* dicit, et Liberini *paterna auctoritate* coactum ut operi manum admoveret. hae phrases haud bene conveniunt episcopo ad episcopum scribenti, etiamsi probare posses Liberinum Cresconio praestantiorem fuisse seu dignitate veluti primatis et archiepiscopi seu antiquitate consecrationis.

Demum aut minus veraciter aut saltem minus diligenter indicatum puto ab adnotatore argumentum carminis *de bellis Libycis*, quod ei innotescebat Cresconii nomine inscriptum. si enim, quia tunc forte in ore vulgi celebrabatur praecipue insignis victoria, quam recentius in Africa de Saracenis Iohannes Patricius imp. Leontio reportaverat, hanc ille victoriam Cresconiani carminis argumentum esse adserere intendit, prout Chifletius et Coutantius sibi persuaserunt, falsitatis eum arguunt primi eiusdem carminis versus a Cuspiniano editi, qui bellum indicant vario ac diuturno Marte agitatum, cum e contrario bellum Saracenicum sub Leontio brevi temporis spatio confectum esse constet ex Anastasio Bibliothecario et Cedreno, qui eius meminere. Anastasius ita loquitur: *mundi anno sexies millesimo* 190, *divinae incarnationis* 690, *anno vero imperii Leontii tertio, acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, et ex proprio exercitu taxatos in ea quosdam constituerunt. quibus compertis Leontius mittit Iohannem Patricium virum idoneum cum omnibus Romanis classibus; qui cum Carthaginem pervenisset et bello catenam portus eius aperuisset inimicosque in fugam convertisset, hos viriliter insecutus universa liberavit Africae castra.* si quis autem malit adnotatorem, secundum aetatis suae morem, Saracenorum nomine Africanas gentes appellasse, Africana licet bella sub Iustiniano gesta indicare voluerit, eum non fuisse mendacem dabo, sed in proprietate verborum minus diligentem dicam. quamobrem cum Fl. Cresconius Corippus libris suis *de bellis Li-*

bycis titulum *Iohannidos* praefixerit, quis foret ille Iohannes a quo poëmation ita nuncupabatur, Chifletio et Coutantio opus erat diligentius expendere, ne deciperentur existimantes celebrasse Corippum bellum in Africa a Iohanne Patricio gestum imp. Leontii anno tertio. neque enim hoc solum in Africa gestum est bellum a quodam Iohanne Patricio, sed etiam confecta sunt diuturna Romanorum cum Mauris et Vandalis agitata praelia sub Iustiniano Magno; et nullatenus dubito cecinisse Fl. Cresconium Corippum Latinis versibus, quae soluta Graeca oratione scripsit Procopius in historia de bello Vandalico; et heroëm seu mavis Maecenatem poëmatis sui Iohannem nuncupasse, quo militiae Romanorum in Africa magistro sine consorte tandem aliquando confecta et absoluta fuerunt praelia pluribus annis pluribusque cum gentibus variaque fortuna gesta in Africa, Iustiniano Magno imperante. erat iste Iohannes Patricius Pappi illius frater, qui unus fuerat ex quattuor ductoribus equitum in bello adversus Vandalos Belisario duce commisso; et eum Procopius celebrat in altero historiae suae libro de bello Vandalico.

Iam vero cum de libris Corippi editis ineditisque satis dixerim, nunc de Corippo ipso aliquid commentari operae pretium foret: sed nullum novi veterem Graecum Latinumve scriptorem, qui eius meminerit. commentariolum de eo scribere Dempsterus sategit inscriptum *de Corippo coniectura non obscura ex scriptis ipsius:* sed vacuas diverberat umbras, et fingens sibi captare lucem captat tenebras. itaque meliora quaedam proferam, paucis tamen me expediam.

Corippus dicebatur etiam Flavius Crescomius seu Crisconius, quod laudatus nos docet vetus codex a Ioh. Cuspiniano Budae repertus. Afer gente fuit, et arte grammaticus, utriusque rei teste ms codice Ruizii; nec semel ipse Corippus Africanum se prodit in suis, qui supersunt, versibus. grammatici autem appellatio ita est accipienda ut virum significet in dicendo scribendoque praeclarum, quales fuerunt quorum memoriam posteritati mandavit Suetonius in opere *de claris grammaticis.*

Senio iam fessus *de laudibus Iustini Augusti Minoris* Corippus scripsit, cum iam pluribus libris scripsisset *de bellis Libycis.* de utraque re testimonium certum ipse perhibet; et ex coniectura adiiciam scripsisse de bellis Libycis ante annos plus

minus triginta. hanc annorum supputationem mihi praestat tempus quo hosce libros edere potuit, et tempus quo scripti esse videntur libri de laudibus Iustini. bellis enim Libycis Iohannes Patricius finem imposuit, qui creatus est militum in Africa magister sine consorte anno 8 imperii Iustiniani; qua de re ante hoc tempus haud plane potuit edere Corippus libros suos de iisdem bellis huic Iohanni nuncupatos; neque est verisimile eos edidisse post longum tempus. porro cum Iustinianus M. imperaverit annis 39, constat proinde quod multo post scripti fuerint libri de laudibus Iustini Augusti; quinetiam plane liquet scriptos fuisse duobus saltem annis postquam Iustinus imperabat. cum enim Corippus l. 1 et l. 4 Iustinianum in extremo vitae praedicentem inducat, futurum fore ut qui ei nocere meditati fuerant Iustino etiam insidias molirentur, ut meritis poenis ad aliorum exemplum multarentur, fingendae huius fabulae occasionem ex eo aucupatum esse facile est intelligere, quod Iustini iussu anno imperii eius secundo, die tertia Octobris, capitali supplicio affecti fuerunt Cpoli Aetherius et Addaeus magnae auctoritatis apud Iustinianum patricii, quos plurium criminum ac praecipue conspirationis in ipsum Iustinum actos fuisse reos narrant omnes illius temporis historici. Eustathius vero, seu mavis Eustratius, scriptor coaevus, in vita S. Eutychii patriarchae Cpolitani (vide Acta SS. ad diem 2 Aprilis) factum hoc esse adiicit ultione divina, quod eorum potissimum consilio et opera e sede Cpolitana detrusus ab imp. Iustiniano fuerat S. Eutychius et in exsilium missus, ei, nullo plane iure, suffecto Iohanne Scholastico. Corippus quoque ultionem divinam super eos factam esse fingit, quia ipsi Iustiniano nocere voluerint, neque explicat qua ratione: at quis principi nocet magis quam malus consiliarius, et qui perversa consilia non modo suggerit, sed operam etiam praestat ut executioni mandentur? praeterea cum l. 4, quem aliquanto post alios tres editos esse suadent versus quibus tertius explicit, palatia Sophiana Corippus commemoret, hinc etiam manifestum fit hos libros non edidisse statim ac Iustinus ad imperium evectus fuit, cum haec palatia condendi atque adeo renovandi ampliandique et exornandi occasionem enarret Theophanes ad a. 4 imperii eiusdem Iustini. hae meae coniecturae videntur mihi esse probabilissimae, et fortassis luculentioribus etiam argumentis

constarent, ubi integrum haberemus librum 4 et alios libros, qui eum prosequebantur: sicuti enim tribus libris imperii Iustini initia, sic etiam totidem consulatum eius et in eo gesta Corippum celebrasse vehementer suspicor.

Corippo familiares erant sacrae litterae, quod eius versus ostendunt, in quibus plura ex illis imitatur. illius vero pro recta fide contra sui temporis haereticos studium mirifice testatur symbolum fidei, quod secundum Nicaeni et Cpolitani conciliorum constituta versibus diligenter expressum inserit l. 4, et fortassis non modo veritati Catholicae obsequium ita praestare voluit, sed etiam ipsi Iustino plaudere, qui statim ac imperio potitus est edictum de recta fide, quod Evagrius recitat (*Hist. Eccl.* 5 4), conscripsit, hortatusque est omnes ad Catholicae ecclesiae doctrinam atque unitatem amplexandam.

Velificatos esse Corippo primos aulae Byzantinae ministros, Anastasium praesertim magistrum et quaestorem, tum ex carmine panegyrico in laudem ipsius Anastasii, tum ex libro primo de laudibus Iustini luculenter discimus, sed obscurum remanet utrum hisce editis libris solatia obtinuerit, quibus indigebat. nam de inopia sua saepius queritur, in quam *saeva Fortunae ira* se incidisse dicit, reticens tamen causas, unde transluoere quid amplius potuisset de eius vitae ratione. demum, si Dempsterum audias, *certe officium aut in aula Palatina aut in provincia gessisse videtur* ex v. 48 Panegyr. in laudem Anastasii; quod ego tamen nullatenus video, ut in notis ad eum locum patefaciam. praeter haec nihil aliud in promptu habeo, quod de Fl. Cresconio Corippo Africano grammatico commemorem.

---

p. II v. 1 pro *quos* lege *quas*.

FL. MEROBAUDIS
CARMINUM PANEGYRICIQUE
RELIQUIAE

EX MEMBRANIS SANGALLENSIBUS

EDITAE A

B. G. NIEBUHRIO C. F.

CARMEN I. p. 1

(TRICLINIUM PLACIDI VALENTINIANI AUG.)

* * *

incumbit foribus pictae Concordia mensae,
purpureique sacer sexus uterque laris,
aeternas ubi festa dapes convivia gestant,
purpureisque nitent regia fulcra toris.
ipse micans tecti medium cum coniuge princ*eps*
lucida *ceu* s*u*mmi possidet astra poli.
terrarum veneranda salus: pro praeside n*ostro*
amissas subito flet novus exul opes.
cui natura dedit, victoria reddidit orbem,
claraque longinquos praebuit aula toros.
hic, ubi sacra parens placidi petit oscula na*ti*,
Castalium credas cum genetrice deum:
cum soror adsistit, nitidae candentia Luna*e* p. 2
sidera fraterna luce micare putes:
si coniux aderit, dicas Nereia Peli
Aemonio Thetidos foedera iuncta toro.
hac etiam de prole licet sperare nepotem
cui Larisa suum conferat una virum.

Augusti nomen, quem poëta celebrare studet, verbo *placidi* (v. 11) inesse videtur: omnia certe in Valentinianum apte conveniunt. *victoria* de Iohanne tyranno imperium avitum reddiderat puero; et *aula* Cpolitana nuptias Eudoxiae praebuerat. *mater* (v. 11) Galla Placidia est, *soror* (v. 13) Honoria, *coniux* (v. 15) Eudoxia, Theodosii filia. *subolem* (v. 19) de Eudoxia accipere licet, Valentiniani filia maiore. sed cur *nepotem* sperat poëta, non *filium*? Theodosium igitur Placidiamque unice respiciebat?

v. 1 pr m *concordiae.* v. 15 pr m emiserat *dicas;* ac in fine versus

en nova iam suboles, quae vix modo missa sub *auras*
mystica iam tenero pectore sacra gerit,
vagitu confessa. deum sentire putare*s*:
mollia sic tremulo moverat ora sono.
o felix! uno geminam cui tempore vitam || p. 186.

CARMEN II.

*
*

*silv*a viret, pulchram domini sortita iuventam,
*i*psaque primaevo lumine tecta nitent,
*qu*ae Foebi flammata rotis et principis ostro
aetheris ac terrae sidera mixta tenent.
p. 3 *ma*rmoreos rigat unda lacus, fictasque metallis
*c*ornigeras rapido proluit amne feras,
*tur*baque festinis onerat crystalla fluentis;
*g*emma vehit laticem quae fuit ante latex.
*cul*mina celsa tenet socia cum coniuge princeps,
*c*uius sacra petit pignora mundus ovans.
*mi*ra fides! optare licet, qui sceptra capessant;
*n*ec numerum regum poscere vota timent.
sic dominos secura sui de stemmate regni
*c*ontinuat proprios dum creat aula novos.

scripserat omissum in sequentis initio *Aemonio*. v. 16 cod. *Tethidos*. v. 21 pr m *vagitum*.

Monere vix opus est, quae initio aut fine versuum inclinatis litteris scribuntur, mea pro abscisis supplementa esse; singulas in mediis versibus litteras pro exesis. de initiatione puellulae regiae per sacrum fontem facta sermonem esse cuivis apparet, eodem modo quo carmine IV de infante Aëtii.

Abscissa superiore paginae parte quot versus interciderint, nulla inveniri potest coniectura: sed in hac lacuna, absoluto carmine quod praecedit, alterum ab eo diversum incepisse propterea haud dubitanter statuo, quod alias bis eadem dixisset non absurdus poëta; absolutoque disticho duodecimo primum carmen apte concluditur. ut illo tricliniun, sic hoc hortos laudare videtur. secundi distichi sensus valde obscurus est: licetne de vitris purpura coloratis cogitare, per quae immissi solis radii lumen purpureum spargant? *cornigerae pecudes* (II v. 6) sunt cervi ex auro facti, quorum circa fontem dispositorum mentio apud Anastasium in baptisterii descriptione occurrit; nisi tamen de museo opere intelligere placet, in imo lacu marmoreo. *aula* quae novos *dominos* crearet, Theodosii iunioris Augusti est, per quem Valentinianus in Occidente regnabat.

CARMEN III.

*VI*RIDIARIS VIRI INL. FAUSTI.

*ex*plicat aestivas ramis errantibus umbras
 *f*rigoris arcani silva referta gelu;
nec commune sibi tempus permittit et anno,
 *pri*vatamque hiemem frondea tecta tenent.
. . . er tonsa comas Spartani marmoris instar p. 4
 *por*rigit excisum buxus amoena latus;
quam nec Achaemeniae possent penetrare sagittae || p. 185.

. . Marti iunxit amica Venus.

CARMEN IV.

(NATALIS FILII AËTII PATRICII.)

annus panditur ecce iam secundus,
et festum puero diem reducit,
quo vitalibus inchoatus auris
infusi bibit aetheris vigorem.
omnes nunc Latiae favete Musae,

Ad Carmen III. Rubricae deletae medicamento parum iuvantur; obscuratumque continuis nimbis solis lumen adeo mihi offecit, ut absoluta demum libelli impressione, tandem sereno die adiutus, *Fausti* nomen clare legerim; ac simul vestigia ductuum haud dubia cernerem ante id quod tum perspicue vidi *ridiaris* esse. de quo quum nihil comperisset Leopardius, nihilominus egregie coniecit legendum esse *viridiarium;* quod ita amplector ut membranis obsecutus servem *viridiaris;* de qua rusticae linguae forma vulgare italicum *verziere* omnem dubitationem tollit. neutram terminationem in masculinam, ac deinde *ius* in *is* mutatum abiisse, secundum analogiam est, quae in formanda lingua rustica, sensim in vulgarem deflectente, observatur. — Faustus, cuius hortos Merobaudes, ut Statius Sidoniusque amicorum villas, laudat, Anicius Acilius Glabrio Faustus est, consul anni 438, postquam anno 424 urbem praefectus rexerat. — v. 5. an c littera ante er fuerit, minime exploratum est: ita *super* supplere ausim.

Ad *hemistichium.* Hic et alibi, resecta per obliquum membrana, pars versus omnino periit: quarum aliquid conspicitur, nonnisi dimidiatae supersunt litterae.

Ad Carmen IV. Filius Aëtii, cui hoc genethliacon dictum est, si tamen ultra infantiam vixit, Gaudentius fuerit, avi nomine dictus; quem, dum pater viveret, principalibus nuptiis destinatum, Geisericus direpta urbe in Africam abduxit. quippe Carpilio haud paulo maior natu fuit, qui lega-

omnes nunc Latiae virete silvae.
vernent limina, laureisque sertis
p. 5 inserpant hederae vagante nexu.
exultet placido tumore Tybris,
et nulla rutilus nec asper unda
hibernis vada molliat serenis.
laxet pectora bellicosa ductor
et dignus rude, lacteamque prolem
nodosis ferus ambiat lacertis.
adsit cum socio parente coniunx,
coniunx non levibus canenda Musis,
heroum suboles, propago regum;
cuius gloria feminam superstat;
quae non, ut Thetis, anxium pavorem
secretis Stygos abluit sub undis,
et natum trepidis anhela curis
contra fata deum metusque leti || p. 182.

*
*
*

primaevos pueri rec*entis* art*us*
plenis numine fontibus rigavit;
qua puri deus arbiter lavacri,
arcana laticum receptus unda,
pellit crimina, nec sinit fuisse,
p. 6 et vitam novat, obruitque poenam.
his te primitiis, puer, sacratum
excepit gremio micante Roma;
et nudi lateris recincta vestem,
quae bellis procul omnibus patebat,
nutricem tibi praebuit papillam.
felix distulit adtulitque partum
Lucinae mora: praestitit morari
ut spebus timidis diu negatus,

tione ad Attilam functus est. v. 17 pr m *rerum*. — Renatus Frigeridus (apud Gregorium Turonensem II 8) Aëtium Carpilionis generum fuisse tradit; qui Carpilio quis tandem fuerit, equidem plane ignoro. virum, qui inter barbaros educatus maxima cum iis familiaritate usus est, secundis nuptiis barbaram uxorem duxisse facile credi potest; ac de barbara origine in-

et civis dominae futurus urbi,
natalem tibi regiam Quirini
et primas Latii domos videres,
proles Martia Martios penates,
hoc iam clarior inclyto parente,
quod vix puberibus pater sub annis,
obiectus Geticis puer catervis,
bellorum mora, foederis sequester,
intentas Latio faces removit
ac mundi pretium fuit paventis. || p. 181.

telligendum esse, quod eius uxor *regum propago* dicitur. — ad v. 41. idem Renatus Frigeridus (ap. Gregorium Turon. l. c.): *Aëtius a puero praetorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum.* cf. panegyricum v. 127 seqq. — pr m *hic.* — ad v. 44. ed pr prave: foederum.

(FL. MEROBAUDIS IN III CONSULATUM AËTII PATRICII PANEGYRICUS.) p. 7

PRAEFATIONIS FRAGMENTUM I.

* * *

.... una tua p ... us quam ana .... | nihil quod cupias latere deprehendi *potest: de* | nique omnia agis ut qui scias in conspec*tu et iudi* | cio omnium esse quod gesseris. |

Ad Panegyricum. Ut Claudianus Stilichonis ipsiusque Augusti consulatus, ita Merobaudes Aëtii fasces celebrat, hoc ab illo diversus quod praefationem non metro conditam sed ad orationis modum praeposuit. de consulatu agi plurima evidentissime indicant, v. 30 *togae praemia*, v. 31 *pacata curulis*, v. 36 *festa ducis*, iterumque v. 44 *curulis;* v. 13 *consulis* mentio, cuius leges acceperint Aremorici; denique v. 46 *fasces:* quum autem ter consul fuerit Aëtius, tertium consulatum intelligendum esse quo cum Symmacho processit (a. 446), et v. 43 et 44 indicant, et adhuc clarius iis comprobatur quae v. 24—29 de pace cum Geiserico facta memorantur; cum quo pax bis inita est, annis 435 et 442: verum prior intelligi nequit propter mentionem Carthaginis captae, qua urbe Vandalus per dolum et periurium anno demum 439 potitus est.

Ad Praefationis Fragm. I v. 1. Huius quoque versus litterae, quae non omnino abscissae sunt, vix dimidiatae exstant atque aegre divinan-

p. 8 lateant ergo hii quos deprehendi pude*t: etenim* | bonae conversationis est nimis pete*re conspec* | tum. et tamen mali frustra arbitros *fugiunt:* | quid enim eis prodest non habere *conscios, cum* | habent conscientiam? veniant sane ad *te quos vo* | lunt arbitri, quam volunt severi iudice*s morum* | atque virtutum; nec tantum Catones nost*ri, sed pe* | regrina Lacedaemoniorum et Athen*iensium* | nomina: nullum profecto tempus, null*um diem,* | nullam denique horam in actibus tuis qua*m non admi* | rentur invenient. tibi enim cubil*e cava ru* | pes aut tenue velamen in caespite; nox *in vigiliis,* | dies in laboribus; iniuria iam pro volunta*te; lorica* | non tam munimen quam vestimentum; *coena* | non adparatus sed conversatio; postre*mo* ..... | qui aliis procinctus, tibi usus est. | nec inmerito te ita communem alacrit*ati ac la* | bori, labori ac potestati, natura forma*vit* ..... | ore ciiumgra . uares la . oran . ra ...... | proximitas tua i .. volocitatem tuam ...... || p. 196.

* * *

p. 9 ..... a tentorio .. ac quamq .... | ..... *t*entorium ducit. tunc si quid a bellis | *vacat, a*ut situs urbium aut angustias montium | *aut plana* camporum aut fluminum transitus aut | *viarum* spatia metiris, atque ibi quis pediti, quis | *equiti* accommodatior locus, quis excursui | *aptior, qu*is receptui tutior, quis stationi uberi | *or, exploras.* ita ad bellum proficit etiam ipsa in | *termissio* bellorum. iam vero, praeter Mar | *tios labores*, cuius tanta in consiliis alacritas, in | *iudiciis* severitas, in conloquiis mansuetu | *do, in vult*u aequalitas, in ira brevitas, in amore | *diuturn*itas? o fortunatissimum orationis | *meae te*mpus!

v. 6 agnoscimus latinitatem illius saeculi. — v. 11 cod. *adque.* v. 12 idem *Lacaedemoniorum*, eodem vitio quod in codice Romano de re publica regnat. v. 15 ubi *cubile* scripsi, librarius *civile* scripsisse videtur (ultima littera e resectarum numero est); deinde *i* expunctum, *b* superscriptum fuit. v. 15 et 20 supplementa quae Bluhmius mihi proposuit iis praetuli quae ipse dederam. v. 17 vocabulum *iniuria* valde dubium esse videtur; omninoque hanc paginam iterum inspici cupio. quum autem tota admodum aegre legatur, tum vero multo maxime infimi versus, membrana, quae quum tenuissima tum scalpro attrita est, vi attramenti a posteriore parte exesa, ita ut quot in illa litterarum ductus, totidem hic appareant foramina. igitur v. 21 et 22 aliquot litterae ex his quas indicavi incertae sunt. — p. 2 v. 5 *plana* camporum ab huius aevi latinitate abhorrere non credo. — v. 11 Leopardius mal-

vera me dicere omnes fatentur | .... r hactenus me de actibus tuis aliquanta | ...... et quidem multum dicturo obest igno | *rantia*. *de*bet nosse quem loquitur; nec sola | *illa de v*iris fortibus praedicanda sunt quae pu | *blica f*ama denuntiat. nam et cum victoria per | ......, tum designatur hoc nomine quidquid | *contulerit* favens fortuna bellorum: non tamen | *monum*entum implet animos ut si ipsa itinera | *atque ag*mina, et imago certaminum et vulnera | *et proelia* et hostili caede pulvis cruentatus || p. 195.

FRAGMENTUM II. p. 10

* * *

lentem in collegium togae senatus adscivit. | pro his me laudibus tuis Roma cum principe vic | turo aere formavit; pro his denique nuper ad ho | noris maximi nomen ille nascenti soli proxi | mus imperator evexit: intellexit enim qua fide eius prae | sentis gesta memorarem, qui de absentis | meritis non tacerem. iam considera, ductor | invicte, quanta tibi haec agenti praemia debe | antur, pro quibus mihi tanta sunt conlata refe | renti. tibi quidem nullum commune praemi | um nec par ceteris honor aut laus aliqua usit*a* | ta referenda est. habes tamen praemiatrice*m* | conscientiam tuam. etenim recte factorum | summus fructus est fecisse; nec ullum virt*u* | tum pretium dignum ipsis extra ipsas est. ergo | vel ego vel alii qui in hac dicendi professione | sunt, quotiens de actibus tuis aliqua disserimus, | aut ingenia nostra exercemus aut vota cetero*rum*: | tu tibi inniteris, ad te respicis, nec ullum quod | imi-

let *in moribus sec.* — pr m *salubritas*. v. 22 pr m *impleat*. de arcu triumphali sermo esse videtur.

Fragm. II p. 1 v. 1. *collegium togae* de senatu intelligo, ut togae usus, iam diu ante ex vita communi abolitus, in curia retentus fuerit. v. 2 seqq. vide quae in praefatione de hoc loco dixi. *Roma cum principe* fere sollemnis in hoc negotio locutio esse videtur, ut in epigrammate de Claudiano *Ῥώμη καὶ βασιλεῖς*. v. 3 *honor maximus* certe consulatus est, verum eius *nomen* non de fascibus sed de codicillis consulatus interpretor. ac profecto neque Merobaudis *huius*, neque alius cui haec oratio tribui posse videatur, nomen in illius aevi fastis signatum est. v. 4 imperator Orientis. — v. 5 *intellexit* ab emendatore additum fuit. — v. 8 post *tibi* pr m *a* scripserat. — v. 10 pr m *premium*. — v. 20 pr m *extra*. — v. 23 quis iste triumphus fu-

p. 11 tari velis exemplar extra te quaeris: et ta | men nulla regio, nullus locus, nulla denique lin | gua laudibus tuis vacua est. euntes in Thraciam | triumfum qui consiliis tuis intra Hispaniam || p. 198 d.

* * *

*q*ui aestimator es quam enormis ubique et quam | *i*nsueta gratulatio sit, cum aliquis index de ac | *t*ibus tuis secunda loquitur. praeter id enim quod | *in* te mundi amor consonat, quem probasti, tum | *in* successibus tuis veritas ipsa delectat: nemo | enim de fama dubitat, quotiens vicisse te nuntiat. | *d*elatus ego in augusti litoris sinum, qua Salonas usque | per anfractus terrae pronum pelagus | *in*labitur, nactus sum quendam qui se tuis re | centibus gestis interfuisse memoraret. | Gothorum, inquit, manus universa cum | rege exierat Romana populatum. hoc ut dux comperit — | *i*am non expectavi ut diceret: progressus est, ma | num contulit: neque enim haec a te acta dubitabam. | quaesivi statim, ubi, qualiter quantosve fudis | ses. tunc ille, ad montem, inquit, quem Colubra | rium quasi praescia vocavit antiquitas: in eo | enim nunc rei publicae venena
p. 12 prostrata sunt maxima; | hostium partem improvisus, ut solet, neci dedit; | *f*usisque peditum copiis, quae plurimae erant, ipse | *p*alantes turmas persecutus, stantes robore, | *f*ugientes alacritate conpressit. nec multo | *p*ost rex ipse cum reliquis copiis suis adfuit, | *de*fixusque horrore subito calcata prope cadavera || p. 198 c.

VIII

---

si hic litterae excusandae sunt. p. 183.

ExPlIcIt . PrAeFaTiO

rit, non expedio: vix enim de Walliae bello Vandalico intelligere licet, cuius eventus rei publicae exitiosus fuit. p. II v. 1 pr m *enormes*. — v. 7 et 8 verba: *qua Sal. usq. p. anf. ter. pr.* omissa a librario, ab emendatore ita inserta sunt ut versus, quem 8 numeravi, inde oriretur. idem emendator *pelagus* addidit, quod iam a pr m exstabat: hoc autem, ne bis compareret, linea transfixit. — v. 16 cod. *inquid.* v. 24 pr m *subicalcata*. — ExPlIcIt PrAeFaTiO. sic expediendus est librarii lusus eiusdem generis quo

Danuvii cum pace redit, Tanainque furore
exuit, et nigro candentes aethere terras
Marte suo caruisse iubet. dedit otia ferro
Caucasus, et saevi condemnant proelia reges.
addidit hiberni famulantia foedera Rhenus
orbis, et Hesperiis flecti contentus habenis
gaudet ab alterna Thybrin sibi crescere ripa.
lustrat Aremoricos iam mitior incola saltus;
perdidit et mores tellus, adsuetaque saevo
crimine quaesitas silvis celare rapinas,
discit inexpertis Cererem committere campis; p. 13
Caesareoque diu manus obluctata labori
sustinet acceptas nostro sub consule leges;
et quamvis Geticis sulcum confundat aratris,
barbara vicinae refugit consortia gentis.
hinc quoque, Tyrrhenis qua fluctibus ima resultat
Gallia, et aërii conscendens ardua montis
limite nimboso terras perstringit Hiberas,
nil nostri iam iuris erat. sed belliger ultor
captivum reseravit iter, clausasque recepit
expulso praedone vias, populosque relictis
urbibus et sociis confinia reddidit arvis.
undique iam Scythicis erepta furoribus hostem

* * *

in aliis membranis E I I E pro *feliciter* subscribitur, omissis alternis litteris quae alio colore interponendae essent, id quod fere neglectum esse videtur. PAFTO scriptum esse schedae suadent, ubi ductus litterarum effingere conatus sum: sunt autem quadratae, in quibus ad rescribendum deletis inter F et E aegerrime distinguitur: aliter, parum diversa ratione, supplendum esset PrAEfaTiO. — ad carminis v. 4 cod. *sevi*. — v. 7 fateor me huius versus sensum non assequi. ceterum de Rheno subacto non est poëtae mendacium: constat enim Francos ad Rhenum ab Aëtio ad obsequium redactos Burgundionesque domitos fuisse. — v. 12 divi Iulii bellis adversus Venetos ceterosque Aremoricos. v. 14 igitur aut Aremorica ultra Ligerim aut Gethorum regnum usque ad hunc fluvium porrigebatur. v. 17 pr m *condens eper ard*. v. 20 Narbone ex obsidione erepto. — Romanas nuptias de quibus v. 27 seqq. sermo est, Eudoxiae, puellae Augustae, esse suspicor, quas

insessor Libyes, quamvis, fatalibus armis p. 184.
ausus Elissaei solium rescindere regni,
milibus Arctois Tyrias conpleverat arces,
nunc hostem exutus pactis propioribus arsit
Romanam vincire fidem, Latiosque parentes
adnumerare sibi, sociamque intexere prolem.
sic tranquilla togae recipit dum praemia ductor,
p. 14 pacatamque iubet lituos nescire curulem,
ipsa triumphales habitus mirantia passim
bella dedere locum. Scythici iuvat axe subacto
cardinis, arcanis lustrare securibus urbem.
ipse pater Mavors, Latii fatalis origo,
festa ducis socii trucibus non impedit armis.
tela dei currusque silent; vacuique iugales
pabula Rifaeis retegunt abstrusa pruinis.
exarmat Bellona comas, galeamque remittens
pulvereum glauca crinem praecingit oliva,
cristatamque docet foliis mansuescere frontem.
hanc tot bella tibi requiem, Romane, dederunt:
pax armis accita venit. Victoria semper
ductoris sociam traxit praelata curulem.
post lauros rediere togae, meritumque secuti
alta triumphorum relegunt vestigia fasces.
nec certare valent: vincit sua praemia virtus,
succèssumque labor superat. quae munera fati
acta viri pensare queant? an nomina rara

* * * ||

iam tum Geisericus filio suo Hunerico expetiverit; cui post aliquot annos infelix captiva pro belli praeda cessit. — ad v. 50. Partes carminis, quas, a 50 usque ad 143 versum numeratas, media iis interposui quae in eo foliorum pari exstant quod nunc in codice paginas 194 a, b, 183, 184 exhibet, ad idem panegyricum carmen pertinere manifesto apparet: locus quem iis assignavi a coniectura pendet. nam cum reiecto altero pari in alium quaternionem, nimis longe ab initio distarent quae mox post praefationem locum habere debeat, sic coniicio: alterum par extremum quaternionis fuisse (numerus enim, rescissa ima ora, exstare nequit), alterum in eodem tertium; ita et secundum et medium intercidisse. — Narraverat poëta, vulgata fictione, divam aliquam Romanae rei publicae infensam (*divam nocentem* v. 69) pacem turbasse quae orbem terrarum obtinuerit. iam vero de pace annosa, praesertim illis temporibus, verba fieri prorsus mirum videtur. — A prima manu

.... et Nili populis ploratus *Osiris.* p. 15
despicimur: sic cuncta mei reveren*tia regni*
alterna sub sorte perit. depellim*ur axe,*
nec terris regnare licet. nec inulta *feremus*
haec tamen; et nostris aderit sors iust*a querellis.*
eliciam summo gentes Aquilone r*epostas,*
Fasiacoque pavens innabitur hospit*e gurges:*
confundam populos, regnorum foede*ra rumpam;*
nobilis et nostris miscebitur aula *procellis.*
haec ait, et pigros Zephyris invecta t*riones*
nubila Rifaei penetraverat algida *montis.*
hic curva sub rupe sedens crude*lis Enyo*
texerat annosa refugum sub pace f*eretrum.*
huius luctus erat quod sit sine lucti*bus orbis;*
laetis maesta gemit. squalent infor*mia taetro*
ora situ, siccique rigent in veste cruo*res.*
dura supinato pendent retinacula *collo;*
languet apex galeae, clipei nec trist*is in orbe*
lux rubet, et totae pereunt mucroni*bus hastae.*
hanc ubi diva nocens liquido de tram*ite vidit,*
desilit, et tali residem licet excitat or*su.*
quis miseros, Germana, tibi sopor ob*ruit artus* p. 16
pace sub inmensa? quoniam tua pecto*ra somno*
mersit iniqua quies, inopes tua classic*a* .... || p. 193 b.

*

*

*

indue mortales habitus, tege casside *vultus;*
urge truces in bella globos, Scythicasque faretras
*egerat i*gnotis Tanais bacchatus in oris.
*aeratas pros*terne domus, et operta metallis

v. 51 *despicimus*, v. 56 *parens* scriptum fuerat. v. 61 cod. *sub puppe* habet; neque emendator mendum sustulit, quod evidens est. supplementa argumentis confirmare taedii plenum foret: neque iniqua postulatio est ut, qui ea sibi displicere dicent, exponant cur ita sentiant. equidem quoties haesitarem, supplementis omnino abstinui. quae in hac iterata editione v. 52 et 53 posui, Leopardio debentur. — v. 74. Huius, ut supra v. 50 et infra v. 170 et 197, reliquiae dimidiatis litteris, imo vix certis litterarum vestigiis constant. — v. 77 pro *aeratas* maluissem *marmoreas*, sed litterarum

culmina, *quae* toto Latii conspeximus orbe.
una omnes in tela ruant: gravis ardeat auro
balteus; *a*uratae circumdent tela faretrae;
*aurea cris*patis insidat lamna lupatis;
includant gemmae chalybem, ferroque micantes
*fulgens a*uratis facibus lux induat enses.
*moenia n*ulla tuos valeant arcere furores:
*Roma ipsi*que tremant furialia murmura reges.
tum superos terris atque hospita numina pelle:
*Romanos p*opulare deos, et nullus in aris
*Vestae ex*oratae fotus strue palleat ignis.
*his instru*cta dolis Palatia celsa subibo;
*maioru*m mores et pectora prisca fugabo
p. 17 *funditus*: *at*que simul, nullo discrimine rerum,
spernantur fortes, nec sit reverentia iustis.
*Attica n*eglecto pereat facundia Phoebo;
*indign*is contingat honos, et pondera rerum
*non virt*us sed casus agat tristisque cupido;
pectoribus saevi demens furor aestuet auri;
omniaque haec sine mente Iovis, sine numine summo || p. 193.

* * *

et placidus sub pace pudor. non proelia mandet
sed gerat, et priscis instauret fata triumfis.
quem non praeda docens aurique insana cupido
cogat inexhaustis animum permittere curis,
sed ferri laudandus amor, Latiique cruoris
indocilis iugulisque madens hostilibus ensis,
indomitum mitemque probet. nec vota cadebant
in dubium; notumque fuit quem posceret orbis.

numerum computare debebam; quo spectato pro supplementis v. 87 et 92 alia mallem, ut pauciores litterae sint: verum de sensu non ambigo. v. 82 cod. *calybem.* v. 91 pr m *discrime.* v. 93 cod. *neclecto.* post v. 97 intercidisse videntur duo folia, paulo amplius centum versibus. — Excitata Bellona rebusque Romanis ad summum discrimen redactis, omnes consentiunt uno Aëtio duce rem publicam stare posse. — v. 100 *docens* in cod. sic exstat: ubi h. v. a pr m *insanias*: v. 101, *curvis* legebatur. v. 103 *ensis Latii cruoris indocilis*, intelligendus est qui eo nunquam imbutus fuerit. — v. 104 pr m *cedebant.* — v. 108 pr m *repperiere* (quod emendator in *red-*

Aëtium coniunctus amor populique patrumque
et procerum mens omnis habet; nec dicere mussant.
reppetiere palam iam quod sententia mundi
cunctorumque fides nullis auctoribus ambit: p. 18
fata iubent. aderat studiis iuvitque favorem
nota viri virtus et magni gloria patris.
nam claro genitore satus — sed forte parentem,
caedibus Arctois et iusta sorte potitum,
callidus et falsa tectus prece perculit ensis,
Mercatum vita leti decus. haut secus olim
pugnaces Fabii patria pro gente cadebant,
et Decius, propero lucem qui fine refudit,
sed famam sine fine tenet: nam mortis amorem
pensat laudis honor. tanti sibi conscius heros
sanguinis, emeritum praestantibus innovat actis || p. 188.

*

*

*

ut vix prona novis erexit gressibus ora,
primaque reptatis nivibus vestigia fixit,
mox iaculum petiere manus, lusitque gelatis
imbribus, et siccis imitatus missile lymfis
temptavit pugnas, tenerosque ad proelia ludos
imbuit, et veras iam tunc respexit ad hastas.
nec mora: cum Scythicis succumberet ensibus orbis
telaque Tarpeias premerent Arctoa secures,
hostilem fregit rabiem, pignusque superbi
foederis et mundi pretium fuit — hinc modo voti
rata fides, validis quod dux premat impiger armis
edomuit quos pace puer —, bellumque repressit, p. 19
ignarus quid bella forent. stupuere feroces

petiere mutavit), et *sentia*. — v. 110 pr m *studiisq. iuvatq*. — v. 111 seqq. Gaudentius magister equitum. quae de eius morte hic traduntur, nova sunt. — v. 122 pr m *repitatis*. — Aëtius natus erat Dorostenae, in oppido Moesiae, quam Renatus Frigeridus Scythiam vocat, rigidissimarum hiemum terrae. — v. 127 cod. *Scyticis*. — v. 129 seqq. De Aëtio Alarici obside v. Carm. III v. 41 seqq. v. 131 pr m *ratae*. — Post v. 143 iterum ampla

in tenero iam membra Getae. rex ipse, verendum
miratus pueri decus et prodentia fatum
lumina, primaevas dederat gestare faretras,
laudabatque manus librantem et tela gerentem,
oblitus quod noster erat. pro nescia regis
corda, feris quanto populis discrimine constet
quod Latium docet arma ducem! sed nomine natum
nuncupat, et mavult naturae dicere pignus
quam pacis. tali teneros sub iudice primum
gaudebat studiis flammare ferocibus annos || p. 187.

* * *

Teutonicum Latiis hostem cum st*erneret armis*, p. 194 a.
tunc ad bella rudem nec adulto *Marte ferocem*,
ille tamen magnis opibus, Romaque vir*ente*,
Gallica bis quinos certamina traxi*t in annos*;
et senior post bella redit. nunc glo*ria maior*,
quod iam barbaricae mutatos semi*ne terrae*
et bellare pares, uno quod tempore *vicit*;
quod clausos castris hostes supera*vit*, *et arma*
quae quondam victoris erant hic dex*tra recepit*
p. 20 magnanimi luctata ducis. nam claus*tra vetabant*
et turritus apex ingestaque moenia *caelo*,
naturam cumulante manu. nec signi*fer ullus*
illic, turba fuit: longo sed tempore *castris*
barbaries iunctis occasum miscui*t ortu*.
stat clypeis vallata cohors, hastilia *torquet*;
ense minax, volucrique nocens per in*ane sagitta*.
nobile non animis, sed non ignobile *factis*
vulgus inaequali iustus Mars sorte *peremit*.

lacuna incidit. — v. 144. De Divo Iulio sermo est, cuius bella Gallica cum rebus ab Aëtio in eadem provincia gestis conferuntur. in iis quae a versu 148 sequuntur, hoc clare video de bello agi quo Aëtius in Gallia ferocium hostium manum superaverit, Bagaudarum puto, conflatam ex barbaris rusticisque exulibus. hanc colluviem indicat v. 157; eamque in resarciendo v. 149 cogitavi. apparet oppugnationem castelli, quo Bagaudae post acceptam cladem se contulerint, describi. v. 150 moveor ut *unum tempus* de uno *anno* accipiam, ut recentioribus Graecis χρόνος pro ἔτος valet. v. 155

invius hinc vertex manibusque et moenibus *extat*,
inde ducis virtus bellum domitur*a perenne*.
ergo immite fremens coniuncto ro*bore ductor*
naturae certare parat. cadit agmin*e facto*
silva ferox: nudi mirantur sidera *fontes*,
ignotumque vident montana cubilia *caelum*.
texitur in turres abies, et vincere *montes*
iussa renitentes exterret culmin*e nubes*.
.... los crevere viae quas vique *manuque*

*

*

*

Patricius longis in caelum molibus urget, p. 194 b.
*viciniś*que iubet socios consistere castris.
iam nullus sine Marte dies, nos omnis in armis.
emicat obscuras bellatrix pinna per umbras
*illatu*ra neces; et mors incerta tenebris
fertur, et indubia quamvis sub sorte cruorem
spargunt, *i*gnaros fatorum lumine cursos p. 21
*caeco te*la regunt, et letum errantia portant.
*inde sub*actorum bello pars magna reorum
dedere se tardata *par*at, sensimque recepta
*detrect*are minas: etiam discordibus armis,
*dum pars b*ella gerit, veniam pars poscere gestu,
*pars proper*are fugam, donec penetrata labore
*longo v*ictrices hauserunt moenia flammae:
*carminaque op*tatam en victis dant ultima famam
qui saevo sub Marte cadunt: sed carmina tandem
sancta cruentatos vertant ad foedera cantus.
qui dum bella sonant, semper memorabitur hostis;
*et sat la*udis habet cui tot praemisimus arma.
*est mun*di longaeva salus, qua vindice tutam

cod. *natura*. v. 162 pr m *vertix:* tum *manibus et*. v. 165 cod. *gadit*. v. 177 *cursos*. sic cod. v. 178 initio versus in membr. a pr m *aa* exstare videtur. v. 186 pr m pro *sed*, *sub* scripserat, omissum scilicet ante *Marte*. v. 187 ad foedera Aëtii dicenda ita transit, ut foedere diversarum rerum

*exer*cent elementa fidem; qua conprimit undas
Vulcanus; noctisque vices lux alma recondit;
flammea nec siccas urit Titania terras.
... *popu*lis quae iura dedit, quae condidit urbes
.... vixit Latium post bella Quirini
.... c . ato animam virtute Quirinum
.. *gres*sus geminos oris nunc m ... ||

naturae compagem stare doceat. v. 195 de Numa, foederum et pacis auctore, sermonem esse apparet.

C O R I P P I

R E L I Q U I A E.

FLAVII CRESCONII CORIPPI
AFRICANI GRAMMATICI
IOHANNIDOS
SEU DE BELLIS LIBYCIS
LIBRI SEPTEM.

PERIOCHAE QUAS IN FRONTE COD. MS CARMINUM CORIPPI RUIZIUS INVENIT.

1. Praefatio, in qua poëta Iustini imperatoris laudes exsequitur.

2. Dum Avares vel gentes alias subditas Iustino commemorat, ad eius laudem refertur edomita ferocitas barbarorum.

3. Iustinum Sophiamque dicit dignos imperio, a quibus subiectae gentes foedus pacis expostulant.

4. Propitiari sibi vates principem deprecatur, ut fessum senio et calamitatibus implicatum praestanti regat pietatis intuitu.

2. Barthius *Advers. l.* 25 *c.* 3 Dempsterum damnat, quod has periochas in sua Corippi editione omiserit: *faciunt enim*, inquit, *ad auctoris sententiam apprime bene, et perveteres esse ex genere dicendi et industria sua apparent.* praeterea nonnullis etiam notis eas Barthius exornavit, quas aequum duxi non praeterire. nequeo tamen eruditissimo viro adsentiri existimanti ab ipso Corippo carminibus suis praefixas et a glossatore aliquibus in locis immutatas fuisse. intercisae autem sunt, et praesertim doleo in fine esse mutilas, ex quo incompertum manet quot libris totum opus Corippus compleverit. cum enim initia imperii Iustini tribus libris celebraverit, totidem etiam eius consulatum celebrasse suspicor. *Fogg.*

4. In prima periocha praefationis nomine argumentum ponitur Fragmenti Carminis in laudem Iustini. quod eo lubentius dico, ne quis inserendos operi istius fragmenti versus putet, quod faciebat olim Helias Putschius, cuius coniecturas aliquot ad nos misit, dum viveret, perquam nostri studiosus Goth. Iungermannus. *Barthius.*

9. Inepte *praestanti:* quid enim hoc ad aerumnas Corippi? praesens vero numen est quod in praesentia opitulatur. Sammonicus Serenus: *depellit tetros praesenti numine morbos.* vide plura alibi ad Petronium. ex stilo vero penitius considerato non alium quam Corippum ipsum harum periocharum auctorem puto. nec indignetur, qui grammaticum titulo praefert, officium suum etiam in propriis poëmatis fecisse. *B.*

3. Commemorat auctor eos quorum exhortatione carmen hoc in laudem Iustini conscripserit.

4. Iustiniani obitum artificiose poëta introducit, ut ex consulto senatus Iustinum avunculo condignis laudibus.

5. Ubi conlacrimans Iustinus, et de morte Iustiniani. dum sopor oculis irrepsisset, per quietem vidit sanctam Mariam virginem imperium sibi decedentis avunculi surrogare.

6. De Iustini aedibus Calinici concitatis impulsu, ut aditus daretur senatui imperatorem Iustinum eligere, et custodis ad strepitum cum indignatione responsis.

7. Descriptio domus Iustini. quam pretiosa visu et operoso fuerit labore constructa ***rit, ut ad honorem Iustini quam propere convenirent.

17. Quid Circus vel eius apparatus significent, hic poëta admirabili ratione complectitur.

18. Dicit hic qui primum quadrigas iunxerit; et quod vana superstitio paganorum deum solem putaverit; qui tamen honor solis postea Romanis delatus est.

19. Amore Iustiniani populus incitatus Iustinum heredem regni favore laudis exsequitur.

2. Haec nota ad primum iam librum Corippi pertinet, cuius sex marginales distinctiones sunt omissae. *B.* praetereaque perierunt etiam intermediae Periochae carminis panegyrici ad Anastasium. *F.*

4. Quae hic desunt suppleri debent: *commendatum successisse doceat.* nam Iustinum senatui a moriente Iustiniano commendatum traditur l. 1 et l. 4. *B.*

5. Excidit ordo narrationis ex libro primo. adfuit senatus Iustino, et de infirmitate avunculi narravit, ipsumque successioni admovendum dixit. cui sermoni conlacrimavit Iustinus. haec desunt in lacuna illa bene magna. cetera iam apparent. haec si considerasset Putschius, abstinuisset insertionis de fragmento opinione, quam longis alioqui ambagibus asserere voluit. Maria vero a Corippo poëtarum veterum imitatione introducitur, qui diis suis cum principibus magnam familiaritatem faciebant. utinam vero Graeci scriptores in talibus minus poëtae essent, quorum libri posteriori aevo fecundi istarum rerum sunt. *B.*

6. Exactius haec intuens monachum glossatorem videbis. poëta enim Pietatis simulacrum caelo descendere facit, familiare ut velut perpetuo Iustino. ille vero beatam virginem ex eo concinnat. nec inde minus horum auctor Corippus esse possit ipse: monachi enim diu imperium in bonas litteras mutandi omnia, tyranni veri, habuerunt. melius aevum spirat phrasis quae sequitur c. 6: *ut aditus daretur senatui imperatorem Iustinum eligere;* quod monachus sane aliter extulisset. *B.*

11. Vonckius recte correxit *speciosa visu.* *F.*

18. Adde *principibus.* *B.*

IN LIBRO II
CONTINENTUR HAEC.

1. De conventu et intentione populi cernere Iustinum principem cupientis.

2. Non prius Iustinus Sophiaque regalia signa sumserunt, nisi pia thura sanctis offerentes altaribus precibus dominum exorarent.

3. De apparatu vestium Augustarum vel reliquis ornamentis, quibus ad percipiendum regnum Iustinus emicuit.

4. Iuxta primorum ritum quatuor iuvenum manibus in clipeum Iustinus ad regnandum attollitur.

5. A Iohanne pontifice Iustinus sacro diademate coronatus imperator efficitur; et senatorum vel totius populi vocibus, cum Sophia pariter, laudibus efferuntur.

6. Quibus verbis Iustinus senatum est allocutus, postquam solium conscendit imperii.

7. Iustinus, magno stipante senatu, in publicam rem, populum de emendatione operum ac futuris donis alloquitur.

8. Iustiniani imperatoris syngrapha creditores Iustini vultibus cum lacrimis repraesentant; quibus ille miseratus debitum persolvit avunculi, atque multos crimininibus implicatos a carcerali iubet custodia relaxari.

3. Supposititium est argumentum primum libri 2. nec una vox quidem in tribus primis eius libri capitibus, quae ad conventum et intentionem populi Iustinum videre cupientis possit traduci. *B.* luxatam potius crediderim hanc periocham, et fuisse 16 libri primi.

8. *vel* huic scriptori *et* sonat, estque Graecismi imitatio: in ea enim lingua ἢ nonnunquam *καί* sonat. vide quae notat Andreas a Lacuna ad Dioscoridem. sic l. 1 perioch. 17: *quid Circus vel eius apparatus significent*. *B.*

10. Emenda *iuxta priorum*, imperatorum videlicet. de ritu ipso vide eruditissimi Pithoei adversaria. eam scripturam veram esse docent marginalia quoque argumenta a Ruizio ex antiquo libro adnotata; quae sane omittenda non erant editori alteri. *B.*

12. Glossam haec olent. Iohannem enim Romanum pontificem haec ingerunt, cum haud dubio alias patriarcha scriptum foret. nota epistola Iohannis ad Iustinianum, et notae ad eam Iureconsultorum. *B.*

18. Vocem *operum* ex glossa esse puto et eiiciendam. nam *emendatio morum* et reipublicae a Iustino proponitur, quam ad *bona opera* iste retulit. est vero *emendatio* correctio status publici, saepe ea voce a scriptoribus intellecta. sic tamen Corippus loquitur 2 158. sed in alia re. *B.*

20. *miserari* cum dandi casu usurpat. quae ne quis aliter capiat ipsum 2 9 ita locutum notet. *B.*

IN LIBRO III CONTINENTUR HAEC.

1. More patrum Iustinus funus decedentis avunculi regiis opibus exornat, chorique ministerio supremum honorem concelebrans corpus eius aureae tradidit sepulturae.

2. Post luctum populus pristina laetitia iucundatur, honoris frondibus aedium postes exornat comitque limina, et in laudem Iustini Sophiaeque multiplici clamore persultat.

3. Egregios apparatus imperialis convivii poëta describit, et in magno deliciarum luxu sobrietatem et temperiem Iustini; collaudatque avunculi recordationem, nec inter epulas dilectione solita patitur oblivisci.

4. De consummatione convivii; et pro re publica curas regiae sollicitudinis; atque poëtae precibus pro sui carminis perfectione Sapientiam implorantis.

5. Exornata Augusta domus regentis imperium; et coactis proceribus omnis ordo Palatinus per officium, cultumque disponitur urbis; Romanaque potentia cunctis praeeminere gentibus praedicatur.

4. *chorus* pro collegiis sacerdotum et clericorum ponitur. Corippus ipse 3 42: *virgineus sonat inde chorus.* *B.*

7. Eleganter *frondes honoris* appellat, quae a depulso luctu festo quodam publico in honorem principis aedibus praefigebantur. multa de his docti, et nos ad Virgilium et Claudianum. *B.*

12. *oblivisci* passive positum. Virgilius: *oblita mihi tot carmina.* Boëthius 4 1 de consolat.: *eaque mihi, etsi ob iniuriae dolorem nuper oblita, non tamen antehac prorsus ignorata dixisti.* *B.*

13. Scribe *curis*. inibi quoque glossa est: *Sophiam* enim *deprecantis poëtae* scripserat auctor priscus. quod nomen reginae interpretabundus monachus *Sapientiam* substituit, licet auctore non nimis invito, qui in talibus lusit etiam. *B.*

16. Transposita sunt verba. scribe: *exornatur augusta domus coactis proceribus, et omnis ordo palatinus etc.* apparet vel ex ultimo hoc superstitum capite stilus hominis eruditi, qui talis singulis phrasibus videri velit, hoc est talis quem bona fide Grammaticum appellare possis. atque haec hactenus, ut vita saltem servetur his periochis, quae in secunda editione omissae tandem plane intercideant, nisi vindicentur, dignae tamen vita semel adepta potius quam oblivione feliciter post multa saecula expugnata. *B.*

19. Etsi hoc loco superiora cum sequentibus in ms exemplari cohaerebant continenterque legebantur, manifestum procul dubio est deesse medium fere indicem capitum huius tertii libri integrumque quarti; quem tamen ex ipsius Corippi margine restitui minime placuit, quod ab auctore brevior aliquanto appositus ibi fuerit. quin etiam principium praefationis Corippi ad Iustinum Augustum manifesto deest. cuius iniuriaè causa non oscitanti aut indocto descriptori tribuenda videtur, qui fortassis antiquius exemplar libri, unde describebat, folio uno mutilum iam illo tempore nactus fuerit. *Ruizius.*

PRAEFATIO

AD PROCERES CARTHAGINIENSES.

Victoris, proceres, praesumpsi dicere lauros:
tempore pacifico carmina festa canam.
scribere me libuit magnum per bella Iohannem,
venturo generi facta legenda viri.
omnia nota facit longaevo littera mundo,
dum memorat veterum proelia cuncta ducum.
quis magnum Aeneam, saevum quis nosset Achillem,
Hectora quis fortem, quis Diomedis equos,
quis Palamedeas acies, quis nosset Ulyssem,
littera ni priscum commemoraret opus?
Smyrnaeus vates fortem descripsit Achillem,
Aeneam doctus carmine Virgilius;
meque Iohannis opus docuit describere pugnas
cunctaque venturis acta referre viris.
Aeneam superat melior virtute Iohannes,
sed non Virgilio carmina digna cano.
maxima ductoris, quod sum temerarius, acta
virtutesque viri victaque bella docent.
nutat in angustum discors fortuna poëtae:
laureus inde furor, pallidus inde timor.
concitat ad cantus series fidissima rerum:
incalui gestis frigidus ingenio.

1 victoris *codex Montecassin. ap. Foggin. praef. p.* X: *Trivultianus* (*T*) victores. 7 noscet *T*, *qui ubi simpliciter memoratur, emendata lectio Mazzucchellio debetur.* 9 palamedas *T* 13 pugna *T* 17 sim *Mazzucchellius* (*M*) 18 donant *T*, canam *M* 21 cantum *L. de Bonis.*

doctorum ingenium docto non carmine canto,
  et retinet linguam torpor in ore meam.
quid   ignarus quondam per rura locutus,
  urbis per populos carmina mitto palam.
forsitan ex fracto ponetur syllaba versu:
  confiteor: Musa est rustica namque mea.
nempe admittenda est dicendae gloria laudi:
  fraudabor solus munere, nulla canens?
concitat ora magis, pulsus de pectore, terror:
  laudibus immissis sit favor ore meo.
quos doctrina negat, confert victoria versus:
  carminibus fessum gaudia tanta levant.
gaudeat in multis sic se Carthago triumphis:
  sit mihi rite favor; sit, rogo, vester amor.
rustica Romanis dum certat Musa Camenis,
  ductorem nostrum fama per astra vehit.
si placet ut primi recitem mea dicta libelli,
  tunc meritus iussis carmina prima cano.

25 quidni si ignarus *Mazz.* *ibid.* lucutus *T et hoc loco et* 2 336, 3 12 et 53. *ita* conglumerans 5 484, curnu 2 446, muriturus 4 202, muuet 4 425, uliuam 3 72 et 256. 32 oro *T* 34 levans *T* 38 doctorem *T* 40 nunc meritis *M*.

LIBER PRIMUS.

Signa, duces gentesque feras Martisque ruinas,
insidias stragesque virum durosque labores,
et Libycas clades et fractos viribus hostes,
indictamque famem populis laticesque negatos,
utraque letifero turbantes castra tumultu,
turbatos stratosque cano populosque subactos,
ductorem et magno signantem facta triumpho.
Aeneadas rursus cupiunt resonare Camenae.
reddita pax Libyae bellis cessantibus astat,
certior et geminis fulget victoria pinnis.
iam pietas caelo terras prospexit ab alto.
iustitia comitante simul concordia mundum
laeta fovens reficit, geminis amplexa lacertis.
has inter medius solio sublimis ab alto,
Iustiniane, tuis, princeps, assurge triumphis,
laetus et infractis victor da iura tyrannis:
inclita nam cunctos calcant vestigia reges,
laetaque Romano servit iam purpura regno,
sub pedibusque tuis victus prosternitur hostis,
et gentes fera vincla ligant, nodoque tenaci
post tergum implicitas stringunt retinacula palmas.
saeva superpositis plectuntur colla catenis.

oraque per centum producant pectora cantus,
non mihi sufficerent sensus, non omne canenti

2 stragesque *codex Budensis*, strages *T* 8 libyae clades ac *Bud.* 11 piceas *T* 13 refecit *T* 14 as *T* 16 letus etiam fractis *T* 17 vestia *T*.

ingenium lati volitans per devia mundi.
summatim illa canam: summis haec laudibus apta.
  Africa sub magno nutabat fessa periclo:
nam fera barbaricis rabies exarserat armis,
insidiis, ferro, flammis populisque superba,
omnia succendens direptae moenia terrae,
captivosque trahens cunctis e partibus Afros.
iam nullum discrimen erat: non vatibus ullis
parcere, nec senibus potuit concedere fessis
quisquis honos busti. iacuit tunc omne cadaver
confossum gladiis. natis fas non fuit ullis
corpora caesa patrum congestae subdere terrae,
vulnera nec lacrimis permissum infundere iustis.
dum pater opprimitur, nati coniuxque trahuntur,
diripiuntur opes. virtus premit improba Martis,
et pia desertae linquuntur funera terrae.
nobilis et pauper casu rapiuntur in uno.
luctus ubique sonat, terror tristisque per omnes
it metus, et duris turbantur cuncta periclis.
quis lacrimas, clades, praedas, incendia, mortes,
insidias, gemitus, tormentum, vincula, raptus
explicet, aut miseros possit numerare dolores?
tertia pars mundi fumans perit Africa flammis.
  Iamque pius princeps volvebat pectore curas
pensans, et nostras meditans quem vellet in oras
ductorem mandare ducum summumque magistrum
militiae, tantam cupiens fulcire ruinam.
cuncta revolventi solus virtute Iohannes
consilioque placens fortis sapiensque videtur.
gentibus ipse feris concurrere posse putatur
solus, et infestas acer prosternere turmas.
quippe viri decus et praeclari signa laboris

26 haec] et *M* 28 barbariis *T* 30 diretta *T* 36 surgere *T* 37 fundere *T*, correxit *Lachmannus* (*L*) 43 it] et *T* 44 et 45: cf. 2 75, 4 223 et 586 et 592, de laud. Iust. 3 74, 4 44. qualibus versibus cum alii eius aetatis poetae delectantur tum incredibilem in modum Sidonius, cuius v. carm. 1 10; 2 201 et 414—5; 5 208, 336, 475—7; 7 80—2, 249, 257, 323; 15 141—3; 16 49 et 82. 49 meditans *L*, moderans *MT* 55 infessas *T*, infensas *M*.

victaque bella placent regni graviora superbi,
expulit ut Persas, stravit quo vulnere Parthos
confisos turbis densisque obstare sagittis,
tempore quo lati manarunt Nitzibis agri
sanguine Persarum, Parthoque a rege secundus
congressus Nabedes, fretus virtute feroci,
amisit socias ipso superante catervas,
effugiensque suas, actus formidine, portas
claudere vix potuit, mediamque in Nitzibis arcem
Romanos erupit eques, victorque Iohannes
Persarum excelsas concussit cuspide portas.
  Principis ante oculos discurrunt cuncta fidelis
fortia facta viri: pensat versatque labores,
Theudosiupolin ut densus vallaverit hostis
obsidione gravi; noctis celer ille per umbras
ut veniens dubiae succurrit moenibus urbis,
hostes per medios portas ingressus amicas;
territus utque pedem muris subtraxit ab illis
ingens Mermeroës; densisque ut saevior armis
ardua sidereo cingentem moenia muro
inde Daras ausus ductor, qui signa regebat,
appetere et bello Latias tentare phalangas.
sed postquam primam vigilans ex hostibus urbem
eripuit ductor, fugientes inde secutus
occupat ante vias atque omnes vindicat agros,
ne popularet atrox aut quemquam laederet hostis.
primus et obtinuit celsi munimina muri,
nec passus differre diu: nam protinus hosti
fortior in medios ausus concurrere campos,
perculit innumeras felici Marte catervas
egregiosque duces et iunctas foedere gentes.
Parthorum dominum victum versumque fugavit

60 mandarunt nuzibis acri *T*   61 secundos *M*   62 Nabedes] nunc habet *T*, nec habet *M*   63 admisit sotias *T*   65 medieque in Nitzibis are Romanus irrupit *vel* dirupit *T*: mediaque in Nitzibis arce irrupit Romanus *M*. *correxit L*   70 Theodosioypolin *MT*   76 cingebat *M*   77 claras *T*: cf. 2 119, 4 235 et 545.   *ibid.* quasi *T*   82 ne] neu *apud M*   *ibid.* ledere.   84 hostis *T*   85 visus *MT*   *ibid.* est currere *T*.

Mermeroën. acies Romanum effusa sequentem
tunc metuens, manibus gladios phalerasque nitentes
quisque suas medios fugiens proiecit in agros.
indecus in cunctis ensis fulgebat arenis
vaginaeque leves, hastae clipeique comaeque,
corporaque et mistus sonipes tellisque superbi
armigeri iacuere ducis. iacuisset et ille
prostratus campis, ni vivum prendere vellet
ductor magnanimus. victus tamen ardua vidit
moenia Mermeroës, paucis comitantibus intrans.
tunc astans mediis dominum benedixit in arvis
urbicapus sapiens, quem primum maximus orbis
imperialis apex famulum rebusque fidelem
tunc habuit, lectumque in nullas miserat oras
noscere quae saevi fuerant discrimina belli.
hic ubi victores Romanos fervere vidit
atque hostes vastos pavitantes ire per agros,
extendens geminas pariter cum lumine palmas
ad caelum sic laetus ait "tibi gloria semper,
summe deus, victos tandem post tempora Persas
cernere quod merui nostri virtute Iohannis."
  Hos versans princeps animo tunc saepe labores,
hunc solum Libyam oppressam defendere posse
matura pietate probat; nec plura moratus
iussit ab extremis acciri partibus orbis
ductorem. placidus finis dimittit et hostis,
occiduas aditurus aquas; celerique iubentis
implevit praecepta die, victorque recurrens
aurea Romanae tetigit mox limina portae.
principis ante pedes gaudens stetit ore sereno.
respexit famulum. pedibus celer ille benignis
oscula laeta dedit. paucis hunc orbis eoi
acta referre iubet. iussus, quae bella peregit,

89 memor enim campis romanum perfusa *T* 96 vinum *T* 99 armis *M* 100 urbicuius *T* 102 que in] quem *T*, quem ad *M* *ibid.* nullas] multas *M*. *an* eoas? 103 seni fuerat *T* 110 nos *T* 111 nunc *T* 113 iuxit et *T*: cf. 5 295 et 1 172, 2 160, 4 5 et 5 310, 4 281 et 1008 et 1149. *rursus* s pro x 3 430 et 6 440. *ibid.* extremis *L*, externis *MT*.

auribus insinuat placidis. gavisus alumno
imperialis apex optat sic vincere semper.
ilicet auxilio Libyam defendere mittit.
Principis imperiis onerantur milite puppes,
impensis armisque simul; pugnasque docendus
mittitur auspiciis domiturus bella magistri
tiro rudis magni. placidus iam tempore certo
carbasa ventus agens maturas fecerat undas,
navigiumque Thetis suadebat prospera nautis.
Maximus at princeps plena pietate magistrum
edocuit, sic verba movens. "res publica nostra
praemia compensat merito condigna labori
principe me; cunctosque iuvat, gradibusque potentes
esse facit, quoscumque viros bene currere sentit
pro terris populisque suis. nunc accipe dicta,
et causas cognosce libens, ac mente teneto.
Africa sub quantis iaceat miseranda periclis,
auribus in nostris sonuit. succurrere fessae
compellit pietas. placuit, fortissime, nostris
et visum est animis Libyam te posse tueri.
signa move, et celsas velox conscende carinas,
ac miseros solitis releva virtutibus Afros,
Languantanque acies armis prosterne rebelles,
sub nostris pedibus subiectum flectere collum,
compressum virtute tua. tu prisca parentum
iura tene, fessos releva, confringe rebelles.
hic pietatis amor, subiectis parcere, nostrae est:
hic virtutis honor, gentes domitare superbas.
haec mea iussa tenens, ductor fidissime, serva.
cetera Christus agat, noster dominusque deusque,
in melius referens, et te per cuncta gubernet
prosperitate sua. titulis melioribus auctos
pro meritis nos rite tuos videamus honores."
Procidit ante pedes, divinisque oscula plantis

125 honorantur *T* 128 lytorudis *T* 129 maturas *L*, moturas *MT* 132 sic *M*, haec *T* 136 que *add. M* 147 iura *M*, laurea *T* 149 domare *T* 152 immedius *T*, in manibus *M* 153 en sua, ut titulis ? 154 retecius *T*.

pressa dedit, lacrimisque rigans vestigia tinxit.
ductorem ipse pater cernens discedere princeps
condoluit, pietàsque animos concussit heriles.
Inde petens classem nautas hortatur ovantes
magnanimus ductor. deducunt litore puppes.
prima repercussis verruntur marmora tonsis.
solvunt vela citi, magnis clamoribus urgent,
horrisonoque graves laxant stridore rudentes
expanduntque sinus. placidis iam carbasa flabris
aurae impulsa movent: abscondunt alta carinae,
et latet angustum centum sub puppibus aequor.
prospera maturis crebrescunt flamina Coris,
impelluntque rates. aeratis aequora proris
proscindunt celeres; sulcantur marmora rostris;
spumea sub longis immurmurat unda carinis.
Classis traiciens angusto litore fauces,
Seston Abydenis dirimit qua pontus ab arvis,
Sigeasque volat ventis secura per undas,
et legit antiquae litus lacrimabile Troiae.
inclita tunc referunt Smyrnaei carmina vatis,
significantque locos alta de puppe priorum.
haec Priami sedes, domus haec Aeneia, longe
arboribus quae septa iacet. hic saevus Achilles
traxerat Hectoreum curru rapiente cadaver:
Demoleum hoc victor prostravit litore magnum
Aeneas proavus, celsae quo moenia Romae
nomen et imperii praeclarum auctore refulget
atque tenet latum dominantis foedere mundum.
cunctaque gesta canunt Argivi proelia belli,
concidit Hectorea Patroclus fusus ut hasta,
utque niger Memnon Pelidae vulnere victus;
flevit ut Aurora ingentis pia funera nati;
corruit ut mediis bellatrix virgo catervis
Penthesilea suis; Rhesus qua nocte peremptus,

165 ascondunt *T* 166 tentum *T* 171 traicias *T* 172 sexton abideus *T*, seston Abydenus *M* 176 priorem *T* 181 Aeneas, proavo celsae *L* 184 Argivo proelia bello? coll. 1 449. *an cum Lachmanno* Argivi et proelia belli?

Troilus utque puer forti congressus Achilli;
victor Apollinea cecidit qua lege sagitta;
quo Paris occubuit confossus vulnere raptor.
ultima post referunt exhaustae incendia Troiae
Aeneaeque fugam, tunc clarum nomine Iuli
ut puerum patremque amissa coniuge secum
navibus evexit, tot per vada caerula currens.
Audiit egregius narrantes proelia Petrus,
audiit ut pueri praeclarum nomen Iuli:
arsit amore novo pectus puerile legendi,
noscere bella volens. magna pietate movetur:
se putat Ascanium, matrem putat esse Creusam.
filia regis erat: mater quoque filia regis.
tunc pater Aeneas, et nunc pater ipse Iohannes.
haec meditatur ovans: pertentant gaudia mentem.
haec patri, haec famulis, haec omnibus ipse ferebat
per mare velivolum genitoris gaudia magni,
unica Romanis rebus spes altera, Petrus.
Labitur Aegaeum classis secura per aequor.
haud secus Adriacis undis ventisque secundis
ocius alta secat: Siculas mox contigit oras.
deserit aura rates, ventisque silentibus omne
immoto fluctu iacuit mare: lenior unda
litora nulla quatit. siluit tunc Scylla biformis,
latratus siluere canum: non ora luporum
compulit unda ciens ululantia reddere saxa,
quanquam hic alternae coëant confinia terrae
angustoque freto litus turbetur utrumque.
immotos fluctus nunquam placata Charybdis
continuit, liquidas revomens nec sorbuit undas.
lintea laxa cadunt, nulloque tumentia flatu
arboribus iunxere suis. tunc solvere funes
praecipiens sociis "portus intrate quietos"

190 husque *T* 193 exauste *T*, exustae *M* in indice coll. Lucan. 9 964. 194 clarum *L*, clari *MT* 197 narrantis *T* 198 audit *T* *ibid.* et? 219 remonens *T* 221 alboribus *T.* *idem* 7 516 albor, 4 755 celebrum, 1 307 et 4 92 clura, 1 357 conflactum, 1 348 ploras. *rursus* 3 380 fragello *et* 5 18 fragellis. 222 intrare *T.*

ductor ait. iussi celeres super omnia nautae
armamenta volant: currens hic vela resolvit,
colligit ille sinus; socios hortatur ovantes
dulcibus ille sonis, et cantu mulcet acuto.
dant animos clamore viri: vox ipsa labores
adiuvat et vires nautis et gaudia praestat.
Caucana Sicani iuxta iacet arva Pachyni,
litora curva tenens, cuius tunc ancora portus
Romanae classis morsu perstrinxit obunco;
et iam stelliferas maris asperat Hesperus undas,
inducens terris tetram caligine noctem.
hic dux magnanimus securus puppe Iohannes
carpebat somnos, cautus cum forte magister
ipse ratis placidos persensit surgere ventos.
discurrit puppes pubes festina per omnes,
armamenta parans; solvuntque a litore funes,
non exspectato iussu ducis: omnia nautae
vela levant, totis pandentes lintea flabris.
Iam medium pelagus ventis impulsa tenebat
classis, et extremo surgebat roscida caelo
producens Aurora diem, cum tristis imago
ductoris stetit ante pedes, cognata tenebris.
Maura videbatur facies nigroque colore
horrida, et obductis contorquens lumina flammis.
tunc sic orsa loqui. "quas classi tendis in oras?
in Libyam transire putas?" cui verba remittens
ductor ait "cernis nostras transire carinas,
meque rogas?" vultu minitans tunc tristis imago,
horrida sulfureis contorquens lumina monstris,
"non transibis" ait. sensit quod mente malignus
angelus ille fuit, claro deiectus Olympo.
nec timuit tamen ipse feras imitantia formas
ora viri. sequitur fugientem, et prendere certat.
ille manu densas aspergens ante tenebras,
pulvere commisto, tetrae caliginis umbra
ductoris turbabat iter. sed rursus ab alto

232 stelliferus *M* 233 tetram] terram *T* 247 classes *T*
253 oculo deiettas olimpho *T* 254 minitantia *T* 257 terre *T*.

aspectu placidus senior descendit Olympo,
candida sidereis gestans velamina peplis;
ac stetit ante oculos quaerentis tela Iohannis,
continuitque manum, sanctoque haec addidit ore.
"non furor in tantas animos sic concitet iras.
sperne malum bonitate tua; fuge, dira maligni
iurgia ne timeas." cui dux "pater optime" dixit
"virque dei, cernis certantem aditusque viarum
claudere nitentem." senior tunc mente benigna
haec ait. "o felix, vestigia nostra secutus
me duce carpe viam." sic fatus lumine magno
erexit placidus fulgentes lampadis ignis

tunc vero omnis iners dubia stat mente magister,
et ventis dat terga fugax, victamque fatetur
artis opem, nescitque miser quo flectere puppem.
nec breviata sinu sustentant lintea flatus.
non opus est ullis: deponunt omnia nautae
vela simul, ventisque rates undisque relinquunt.
sparguntur vario diversa per aequora cursu,
quo casus, quo ventus agens, nocturnus et error
forte trahit. saevum miseris fortuna minatur
naufragium: nullam credunt superesse salutem,
desperantque suam per aperta pericula vitam.
  Ingemuit ductor, mentemque ad sidera tristis
erigit; auxiliumque dei pietate magistra,
ut metus ipse dabat, lacrimis inquirit obortis,
pronus et exorans supplex his vocibus infit.
"omnipotens verbi genitor rerumque creator,
principium sine fine, deus, te cuncta fatentur
auctorem et dominum, et factorem elementa tremiscunt.
te venti nubesque pavent; tibi militat aër,
imperioque tuo nunc arduus intonat aether
magnaque concussi turbatur machina mundi.
tu scis, summe pater, tu praescius omnia nosti:

262 haec *add.* M   263 concitat T   270 exexit T   *ibid.* lampadas M   272 uitamque *apud* M   274 substant T   275 uelis M   279 sorte TM   281 suum T.

non auri cupidus, non ullo munere lucri
in Libyam compulsus eo: sed scindere bellum
et miseras salvare animas, haec sola cupido,
hic animis amor omnis inest. huc iussio tantum
principis alma trahit. noster te principe princeps
imperat. ipse tibi meritum debere fatetur
ordine servitium. tu illi nos subiicis omnes
et servire iubes: tua sum praecepta secutus.
aspice, sancte, favens, et nostros cerne labores
iam placidus, tantaeque pius succurre ruinae.
sin sua peccantem damnant delicta Iohannem
iudice te, quocunque alio me comprime leto,
pro Petro nunc parce meo." quo nomine dicto
haesit in ore sonus, tremuerunt pectora patris,
frigidiora gelu ceciderunt crura manusque,
membraque cuncta labant. lacrimas tunc fluminis instar
fundit, et ingentes gemitus ad sidera tollit.
Talibus orantis fletus et verba recepit
suspiciens dominus: validis mitescere ventis
imperat, et clauso frangi sub monte procellae.
effugiunt celeres tenuato vellere nubes:
sol redit, et claro rutilanti lampade caelo
emicat alta dies. explanat marmoris undas
iussio certa dei; venti venere secundi.
consurgunt laeti, turbantes omnia, nautae,
vocibus et placidis intendunt lintea malis,
implenturque sinus. socias tunc undique naves
accipiunt, totoque refulgent carbasa ponto.
iam propius propiusque volant; et prospera cursu
caerula sulcantes impellunt flamina puppes.
Prospexit tandem succensae litora terrae
ductor, et indomitas Martis cognovit habenas
nec dubium (nam vera ferunt incendia) monstrum.
volvebant venti crispantes vortice flammas,
et fumo commista volans super astra favilla

302 seruire *T* 305 proterio nunc parge *T* 306 exit *T* 312 clauso monteque procelle *T* 321 proprius propriusque *T* 324 harenas *M* 327 fauille *T*.

scintillas tenues summam spargebat in aethram.
surgit et in medio fervet iam flamma profundum,
omnia convolvens succensae robora terrae.
uritur alma seges cultos matura per agros,
omnis et augescit crescentem frondibus ignem
arbor, et in cinerem sese consumpta resolvit.
vertuntur miserae caesis cum civibus urbes,
cunctaque diruptis conflagrant moenia tectis.
haut aliter Phaëthon cunctis e partibus orbis
non bene concesso succenderat omnia curru,
flammivomis raptatus equis, ni fulmine summo
omnipotens genitor, terras miseratus, anhelos
disiunxisset equos, restinguens ignibus ignem.
Exarsit ductor miserae succurrere terrae,
plus solita pietate fremens, largoque rigavit
imbre genas. virtus solitis flagravit in armis,
iraque praecipites dictabat tendere gressus
in medios fluctus: prohibet natura volentem
et mista virtute modus, quo cuncta regendo,
inclita cum parvis pensans, commissa gubernat.
ocius adductas ad litora vertere proras
imperat, et notae laetus successit arenae.
Litora Byzacii paribus non alluit undis
opposita tellure salum. pars lenior aestu
plana iacet, curvis statio concessa carinis.
efficiunt portus nimium vada salsa quietos.
hic vis nulla Noti placidos extollere fluctus
mota potest; ventus liquidum non territat aequor.
pars pelagi quassatur aquis, ripaeque relabens
confractum scopulis latrat mare; pervia saxis
unda sonat, nigramque super diffunditur algam.
illic et Boreas tumidus graviorque procellis
Eurus ab extremo convolvunt aequora fundo:

328 ethera *T* 329 et in] etiam *T* 330 *an* comburens? *M* 334 miserie *T* 336 aut *T* 338 in *T*, *ut* 2 82. 340 restringens *T* 341 succurre *T* 346 modus *L*, modum *TM* 348 uertice *T* 350 bizarii *T* 351 salum *L*, saltim *T*, *quapropter M* tellure opposita saltim. 352 est cessa *T* 353 minius salsa unda *T*.

tunc pereunt miserae dirupto fune carinae,
et pelagi duros tabulae iacuere per agros
saepe ratis, putresque simul per gramina prorae.
hinc est quod metuunt fugiuntque pericula nautae
dira loci; portuque petunt vada tuta quieto.
Illo Romanae steterant in litore classes,
tempore quo Libycas tetigit Belisarius oras,
Vandalicas capturus opes; quos nomine portus
alterna pro parte Caput dixere Vadorum
antiqui nautae. veniens hic vela resolvit
dux quoque magnanimus simili virtute Iohannes.
felix ille locus, statio quo tuta Latinis
classibus atque secunda fuit. tunc ancora morsu
fixa suo tenuit securas litore puppes.
agnovit portus ductor fortissimus illos,
gavisusque locis digito monstravit ab undis,
et sociis sic laetus ait. "cum prima tenerent
ultrices haec arva rates, hoc litore primus
ipse solum tetigi, fretus iuvenilibus armis:
ex ducibus namque unus eram. cum sceptra tyrannus
Geilamir in Libycis tenuisset perfidus oris,
has Romana manus primo pede pressit arenas;
hic Libycas potavit aquas, hoc margine fossas
tunc posuit primis veniens exercitus armis.
ille procul tumulus, vicinis proximus undis,
cernitis ut molli congestus crescat arena
mobilitate Noti? ductor Belisarius illic
altius imposuit cunctis tentoria signis,
quem circum posuere duces mistique tribuni.
hoc ego, germano pariter comitante beato,
castra loco tenui. sors, heu, durissima fati,
humanis inimica bonis! o gaudia fratrum
quanta rapit subito veniens mors saeva piorum!
qua virtute fremens germanus perculit hostes
ille meus, sociosque bonus qua mente regendo

364 que *add. M* 365 portisque *T* *ibid.* quiete *T*. 377 dum *MT*
379 iuvenibus *apud M et hoc loco et in indice.* 385 tumidus *T*
395 sociusque *M.*

continuit, quantumque virum res publica flevit!
non belli rapuit fratrem fortuna potentem,
cum totiens victor saevo remeasset ab hoste.
heu, superas mors dura pios! genitoris imago
Pampus eras natique. mihi solatia tanti
digna mali; victor Stygias quod despicis undas.
haec loca me fratris memorem fecere beati,
et lacrimas movere meas. quae bella peracta
prisca viri, deus ipse mihi meliora secundet.
sit locus hic felix, illo felicior anno,
prosperitate dei. tamen haec quo tempore castra
imperfecta manent tanto in discrimine belli,
quot populis subtracta salus! victoria signis
si faveat per bella meis, ego coepta replebo
munimenta loci firmo solidata metallo."

Sic fatus doluit desertas civibus urbes
et vacuas tacuisse domos, Libycasque ruinas
ingemuit miserans, solvique a litore funes
iussit, et optatis concessit lintea ventis.
tertia lux Tyrios oculis post tempora muros
obtulit, et fessae ductorem reddidit urbi.

Litora vix primis figens vestigia plantis
contigerat: campis acies exire iubebat,
praecipit atque duces densas componere turmas,
signaque ferre iubet. summus dolor incitat iram:
terrae quippe dolens, quam viderat ipse, ruinam
castra movet. iussis parens excita iuventus
deposito torpore micat, omnisque resumptis
bella petit miles gladiis. tunc aere recurvo
aspera raucisoni succendunt proelia cantus.
iamque novem latis erumpunt agmina portis,
cunctaque ferratas effundunt moenia turmas.
hinc equites veniunt: peditum pars lenta movetur
mille viis, pulsuque pedum gemit arida tellus.
qualiter ille favis pulchri regnator agelli

399 separas *T* 400 lampus *T* 401 scias *T* 412 Lucan. 2 22: attonitae tacuere domus. *M in indice.* 417 primus *MT* 425 cantu *T* 429 cursuque *T*.

castra movens apium densas exire catervas
imperat, et flavis agmen producere terris,
sive parat pugnas, adversi concitus ira
forte ducis, fucosve volens arcere malignos,
accelerat; iussisque favens festina iuventus
per cunctos aditus crebris alvearia linquunt
exitibus, magnisque acuunt stridoribus hostes.
haud secus in campos tota Carthagine miles
exit, et erectis gaudet procedere signis.
hinc seges aeratis horrescit spissa maniplis.
hi pharetras arcusque ferunt, his lucida latis
arma sonant humeris. hastae clipeique refulgent
loricaeque graves et stantes vertice cristae.
volvitur inde novus densa caligine pulvis;
ventilat assiduas conculcans ungula terras;
aëra sublatae convolvit fumus arenae.
ipse inter primos, exhortans agmina, ductor
fertur equo, solitisque duces succendit in armis,
dum veteres memorat gestas in Perside pugnas.
non aliter posset sensus flammare virorum,
ni Martis laudaret opus. sic Iuppiter ille,
ut veteres aiunt gentili carmine vates,
saeva Giganteo cum staret Phlegra tumultu,
caelicolum turmas, quid vellent fata, monebat,
sternere terrigenas posset quo fulminis ictu,
cuspide qua Mavors transfixos funderet artus,
verteret in montes visa quos Gorgone Pallas,
arcitenens crebris quis ferret fata sagittis,
quosque levis torto fixisset Delia telo.
Iamque per extensos properans exercitus agros
Byzacii carpebat iter, qua Antonia castra
nomine dictus avis locus est. hic castra Iohannes
vix posuit: legati etiam venere tyranni.

437 magnisque canunt *T*, raucisque acuunt *M* 439 prodere *T* 440 aratis *T* 443 litoreeque *T* 445 assidue *M* 447 exorta *T* 449 imperfide *T* 453 dum *MT* 454 quo *M* ibid. mouebat *MT* 456 arcus *T* 461 bizarii *T* ibid. que *T*, quo *M* 453 mox *MT*.

hos dux egregius iubet intra tecta vocari,
atque referre viros saevi mandata tyranni.
tunc, cui Romanae fuerat facundia linguae,
iussus Maurus ait. "Languantan gentis acerbae
ductor magnanimus tibi nos, Guenfeius heros
Antalas, haec ferre iubet. tu nempe, Iohannes,
quem novit Massyla manus Solomonis iniqui
tempore, dux nostris fueras qui proximus oris
vicinaeque maris quondam servator arenae,
non Solomoniacas audisti Marte catervas
tot pariter cecidisse gravi, qua flumina clade
impleret Romana manus, campisque perempti
quot vestri iacuere viri, ductoris et ingens
exitium per bella tui. tu gentibus audes
invictis inferre manum? non quantus Ilasguas
notus Marte tibi, quem tantum fama perennis
prisca canit? cuius iam Maximianus in armis
antiquos persensit avos, Romana per orbem
sceptra tenens, Latii princeps? tu milite parvo,
iam periture, meas audes vel cernere turmas?
aut poteris sufferre manus faciemque virorum
aspicies campis, ductor Romane, meorum?
quin potius converte pedem, vel sumpta retrorsum
signa refer, mortemque cave. sin proelia mecum
mittere posse putas, si te iuvat ire sub umbras
atque dies suprema vocat, cur signa fatigas?
verba remitte mihi, quae sit tua certa voluntas;
et venio quocumque voles, nec fata morabor.
haec mandata dedit ductor fortissimus ille.
tu, quaecunque placent animo, responsa remitte."
  Tunc placidus gravitate sua nec motus in hostes
ductor ait "mihi nunc saevo responsa referre
non opus est hosti. certis sunt ista diebus
maturanda mihi saevi mandata tyranni.

464 egregios *T* 465 seni *T* 467 Maurus *M*, maccus *T* 469 amitalas *T*, idem 2 31 anitalas, 3 73 amtale, 3 109 antela. 478 quantum ilaguas *T* 479 notum est *M* 483 nam *T* 484 facemque *T* 487 refers *T*.

post vobis mandata dabo." sic ore locutus
ipsos privato iussit custode teneri,
fortia facta parans. illis superesse salutem
quis potuit sperare viris? patientia magni
quanta ducis! quanta est pietas virtusque regendi!
barbara corda tument insano accensa furore:
hic clementer agit, moderans gravitate Latina.
noluit ulcisci praesenti morte superbos,
sed voluit salvare humiles fractosque levare.
sic virtus Romana manet semperque manebit:
corripit et salvat, veniam promittit ab ira.
Extulit ut radiis rutilantes Lucifer ignes
Oceani prolutus aquis, tunc castra moveri
cuncta iubet ductor densasque exire phalangas.
signa canens gemit horrendos fera buccina cantus
aere cavo, dulcesque expellit pectore somnos.
dant animos socii (clamor tentoria miscet)
hortanturque parem. famuli tunc fixa revellunt
vela solo, alipedes ducunt praesepibus altis
ornatos phaleris, atque omnia tela resumunt.
ast ubi compositis coepit procedere turmis
victricesque aquilas acies ostendere campis,
sic bene sollicito dispensans pectore ductor
admonet ipse duces, causas referensque docensque.
"o Romana manus, spes o fidissima rerum,
o virtus orbisque decus summumque levamen
imperiique fides et nostri palma laboris,
certa licet vobis, quae sit fiducia genti, est,
ipse tamen memorem insidias fraudesque dolosque,
et metuenda cavens, et quae peragenda revolvens.
proelia dura dolis nunquam caruere malignis.
bella per insidias acies Maurusia gessit
semper, et obscuris fidens subsedit in armis;
solaque Massylas servat fallacia vires
et timidos bellare facit, dum saxa latebras
montibus in summis aut altis flumina ripis

501 qui *T* 505 presente *T* 506 salutare *T* 510 prolatus *T*
514 socii *L*, sociis *MT* 519 aciesque *M* 530 antris *T*

praesta t, aut ubi glauca nemus distendit oliva,
arboris aut altae frondoso vertice robur
efficit occultis acies subsidere campis.
fraudibus his certat committere proelia Maurus,
ut celer incautum subiens exterreat hostem
ambiguumque premat, fretus numeroque locoque
et domitis confisus equis. tunc belliger astu
mittitur in planos rarus qui proelia campos
provocet et visos fugiens exaggeret hostes.
ille levi cursu praefixo hastilia ferro
vibrat, et incurvo nec cessat flectere gyro
cornipedem domitum: sed cum properaverit hostis,
arte fugit, comptas ut spargat callidus alas,
dum sequitur numerosa manus victrixque putatur
esse sibi, et totos agmen diffundit in agros.
his agit in bellis fingens certamina Mazax
insidiis, donec medios perducat in hostes
hostile obsessis conclausum vallibus agmen.
tunc dolus ille patens saevas effundit habenas,
Absconsasque ciet tota de parte catervas.
quem metus acer agit, primo fugit ille tumultu.
hunc premit elatus saevo sub vulnere Maurus,
quem impavidum timor ipse facit. sin robore firmo
constiterint tunc forte viri, non ulla sequetur
audentes pugnare manus, sed colla reflectunt
mollia quadrupedum versi. sic bella relinquunt,
sic acies fugitiva cadit, sic firma resistit.
nam timidos fortuna premet, cautosque iuvabit
audacesque simul: multos nam saepe revisit,
et quanti ex ipsis palmam sumpsere periclis!
ut decet esse duces, cauti fortesque trucesque
pandite quisque suas belli in discrimine vires.
sit labor ille animis. acies componite turmis,
cunctaque dispositis incedant signa maniplis.

535 alde *T* 537 id certat *T*, inceptat *M* 538 subiens exterreat *L*, subitans exterreat *T*, subito perterreat *M*. *an* subeuntem exterreat? cf. 4 604. 551 cum clausum *T* 556 pavidum *MT* 560 restet *T* 564 cautos *M* 566 lamor *T*.

haec sit praecipue summi cautela laboris,
has vigiles servate vices: his vincitis hostes.
ordine quisque suo, praecedant castra tribuni,
interdumque duces, suspectas quaerere valles
et faciles praestare vias. exercitus omnis
his securus erit, cautum nec praevenit hostis
vallatumque. suis at si Maurusia bellum
fraudibus occultis acies assueta parabit,
nuntius ante levis nostras deportet ad aures
vectus equo, cautasque facit properare cohortes.
hoc servate, duces: veram sperate salutem."
Dixerat haec ductor, latum cum vocibus agmen
consequitur festis: laudant plauduntque faventque
exsultantque animis, et laeti iussa facessunt.

LIBER SECUNDUS.

Pellitur interea cunctis vastator ab oris
Maurus, et adverso trepidus calcatur ab hoste.
deserit obsessas fugiens conterritus urbes,
turbatusque metu montes concurrit ad altos,
castraque munivit, posuitque impervia silvis.
implentur vallesque cavae collesque supini
gentibus innumeris; camposque et flumina late
curva tenent. latuit densis conternina tellus
agminibus; montesque et celsis frondea silvis
tecta latent, pendente casa. fugit inde ferarum
omne genus, saevi referens venabula Mauri:
nec potuit miserum tantas evadere pestes,
sed iacet affixis resupino in pectore telis.
non mitis volucer ramis permissus in altis
frondibus aut mediis dulces suspendere nidos.
arboribus religant congesto culmine cannas

578 sperare *T* — 5 diraque *T* *ibid.* in prelia *T* 6 impleaturque *T* 8 teguntur *T* 13 afflixis *T*.

omnibus, et nullo est vacuum iam in monte cacumen,
qualiter infusae tellus contecta pruinae
nube latet, campique et montes arbor et omnis
albet, et ipse suis artatur motibus aër.
eripitur crebris facies certissima rerum
imbribus, et nullis noscuntur sidera signis.
Quis mihi tot populos gentesque et proelia vates
ordinet arte nova? tu, Iustiniane, favendo
cuncta doce: admisce blanda dulcedine Musam.
temperet insuetis nutantia carmina verbis:
nam fera barbaricae latrant sua nomina linguae.
Primus init bellum, fraterna morte coactus,
Maurorum princeps, Romanis subditus olim
principibus, gratus ducibus fidusque magistris,
Antalas; duramque movens in proelia dextram
erexit furiale fremens, qua turbidus omnis
impulit armatas bellorum ad proelia gentes.
finibus in Libycis suscepta pace fidelis
ille fuit, plenosque decem perfecerat annos.
heu, ducis ignavi quale indiscretio bellum
movit, et extinctas fecit recalescere flammas!
tunc furor incepti posuit plantaria Martis;
perfidiae crimen vel tantae semina mortis
ira dedit. gentes Libyae commovit amaras
acrior et totum turbavit caedibus orbem.
hunc consanguineis sequitur densissima turmis
Frexes, et tumida laudat cervice regentem,
fortis gens et dura viris bellique tumultu
effera, seu pedes it campis praesumpta per hostes,
sive frementis equi pulsat calcaribus armos.
Inde leves equitum turmae comitante Siclifan
arma ferunt (saevus medium volat ille per agmen
fisus equo) armatasque movent pulsantque phalangas;
Aor et indomitus latos discurrit in agros.
hinc indivise bellant per bella cohortes,

18 contexta *T* 25 amisce *T* 26 nutantque *T* 33 aratas *T* *ibid.* gens *T* 38 incepti *L*, incetti *T*, incerti *M* 39 perfide *T* 41 gentibus *T* 43 laudant *apud M* 51 hunc sinusdisa *T*.

Silvacaeque truces et saevis Naffur in armis
Silcadenitque ferus, celsis qui vivida silvis
bella dolis metuenda parat. conterritat hostes
fraude loci, caecisque furens praefertur in ausis.
qui Gurubi montana colunt vallesque malignas,
Mercurios colles et densis Ifera silvis;
quis gravis Autiliten, patris non mollior ausis,
praefectus bellique comes nullique fidelis
ibat, et in gentes scelerum laxabat habenas,
succendens praedansque ferus mactansque trahensque.
Silvaizan Macaresque vagi, qui montibus altis
horrida praeruptis densisque mapalia silvis
obiectae condunt securi rupis ad umbram;
et quos fluminëis fortes interserit undis,
Silzactae Caunesque leves, qua montis ab alto
dirigit incurvis amnem per gramina ripis,
Vadara, quem planos currentem fundit in agros.
Quas Agalumnus alit, venere ad proelia gentes,
nubibus in mediis celsum qui ferre cacumen
cernitur, et lati sustentans sidera caeli
Macubius; gravidis quasque ipsa miserrima culmis
dumosae nutrit perstringens ordea terrae
Sascar; et accitus longis convenit ab oris
Astrices, Anacutasur, Celianus, Imaclas,
Zerquilis artatis habuit quos horrida campis.
immittit polluta viros mons Gallida tristes;
nec cessant populos infausti mittere campi,
quos Talanteis nutrix suscepit ab arvis,
Tillibaris iunctisque maris distendit arenis
Martamali genetrix; tristes quos cernere campos
vitasset Romana manus, ni fata dedissent
invida saepe bonis, licet ultima, rumpere fila.
sic tibi, summe pater, placuit; sic iussa ferebant.

52 saeuus Naufur *M* 57 infera *M* 58 patriis *M* *ibid.* Ausis *M* 61 feros *T* 64 abiecte *M* 65 qui *T* 72 ipsa *add. M* 74 cum uenit *T* 76 zersilis *T* 77 mesis *T* 78 essat *T* 80 iucusque *T* *ibid.* arenas *T* 82 in *T* 83 inuidia sepe bonis licet aliam *T*.

Nuntius extremas Libyae transvectus in oras
convocat indomitas extrema ad proelia gentes.
convenit innumeris nunquam superatus Ilasguas
milibus, et totum volitans conterritat orbem.
cornipedum saevus laxatis Austur habenis
viribus humo sequitur fidens, et fortis in armis
et numero superante modum. nam belliger Austur,
sollicitus dubias campis committere pugnas,
collocat astrictis muros fossasque camelis,
atque pecus varium densa vallante corona
ponit, ut obicibus pugnantes implicet hostes
ambiguosque premat. currens tunc saevus Ilasguas
mactat in angustis prosternens agmina muris,
et campos securus adit, sequiturque premitque
caede nova, miserumque furit vastator in agmen.
est aries illis infandi machina belli,
comptaque dispositis ponunt tentoria signis,
horrida gens et dura viris audaxque triumphis
innumeris, nullo bellis quae tempore cessat
impia, crudelis. nullas timet ille ruinas:
sed licuit timuisse tamen, sed iure licebit,
paeniteat saevisse diu. nam fortis Ilasguas
quondam per latos prostratus vulnere campos
iuncta saeva dedit, praedis bellisque pepercit.
Ierna ferox his ductor erat Gurzilque sacerdos.
huic referunt gentes pater est quod corniger Ammon,
bucula torva parens. tanta est insania caecis
mentibus, ha! miseras fallunt sic numina gentes!
Ifurac infestis venit consultus in armis.
hic pedes insignis clipeo telisque resultat,
et mucrone potens, saevum dum tendit in hostem.
Macumiana manus calidis descendit ab oris,
quae Tripolis deserta colit; Gadabisque maligna
mittit ab arce viros, et saevis moenibus horrens
Digdiga vicinis acies dedit improba ripis.

89 astur *T* 96 ambiguasque *T* 105 tantum *T* *ibid.* se *MT*
108 iuncta *T*, inguina *M* 109 ierna *T* 111 buccula *T* 113 ifarac *T*
116 mucamiana *T* 117 quas? *ibid.* trepulis *T* 119 dicliga *T*.

tunc, Velanideis verrunt qui stagna faselis,
conveniunt populi, qui currunt arte per aequor,
infixos tremulis iactantes piscibus hamos.
Barcaei solito curant saevire furore:
deseruere suas, et nostras quaerere terras
incipiunt. his arma furor bellumque ministrat
et genus acre viris. clipeos gladiosque minaces
non solito vinctos lateri, sed circulus ambit
perstringens modicum, complexus brachia gyro,
vaginasque aptant nudis pendere lacertis.
nec tunicae manicis ornant sua brachia Mauri.
insita non ullis stringuntur cingula bullis;
discinctique feras agitant in proelia turmas,
binaque praevalido portant hastilia ferro.
horrida substrictis dependens tragula membris
ex humeris demissa iacet. tunc lintea tetrum
palla caput stringit, nodo suffulta tenaci,
crudaque sub nigra calcantur Maurica planta.
Marmaridas gentes tot pertulit Africa bellis:
quis miseram superesse putet? non sufficit istud,
o superi! iam audax alternis surgit ab oris
adversa de parte fremens dux ille ruinas,
quas illi Romana manus per vulnera Martis
ante dedit: tantam inde ferus nunc colligit iram.
innumerae gentes illum comitantur euntem,
quae geminam Petram, quae Zerquilis horrida rura,
quaeque nefanda colunt tristis montana Navusi
desertosque locos; nutrit quos horrida tellus
Arzugis infandae: veteres sic nomine dicunt.
Aurasitana manus celsis descendit ab oris.
non pedes illa potest acies in bella venire,
praevalide sed pugnat eques. tunc lancea duplex
iuniperum ferro validam suffigit acuto;
cetraque saepe levis duro iacet horrida dorso

123 *an* currunt? 126 est *M* *ibid.* uirum *M* 132 discinctique *L*, *apud M* distinctique. 134 fargula, *ut* 181. *ibid. pro* membris *L* loris. 137 calcatur *T* 141 dux *M*, dulce *T* 145 gemini *T* 149 aurisitana *T* 153 cetura sepe *T*.

aut lateri suspensa cadit; substrictus at ipse
mucro fulmineus laevo dependet ab armo.
quique Vadis tepido messes bis tondet in anno
Maurus arans, bino perstringit et ordea culmo,
heu, furit in sicca Phoebi candentis arena.
quantus amor praedae! toleratur fervidus ardor
sufferturque fames terrarum aestusque sitisque
Martis amore feri turpisque cupidine lucri.
  Iam fortis properans densos exercitus hostes
montibus in summis et collibus esse videbat,
fumantesque locos flammis silvasque latentes
agmine condenso nullum monstrare cacumen.
omnia tecta latent. vox undique saeva per auras
indiscreta sonat. lucos silvasque sonoras
tempestate putes nimia veniente moveri,
litore collisas frangentes aequoris undas.
hinc iuvenum clamor, fremitusque ardescit equorum
inde furens: tremulis ululatibus aethera matres
concutiunt. fervet trepido tunc terra tumultu.
pastorum ecce venit fugiens e vallibus agmen
hostis ab adventu: pecudum per prata balatus
consonat, et densa pulvis succrescit arena.
iam sonipes campis laxis currebat habenis,
primus et armentis praedam rapiebat ab altis.
obvius ecce venit saevis de faucibus hostis
rarus, et in nulla comptus procedere turma
cernitur, adversos nec poscere fervidus hostes,
sed tantum clamore furit. tum tragula crebris
nutibus e silvis acies agitata requirit
auxilioque vocat Maurorum more catervas.
convolat ergo celer prima ad certamina Frexes.
Marte levi, tantumque fugax armenta tuetur:
constans nam nullis acies componitur armis.
  Non tamen inceptum fuso est cum sanguine bellum.
Geisirich ille potens nam dux praecesserat agmen

156 tepide *MT* 157 et *add. L* 160 extusque *T* 167 indiscerta *T* 170 hunc *T* 174 euentu *T* *ibid.* balantum *T* 182 et *T* 184 convocat *apud M* 186 constat *T*.

ductoris iussu, sapiens et Amantius una,
hostiles temtare locos, perquirere valles
et solito planare vias. huc aggere celso
Romanae sistunt acies, gentesque nefandas
exspectant oculis. magno quae ferre magistro
mente gerunt dubia: nequeunt tolerare tumultus
nec densos lustrare locos. quis cernere posset
milia tanta virum? vel sic locusta sub astris,
Austro flante, cadit Libycos diffusa per agros,
vere sub extremo; vel cum Notus aethere ab alto
in mare praecipitem magnoque a turbine raptam
ire iubet. dubiis horrescunt corda pavore
agricolis, segetes ne conterat horrida pestis,
neu vastet fructus teneros hortosque virentes,
mollibus aut ramis florentem laedat olivam.
iamque pedem retrahens ibat Romana iuventus,
ductori responsa ferens. hanc proximus hostis
circumdat levitate sua. iam dura subibant
agmina. conveniunt densi de montibus hostes,
faucibus et cunctis campos funduntur in omnes,
Austur et, indomitis ardens quae fertur in armis,
Macumiana manus. succedit fortis Ilasguas.
iamque sub hostiles acies transmissa catervas
innumero currebat equo; turbatque premitque,
et magis atque magis densum stipatur in agmen,
exsuperatque viros. ipsis artatur ab hastis
campus, et ingenti quassatur terra tumultu.
sic, ubi compellunt currentia nubila venti
murmure cum valido, tot crebris ignibus ardens
nimbus et adversa veniens in fronte procella
influit exactis vasto cum pondere guttis
grandinis infandae; pluviis ventisque subactus,
tristia submittens iam frigidus ora viator
dentibus infremuit; victus sic terga reflexit,

191 solite? ut 2 279. *ibid.* hunc *T* 195 sternere *vel* scernere. 196 vel *M*, sub *T* 198 ether *T* 201 neu *T* 207 conveniunt *L*, cur ueniunt *T*, cum uesiunt *M* *ibid.* denti *T* 209 inermis *T* 210 mutuniana *T* 217 crebribus *T* 222 sic] *an* tunc?

et loca tuta petens silvis tectisque cucurrit.
non aliter Romanus eques iam victus abibat,
hoste premente gravi. surgens licet inclita virtus
fortia facta petat, nimius tamen imprimit hostis
conveniens. nec tela viri nec spicula possunt
spargere lenta manu: solus vix sufficit ensis
pellere Marte viros, clipei vix sistere contra
vulnera sufficiunt. tristis tunc aethera clamor
pulsat; susceptis regemunt obstantia telis
scuta virum. infandis agitatur vita periclis.
tunc Romana acies paulatim excedere pugna
nititur, adversosque reluctat prendere colles.
   Interea velox placidas concusserat aures
nuntius, ingenti conturbans castra tumultu,
descendisse feros silvis et montibus hostes,
innumeros campos acies implesse nefandas,
obsessosque locos populis armisque coruscis,
iam potuisse duces tantae succumbere pugnae.
ilicet omnis eques campo decurrit aperto:
nam cunctos civilis amor pulsabat et ardor,
ductorisque metus compellit terga suorum.
voce verendus agens inter pulsat et hasta,
quos cessare videt. populos excedere castris
imperat, auxilioque suis succurrere dictat.
utque leves aquilas campis produxit apertis
praecessitque duces, illos per castra morantes
increpat et rauci sonitu conterritat aeris.
buccina saepe ciens tremulo gemit horrida cantu.
subsequitur crebris acies collecta maniplis.
ungula sidereos contristat pulvere campos;
et solis pallescit honor radiosque micantes
colligit, oppositaque polus tardatur arena.
praecelsis veluti surgunt de montibus Euri
Aeoliis ferventque graves, verruntque procella

228 manus *apud M*   229 perpellere *T*   *ibid.* clipeis *T*   231 hostantia *T*   239 *an* obsessoque loco?   *ibid.* populi *T*   244 agens retro compulsat *M*   250 horrido *T*   252 pullere *T*   254 turbatur *M*   255 precettis *T*, praeruptis *M*   256 heulis *T*   *ibid.* procellae *apud M.*

litus arenosum; tunc tristibus aëra turbant
flatibus, adversis scindentes nubila flabris:
sic campos acies densis Romana catervis
turbat, et absentes pulvis iam comprimit hostes.
cautus ab adversa metuentes rupe Melangus
vidit; et ingenti turbans clamore cohortes
barbara signa dedit. paulatim linquere campos
incipiunt, et tuta acies per castra recondunt.
  At veniens fortis, vallatus et agmine, ductor
montibus in summis adstantes conspicit hostes,
incolumesque suos gaudens suscepit ovantes.
hinc, fera quae saevis et tristia bella periclis
gesserat illa manus, referunt, faucesque malignas.
praecipit ipse viris fossas et castra locare
haut procul adverso nimium, sed protinus, hoste.
perficiunt praecepta citi, planumque per aequor
candida mox niveis figunt tentoria velis.
hic Romana manus positis fortissima castris
per varium discurrit opus. pars arma reponit
alta locis, pensat pharetras arcusque retendit.
ardua quae celsis sustentent vela columnis,
ordine configunt pratis in mollibus hastas;
atque hastis solite per campos scuta reclinant;
loricasque graves et conos pellibus aptant
suppositis; glandes et cetera tela reponunt.
alipedes meritos pars altera colligit ardens,
pabula certa ferens. epulis volat ille parandis
doctus: aëna locans flammis alimenta ministrat;
hic gelidos fontes puteo, raptimque per herbas
incurvos parat ille toros, et fercula ponit
comta focis aptans dapibus mundansque fluentis.
  Maximus interea curas sub pectore ductor
volvebat, diversa movens, gentesque locosque
captivosque simul, bellum quos gentibus Afros

258 scindentes *L*, scindentibus *T* 261 uetuentes *T* 264 recedunt *M* 270 precepit *T* 271 aut *T* *ibid.* proximus *T* 277 celis *T* 285 puteo] portat *M* *ibid.* raptimque *L*, raptatque *MT* 287 conta *T*, cuncta *L* *ibid.* locis *T* *ibid.* fluctetis *T* 290 affros *T*, Afris *M*: cf. 331. et ubique Afri sunt provinciales.

miscuit et miseros praeda raptante subegit.
aestuat et curis, iterumque iterumque volutat
quid faciat dubius. iam nunc committere pugnas
virtus summa parat: pietas modo parcere dictat,
quippe ut captivos nullo discrimine quasset,
pro quibus arma movet. sensus vigilanter oberrat.
inter utrumque volans animus decernit et obstat.
pectore pugna furit: pietas occurrit et ira.
ac velut agricola immistis cum sentibus arva
ferre videns fruges, maerenti pectore curat
impiger infaustos agris convellere sentes,
sed movet ipsa Ceres: pavitat, damnumque repensat,
ne male dimissi perdant aut ordea vepres,
aut bene non pereant tristes cum frugibus herbae:
sic pater alternas pensabat pectore curas,
omnia lance probans, animus quo pondere vergat
quidve gerat. nec stare libet, nec dulce sedenti
colloquium: tacita geminat suspiria lingua.
dum curis agitur, pendens dum pectus anhelat,
surgit et in mediis mavult confligere castris;
itque reditque vias, animum corpusque fatigans.
Hunc paribus curis flagrans comitatur euntem
magnanimum, ductoris honor nimiumque benignus
consiliique decus, lateri Recinarius haerens.
hunc habet in saevis fidum sociumque periclis,
et virtute virum et discreta mente levamen.
illum etiam summis victo Mavorte triumphis
tot nimios gaudet secum tolerasse labores
Martis et ad summam pariter venisse coronam.
et tunc ergo comes curis non impar anhelis
ibat, et alterno placidus sermone levabat.
"Nutat in angustis omni de parte periclis
sensus", ductor ait, "curis et pectus anhelat,
dum movet in dubiis quae sit fortuna salutis.
maxima damna ferens rerum victoria non est:

295 ne captiuos ullo *T* 301 infaisstos *T*, infestos *M* 302 ut monet *M* 303 demissi *T* 314 ricinarius *T*.

aut ea si pereant pro quis ad proelia veni,
quid lucrum victoris erit? me namque fatigant
omnia mista malis. hinc damnum triste minantur,
hinc laudem differre volunt, partosque triumphos
de nostris manibus missa pietate retollunt.
captivi pereunt misti cum gentibus Afri,
si pugnare placet. quae nostri gloria facti,
si miseros demus? nullus iam vincitur hostis.
consule quid moveat duri in discrimine belli,
atque gerenda refer." placide haec Recinarius heros
edidit in modico, plana cum voce locutus.
"omnia dispensans misto moderamine virtus,
haec summa est, haec sola placet, haec vincere gentes
ac placare potest. praestat quod, maxime ductor,
virtutem indomitam sancta pietate revincis.
quicquid deinde geras, nostrae est victoria partis:
sic ordo, sic cuncta docent. modo mittere duro
legatos opus est promissa pace tyranno:
captivos reddat; nostris discedat ab oris
ille furens Austur; saevae seu gentis Ilasguas
princeps ipse iugum solitae sufferre, coactus
subiecta cervice vehat. si cesserit ille,
omnia salva fient: ignosces gentibus insons,
et placide dabitur nostris victoria rebus.
at si fors tumida steterit cervice rebellis,
tunc armis superandus erit. nec paenitet umquam,
pro miseris si Marte cadant. peccata Iohannes
nulla feret; pietas animis illaesa manebit
coepta tuis." placuere duci consulta fidelis
iusta viri; curisque pater resolutus ab illis
non vacat: alterna franguntur pectora cura.
    Consilium maturum alit, et mandata superbo
tunc iubet armigerum celerem perferre tyranno,
talibus atque docet. "perfer mea dicta rebelli.

329 deferre *M* 333 damus *T* 335 placide aricinarius. 336 medio *M* *ibid.* *an* plena sic? ut 3 53. 339 atque *MT* 341 nostra *T* 344 reuocet *apud M h. l.*, reddat, *ubi hic versus recurrit.* 346 principis *T* *ibid.* coatteis *T* 350 tumidus *T* 351 peniteat *T* 354 cetta *T* 357 et *add. M.*

his monitis nostris aures contunde superbas.
dum gentes peccant, pietas Romana remittit,
cunctaque deletis donat delicta libellis:
perdere non properat quamcunque in proelia gentem,
paeniteant si bella tamen, si foedera rerum
subiecti veniamque sibi pacemque requirant.
sed princeps clementer agens haec omnia mavult
esse sua, ut cunctos salvetque habeatque regatque,
subiectos relevans, frangens virtute superbos.
non tua sollicitus teneat modo pectora terror,
peccatis obstricta tuis: namque omnia prosunt,
si redeas, veniamque tibi pacemque volentes
ultro damus. discent, quae sit Romana potestas,
tot populi, et quae sit pietas virtusque regendi.
quae miserum fortuna tenet? nosterne fidelis
semper eras, nostris solitus gaudere triumphis,
tunc bene subiectus? quae te mala fata superbum
ad fera bella trahunt? tandem iam desere facta
turbidus in miseris quae exerces tristia terris.
quid iuvat, infelix, Romana lacessere signa?
quidve paras miseros tanta iactare ruina?
vincere nempe putas quascunque in saecula gentes
Romanas tu posse manus. nos Parthica regna,
nos Alanos Hunnos Francosque Getasque domamus;
quaeque sub aethereo latum sparguntur in orbem
axe ferae gentes, nostris famulantur in aulis,
principe subque pio laeti, iam Marte relicto,
iussa ferunt suavique iugo sua colla reflectunt.
suscipe dicta citus, salvans gentesque tuosque.
non velut imbelles nostrae mandata salutis
mittimus, aut fugimus pugnas pacemque rogamus.
captivis vobisque timet vestraeque saluti
prospiciens miseris pietas, quae continet orbem.
haec mihi magna iubet perituris parcere castris;
propter captivos veniam donare licebit.

360 hic monitus *T* 361 *malim* cum. 364 poeniteat *M* 370 obstricte *T* 377 affera *T* 383 nos laros urmos *T* 386 sub quo *T*.

quodsi, dure, meis audes contraria dictis,
crastina bella para, cingens munimine fossas;
funde pecus solitum; rapiendos construe muros;
balantum compone greges fetasque capellas
et torvis medios clamantes vultibus hircos.
non ariete cavas adducto spargere turres
est opus: abducto potius nudabimus hostes,
inter ovesque tuas acies praedabitur omnis,
et bene direptos ponemus prandia muros.
sculptilis ille, tuis cuius munimine castris
prospera danda canunt, disperso robore Gurzil
scinditur, ardentesque palam mittetur ad ignes.
gentibus effusis, campo quaeretur in illo
montibus et cunctis, quotquot Maurusia gessit
impietas. scelus hoc cum iusto Marte piabit
nostra manus, calidos prosternens aequore truncos
verticibus raptis, disces quod proelia possunt
nostra magis, miseros ensis dum vendicat Afros
et peritura cadunt dispersis agmina fossis."
  Vix ea fatus erat: missus montana tenebat.
castra adversa tenens media in tentoria transit
indubius, sedemque feri petit inde tyranni.
humida nox caelo fulgentia sidera reddit
palantesque polo stellas: nam Cynthia cornu
iam vacuo, obscurae nec praebens lumina terrae,
aequore mersa fuit; mensis tenuaverat ignes.
sed non castra ducum noctis sensere tenebras:
lumina densa focis per campos clara relucent,
perque altos montes splendet contermina tellus
ignibus, et densae radiant in nubila silvae.
quis caelum a terris illa discernere posset
nocte, ferens quae stella nitens, quae flamma fuisset?
omnia lumen erat: flammis hinc terra coruscat,
inde polus stellis. quotiens scintilla cucurrit

395 dure] ferre *M* 400 ariete non altas *M* *ibid.* aducto *T*
401 aductos *T*, adductos *M*, *qui maiebat* adducto. *M* 402 aries *MT*
403 bone *T*, prope *M* 406 *an* quicquid? 411 discet *MT*
418 pallentesque *T* 419 obscuret *T* 420 equora *T*.

igne volans, sidus labens in nocte putata est.
quisquis ab aversis vidit tentoria campis
istius, intremuit, crescentia sidera credens
insolite esse polis. erravit navita campis
aequoreis, nullisque modis cognoscere signa
tunc valuit, cursusque reflexa puppe negavit.
Pervigil insomnem miles Maurusque trahebat
armatus noctem: discurrens undique fossas
circuit, attonita sonitus explorat et aure,
cuncta cavens, ne quis fraudes tentaret in usu
noctis et indubiis inferret proelia castris.
discurrunt, vicibusque suis tentoria servant,
et vicibus placidum ferrati pectore somnum
carpunt inque sinus flectentes colla reponunt.
hi clipeos, pharetras alii cervicibus aptant
suppositas, hastasque tenent arcusque. sedentes
ensibus innixi, vultus in pectora curvant,
somnus et adverso vix tangit lumina cornu
effugiens; iterumque caput iam iamque remittunt
nec relevare valent; oculos clauduntque moventque,
sollicitoque cadens quassatur pectore vertex.
dum vigilant variantque vices cursuque laborant,
cetera iam somnos castris secura iuventus
pectore carpebat placido. tantum improba Martis
facta gerunt mentes: animos insomnia turbant
sollicitos, variasque ostendunt nocte figuras.
miles ut in tenero laxavit membra sopore,
rore novo primus madidis vix irruit alis
somnus, et effuso flaverunt pectora cornu:
castra aliena rapit celsis de montibus absens.
corpore dormit iners, animo tamen ille laborat
bella gerens, vincitque trahens aut vulnerat hostem,
aut vitat clipeo venientia vulnera cautus
opposito. nunc dividitur sensuque manuque,

429 habens *T et a secunda manu* ualens, uadens *M* 438 canens neu *T* 439 in dubiis *apud M* 440 discurrit *T* 442 suis *T* 445 innixis *T* *ibid.* pectore *apud M* 448 uolunt *T* 456 mox *MT* 461 clipeos *T*.

nunc utrumque movet. silvis bellare videtur
ipse sibi: nam membra vacant languentia somno.
lumina saepe vident saevum concurrere Martem;
lumina clausa vident certamen. it horridus ira,
vultque movere manus: languescunt fessa sopore
membra viri. quotiens excusso dextera ferro,
dum putat adversum, socium ferit improba pectus!
et risere viri, referentes proelia, somnum.
nec non in mediis acies Maurusia silvis
praescia iam saevis agitatur in invia fatis.
castra rapi videt, et somnos iam proflat amaros.
languet, direptosque potest nec flere camelos
nec vindex surgit, totis sed currere campis
agmina fusa videt frustraque attollere dextram,
ast alios sterni variis per devia fatis.
currere quisque volet, languescunt membra timore
et somni gravitate ruunt. perterritat hostis
cuncta ferus, saevum geminans in viscera ferrum.
dum manu utraque parat violenti vulneris ictus,
coniugis excusso concussit vertice pectus.
eripitur tunc illa magis: nam praedo superbus
crinibus abstractam silvis rapiebat ab ipsis.
sic sibi quisque videns quassantes pectora somnos
horrebant, diram referentes nocte quietem.
terrentur visis, gaudent sed falsa fuisse.
donavit miseris modicum sua gaudia tempus.

LIBER TERTIUS.

At ducis invicti iactabant pectora curae;
sollicitusque suis nullum per membra soporem
accipit, et dulci non claudens lumina somno
pervigil in mediis disponit lumina castris.

463 soli *L* 466 it *L*, et *MT* 468 viri *L*, virum *MT* 472 iam suis *T*, iamque suis *M* 481 manu *add. M* 486 inferentes *T* 487 horrentur uisis *vel* iussis *T* 488 domauit *T*. — 1 pectore *T* 4 proelia?

circumquaque duces vallantes agmine denso
consilium pariter summis de rebus habebant,
tractato varie noctem sermone trahentes.
gaudia militiae referunt tristesque labores,
quasque Latinus agit vincens exercitus orbem,
nunc bene commissas referentes ordine pugnas,
nunc male gesta novo memorantes bella dolore.
dum diversa canunt, ductor sic forte locutus.
"qualis in adventu fuerat tunc Africa nostro,
o socii, saevis esset cum maxima regnis
ultio missa dei, tristem quae rite tyrannum
Vandalicumque genus centeno perderet anno,
Geilamir infandus quamvis vexaverat Afros
perdideratque nocens, magnus quo tempore ductor
sub iuga Sidonias misit Belisarius arces,
principibus captum praesentans urbe tyrannum!
quam celeri cursu summis tot bella peracta
viribus, aut quae digna virum fortuna secuta est!
ibat in adductas densis exercitus umbras
arboribus, rapidi nec solis torridus ardor
militiae nocuit fervens aestate perusta,
quanquam autumnus erat, Phoebi candentis et axe
tristia bella magis calida inferrentur arena.
nec minus et capto, facta iam pace, tyranno
laeta fuit. plenam Libyam cultamque reliqui;
inque statu proprio me discedente remansit,
et melior: sum namque memor. fecunda, redundans
frugibus, et fructus lumen fundentis olivae
et latices laeti turgens referebat Iacchi.
pax erat alta locis. quae tanta insania belli,
quis furor exarsit miseris insanus in arvis?
quae movet immerito quatiens Bellona flagello
innumeras gentes? vel quae succedit Erinys,
et Phaëthonteos commiscens gentibus ignes
omnia sic mergit, valida labente ruina?

5 circumperque *T* 7 tractatu vario *MT* 12 forte] ore *M* 14 dum *MT* 23 aductas *T* 26 cumque *L* 35 insenus *T* 36 quotiens *T*.

dic age, quisquis ades quaesiti temporis index."
Gentius egregius respondens voce magistro,
isque magister, ait "digno, venerande, favore
rector summe ducum, nutantis destina terrae,
spes Libyae nostrique favor virtusque triumphi,
impia quae fuerit belli nascentis origo,
nos latet, obstructis penitus contenta latebris.
vester Caecilides illa de parte tribunus,
si iussus coepti referat discrimina belli,
cuncta docere potest; cuius quippe omnia novit
in patria commissa sua, gentesque locosque
auctoremque mali, prisci seu temporis iram."
Praecipitur placidis Liberatus dicere verbis.
paruit ille celer, plena sic voce locutus.
"nitor, summe ducum, causas narrare malorum
et iussis parere tuis. dum dicere tento,
flamma nocens surgit, gelidus praecordia sanguis
turbat, et attentae vix prodit fabula linguae.
praecipis ipse meos iterum me ferre labores,
dum refero saevum quod pertulit Africa bellum.
sed quia celsa premunt dominantis iussa magistri,
hinc procul esto, dolor: magno iam vinceris ausu.
parendum est iussis, humilique pavore sequendum.
Principio geminas iam senserat Africa pestes:
nunc iterum geminas sentit miseranda ruinas.
finibus in nostris orta est, quae crevit in orbem,
impietas. Guenfan miseris est tristis origo
Antala nascente fero. nam tempore prisco
pax erat in cunctis Libyae tutissima terris.
gaudebat miseranda novis ornata coronis
Africa: nectebant flavis gestamen aristis
agricolae, solitoque rubens in palmite Bacchus;
paxque sua laetam fulgens ornabat oliva.
usque ad ter denos Antalae floruit annos

40 ades] es *apud M* 42 ipse *L* 46 abstructis *T. an* abstrusis? *M* 51 ira *T* 52 placidis libratis *T*, placide libratis *M* 57 *an* attonitae? 62 humili pavore *apud M* 65 orbe *apud M* 70 nectebat *T* 71 solitosque *T* 72 sua — oliva *L*, suam — uliuam *T*.

nascentis, nostrique potens pars maxima mundi
claruit, ut toto praefulgens Lucifer axe
stellarum flammas flamma meliore revincit.
quae dedit in nostris proles Guenfeia terris,
summe pater, capiti ipsorum generique reserva.
parvulus ille feris vix contigit ubera labris:
terribili monitu iam iam, flammante Megaera,
fama volat metuenda canens. namque Ammonis ipse
templa petit simulata pater: tunc prolis iniquae
fata tenenda rogans, mactat de more profano
horrida sacra Iovi. tristes et Apollinis aras
inde petens, Phoebi tripodas laurusque requirit.
funditur horrendis sanguis maestissimus aris;
omnigenumque pecus mactat vittata sacerdos,
fata movens. raptis primum quaesivit in extis,
inspiciens (series patuit longissima) fibras;
duraque perpetuis imponit viscera flammis.
inde ferox rapitur, subito correpta furore,
terribilis; mersosque simul per viscera cultros
imprimit ipsa sibi: multus de corpore sanguis
influit, et crebro geminat cum vulnere ferrum.
erigit alta comas: tunc flammea lumina torquet
subsiliens, saltusque rotat flexusque malignos
corporis apta sui. rubor igneus inficit ora
numinis icta Noto: ludunt cervixque comaeque,
inque humeros utrosque cadunt. praecordia raucis
flatibus alta sonant; miscentur murmura vocis
tunc dubiae, plenumque agitant suspiria pectus.
non aliter primos surgens Vulcanus ad ignes
follibus obductis tumidos concurrere ventos
arte movet, flammasque ciens Eurosque sonantes
spirat, inexhaustas renovans fornace procellas.
tunc male facta canens dictis respondit iniquis.
'Vandalicas, Guenfan, pariter Libycasque ruinas

74 nascentes *T* 79 mox *apud M* 84 iras *T* 85 laurosque *M* 88 que seuit *T* 89 latuit *apud M*: cf. 3 166. 91 corrupta *T* 93 nullus *T* 97 acta *L* 98 comete *T* 100 uoces *T* 104 arta *apud M* *ibid.* cient *T* 105 aspirat in exaustas transremouens *T* 106 mala fata? 107 vandalicasque *apud M* *ibid.* guanfan *T*.

fata trahunt, Maurisque iugum frenosque resolvunt.
Antala crescente tuo furor omnis et ira
horribili miserum turbabunt lampade mundum.
flammea Tisiphone tortis saevire chelydris
incipit, erexitque rigentes vertice crines
aëra per vacuum. nigris infusa venenis
ora madent, foedant oculis linguisque trisulcis
temperiem, diroque horrescunt tempora tabo.
sanguine Vandalico video decurrere rivos
montibus. en Libycas exurunt ignibus urbes!
en praedam exhaustis rapiuntque reclaudunt!
cur tantum, o superi, tantum turbare paratis?
omnia mista simul. quid multum crescere Mauris?
en iterum pereunt! quid iuvit tempore parvo
virtute indomita partam meruisse ruinam?
hic levat, hic perdet multas cum nomine gentes
infans; et vario rapiuntur tempora fato.
Africa namque suum factorem fessa rogabit,
quem colit ipsa deum, quem fas cognoscere dignos.
tunc orientis opes Romani maximus auctor
nominis, heu, nostros mandat praesumptus in axes.
classibus ecce suis totum conterritat orbem.
iam puer indomitus subito pallore tremescit
classis in adventu, iuga iam supportat anhelus.
pondera magna domant. ardet dirumpere vincla,
indigna cervice ferens; ruptisque catenis
en iterum bellum reparat. concursus ad illum
ecce venit, mundumque puer subvertere currit.
quid iuvat hic nimium perituras surgere gentes
orbis ab occasu? quid tantum surgit in altum,
unde cadat rursus nostris praesumptus ab arvis?
en spoliis oneratus abit, tandemque reversus
proluit, heu, nostro concretos sanguine campos!'
    Talia dicentis vultus in terga retorsit

115 direque orrescunt tempore *T* 118 rapiuntque] Afris rapiuntque *M*. *an* rapiunt raptamque? *ibid. fortasse legendum* reclausam. *M* 119 *pro altero* tantum *T* rantum, *M* regnum. 121 uiuit *T* 122 uirtutem indomitam parta *T* 123 leuat *vel* lauat *T*, luet *M* 125 rogabat *T* 134 bella *T* 135 sed uertere *T* *ibid.* curat *M*.

concussa cervice furor; subitoque tremiscens
conticuit, vastoque ad terram pondere fluxit,
et dubium murmur defessa per ossa cucurrit.
sic, ubi lymphigeros deducit fistula tractus
aere cavo, liquidus dum currens funditur amnis,
rauca sonans, placitum si fluctus sistere ductus,
obice contorto patulum celer arte magister
obstruit amnis iter; vertex truncatur aquarum
obicibus clausis, ad fontem refluit amnis,
et reliquus fessa transcurrit rivulus unda.
Responsis sublata novis gaudetque siletque:
namque humilis gens illa fuit. tamen omnis in illum
spesque metusque coit: sacrum servantque foventque,
promissoque sibi fatorum munere gaudent.
Septimus et decimus nascentem senserat annus,
cum puer infaustis admovit brachia furtis.
Cacus ut Herculeis cariturus luce lacertis,
noctis iter metuendus iniit, raptumque retraxit
ductorem patremque gregis, colloque levavit
obnixus portansque furens, et pergit in antrum.
strangulat inde premens, constricto gutture pugno.
corruit ante pedes aries prostratus anheli,
laniferi spes una gregis. tunc ense reclauso
diripit astrictam magno cum pondere pellem:
viscera nuda patent. frustis conciditur altis
omne pecus, verubusque trementes conserit artus:
uritur horrendum flamma torrente cadaver.
ignibus in mediis semiustum sorbet anhelans
et trepidus, totumque fero consumpsit hiatu.
Tempore iam ex illo saevis adolescere furtis
incipit, obscurisque faventes pascere praedis.
contrahit inde viros, secumque ad furta nefandus
in mediis tacitos exhortans ire tenebris
arte docet; totumque trahit iam raptor ovile
iamque armenta boum; celsisque abscondere praedam

145 siculi *T* 147 *an* ductos? 154 fauentque *T* 158 Cacus *M*, cautus *T* 159 iter *L*, itus *MT* 161 portatque? 172 incepit *T* 176 bouum *apud M* *ibid.* ascendere praeda *T*.

montibus, abstrusisque latebras quaerere saxis,
et lari tuta parat capta subsidere valle,
Vandàlicasque latens audet tentare phalangas.
quantos ille duces, quantos truncaverat hostes,
obsidione premens, mediis in faucibus ense;
barbaricasque trahens perverso numine turmas
impius in latis prostravit cuspide campis.
   Iam tempus miseros fatis urgebat acerbis,
regnaque centeno properans iam fregerat anno:
tunc primum in nostris urbes succendere terris
et populare casas et campis currere Frexes
coeperat, infensasque ausus committere pugnas.
inde movens vires tunc Naffur anhelus,
atque omnì de plebe viros
vicina de parte premit. hos linquere terras
et dulces terrore lares sors impia pulsat.
fervet praedo ferox: nullis iam vita salutis
certa locis. acti fatis urgemur iniquis.
tempore Vandalici perierunt gaudia regni
nostra: semel versos miseris tunc flere penates
contigit, et tutas indignis quaerere terras.
   Hildimer infaustis gessit tunc praelia signis,
insuetus conferre manum: non viribus illum
vincere, nec tantis poterat concurrere signis.
illius adverso rumpuntur stamina fato
montibus in mediis. casus quid terret iniquus?
saepe irata piis servat fortuna nocentes.
constiterant nam signa iugis silvisque superba.
desuper ab scopulis acies vallaverat hostem;
nec spes ulla fugae pressis, nec fidere turbae
nec vitam sperare fuit, nec sistere contra
iam poterant: tantum scopulis tardatur iniquis
illa manus. ruptis tegitur gens impia saxis,
vallibus et scissis muratus cingitur hostis.
silvarum in medio locus est nemorumque malignus,

178 lare capta parat tuta *M*   182 tramite *L*   188 infessasque *T*
190 *post* viros *delevi quae codex habet e superiore versu male repetita,* tunc naffuga anhelus.   200 nec *M*, aut *T*.

undique praecisis munitus rupibus, ingens,
arduus ipse licet summoque cacumine ductus
emineat; densisque teguntur saxa saliotis.
per iuga siderei pleno cum vertice campi
funduntur. via nulla patet: vix semita, tortis
undique fracta viis, celsi fastigia campi
sola capit. densae clauduntur devia silvae.
Hildimer ut septas vidit munimine fossas,
atque in praecipiti, nullo iam tramite, pugnae
stare locos, saevum timuit tentare periclum.
tunc acies propriis densas consistere signis
ipse iubet, septos dubius qua tendat in hostes.
omnia perversis veniunt contraria fatis.
axe premens medium Phoebus iam lampade caelum
fervidus omnis erat: siccis exarserat ardor
faucibus, et nimius miseros commoverat aestus.
forte sitis quosdam gelidas deduxit ad undas.
post tergum rediere viri: nam longius amnis
tunc aberat. plenos portabant fontibus utres.
haut procul inde cava spectantes valle ministri,
primus ut infaustas contingens Vandalus undas
laudavit cessasse sitim, tunc cetera cursu
ad latices iam turba coit: sic fata trahebant,
sic fortuna nocens damnaverat agmina leto.
signifer ecce super mutandum accedere signum
ausus, de summis reduces contorsit habenas
montibus: hunc sequitur densis exercitus armis.
invia rupta patent: quaerunt dum prendere cautes,
post tergum redeunt. fugientes credidit hostis,
et summo de monte fugit. perterruit omnes
casus et ille duces. raptantur signa retrorsum,
versa fuga. non campus erat quo currere posset
liber equus, laxisque levis transiret habenis:
per rupes scopulosque metu perque ardua montis
saxa cadunt, seseque suo iam pondere mergunt.

214 salictis *L*, relictis *MT* 215 plano? 219 nildimer *T*: cf. 3 312 et 495, 5 432. 223 quo *apud M* 227 nimios *T* *ibid.* estas *T* 231 aut *T* *ibid.* spectant ex *L* 241 more *T*.

fata premunt miseros, currens et territat hostis.
ardet et insequitur. cunctis de partibus ingens
turba cadit, seseque suis per pectora telis
transfodiunt. alii veniunt in tela cadentum
praecipites: alios pondus civile repellit.
sic pariter turbata ruunt de montibus altis
agmina densa virum; mixtis vectator et armis
fortis equus, rapidi iactatus turbine cursus,
confluit, et dominum vasto sub pondere frangit.
ceu glaucam veniens grando destringit olivam,
arboris excutiens concusso vertice fructus:
tunc pariter praeceps ad terram pondere nimbi
et tener excutitur, quassatus grandine, ramus.
non virtus inimica viros, sed fata premebant
invida, quae tantam properabant perdere gentem.
  Hinc acies confracta redit, regemque trementem,
annorum fessum numero casumque paventem,
deiicit, et sceptrum saevo dedit inde tyranno.
tunc doluit princeps dirupto foedere regni,
tunc Libyam solitis quaesivit Roma triumphis.
sed tamen in modico perierunt tempore cladis
multa; satis dirum senserunt omnia bellum.
namque inter geminas pressa est tunc Africa pestes:
hinc fervens bellum, spolians premit inde tyrannus.
subtrahit a miseris almae fortuna salutis
praesidium, mortemque alterno Marte minatur.
quem fugiant? qua parte cadant? praedantur ubique;
terror ubique viris. saevas sic tota per illas
maxima terrarum est Libye nudata rapinas,
ut perit in dubiis puppes, heu, naufraga ventis.
Poenorum has pestes solito miseratus ademit
more pius princeps, Afris solatia fessis
summa ferens; victorque malum deiecit utrumque,
Sidonios patres titulis melioribus augens.
vestra manus miseros mortis de faucibus Afros

255 concidit *M*   258 praeceps pariter *T*   261 invidia *T*   263 armorum *T*   264 deiecit *T*   265 direpti *T*   275 Libyae *apud M*   276 puppis *T*   278 morte *T*   280 sidomos *vel* sitomos *T*.

eripuit, fessisque iugum crudele retraxit.
Africa surrexit vestris erecta triumphis.
gaudia post luctus terrae donastis amicae.
dum premitis gentes, totum dum vincitis orbem,
intremuere feri vestra virtute subacti.
Maurorum tunc bella duces, tunc proelia quisque
vestra pavens, alacer frenos et iura cucurrit
principis ultro pati. florens haec gaudia sensit
nostra decem tellus plenos laxata per annos,
et quamvis fuerint fato pellente rebelles,
ante magis cecidit quam praedam tolleret hostis.
non mentis consensit tunc Africa bellum:
te vigilante, pater, spectavit Leucada pugnas
virtutemque tuam. pinguescunt sanguine campi,
ossibus albescunt; feriuntur vomere rapta
ex humeris capita et sparsi per gramina trunci.
ense tuo cunctis notum est quid gesseris illo
Marte, favente deo. tantis signare tropaeis
quis potuit campos? ornasti, magne, decorans
et Solomoniacos auxisti saepe triumphos.
asper et ille semel bellum tentavit Iaudas,
et tulit, ante tamen campos quam vidit apertos,
et mediis tremuit Romanos currere silvis.
at Stutias orsus nostra de parte duellum.
haec nobis, haec ira fuit; haec addita rebus
cura nefanda piis: bellum civile revixit.
tunc Carthago foras, dirupto foedere, praedas
sensit et infandum, non aequo Marte, periclum.
sed tamen hic celeri devictus tempore cessit.
hunc Membressa suis vidit concurrere campis,
hunc eadem petiisse fugam, cum maximus hostes
fudisset mediis victor Belisarius armis.

Te quoque per medias vidit victoria pugnas.

283 nostris *T* 290 ducem *T* 292 preda *T* 293 *ante* tunc *M addit* inops 297 sparsa *T* 299 morte *T* 300 ornasti magno decorans *T*, et magno ornare decore *M correxit L* 302 aspice ille *T* *ibid.* iudas *T* 305 sentias orsus *T*, sensit prorsus *M* 307 nefandi *T* 309 equae *T* 310 sed tamen hic] Stutias hinc *M* 312 nunc *T*.

fortis et irruptis truncabas agmina castris
ense gravi, similique viros virtute necabas,
Germano spargente ferum victumque tyrannum.
te cellas Vatari miro spectabat amore,
te Autenti saevos mactantem viderat hostes.
  Tunc facta est nostrae requies pinguissima terrae.
non bellum, non praedo rapax, non miles avarus
rustica tecta subit; tentatur nulla supellex.
omnia plena bonis pluvie: pax tuta per orbem.
tunc fecunda Ceres, tunc laetus pampinus uvis
pictaque gemmiferis arbor splendebat olivis.
miles et in propriis laetatur sedibus insons.
cultor in omni parte suas plantare novellas
coeperat; et ductos iungens ad aratra iuvencos
arva serebat ovans, placidusque a monte canebat.
ausus et ad lunam laetus cantare viator.
dives opum pax, pinguis erat mercator. ubique
quisque canit; resonant securis carmina terris
dulcia voxque levis. gaudens hinc cantat arator,
inde viator ovans. mulcebant ergo Camenae
et variis hominum relevabant pectora Musis.
libertas iam plena fuit, sed tempore parvo.
invida sunt misero fatorum stamina mundo.
cur, Lachesis, hominum tenui pendentia filo
fata tenens leviter pellis? iam rumpitur orbis;
fortibus aut aeris referes ferrique catenis,
cuncta movens, terror premeret, non rumperet ira.
  Iamque novas melior reparaverat Africa vires,
atque hominum vastare genus mundumque labantem
coeperat. his nostris veniens fervebat in oris.
nunquam audita fuit mortis tam tristis imago,
non orbis novitate rudis, non tempore Pyrrhae.
nam miseros monstris conturbans letifer annus
miscuerat superis manes; seseque videbant
vulnera divinis homines hausisse sagittis,

318 cellas *T*, cultor *M*   323 pluuie *T*, Libyae *M*   333 moxque *M*
334 mulcebunt *T*   335 curis *M*   339 tenes *T*   340 referens *M*
343 labentem *T*   347 non *T*   349 auxisse *T*.

tum varias pestes una consurgere terra
aspectusque feros. iam nullus terror acerbis
mortibus; haut leto metuens sua lumina clausit,
aetas si qua ruit. lacrimis privatur amaris
humanum genus, et plangentia lumina non sunt,
dum sibi quisque timet. nullis tum redditur ullum
funeris obsequium; sonuit non luctus in urbe;
non sponsus sponsam flevit, non nupta maritum;
nulla parens natum doluit native parentem.
o male corda novam nusquam plangentia mortem!
iustitium meruit, sed nullis lumina tectis
effundunt lacrimas: vilis mors omnibus illa.
iam Libycis vacuae cessabant civibus urbes.
rarus et in multis domibus vix unus oberrans
divitias longa quaerebat lite parentis,
immeritus iam plenus opum, qui mille parentum
heres erat: non notus avis patrimonia, fructus,
argentum vestesque simul flavumque metallum
abstulit, et tantis implevit praedia rebus
insaturus. magnis cumulata est arca facellis,
et tamen ardor inops nunquam satiatur avaris.
coniugiis caluere novis, viduasque potentes
accipiunt: nullis virgo quaesita maritis.
coniugis ob nummos defuncti quaeritur uxor:
virginibus dos parva datur, si tempore diro
nulla maritales curavit reddere luctus.
Hinc fera cuncta patent, et tristes surgere lites
incipiunt. saevit toto discordia mundo,
iurgia saeva movens. pietas omnino recessit;
iustitiam nullus compuncta mente secutus.
inde est quod miseris, ira dictante, flagella
omnipotens genitor, dilato tempore nullo,
addidit, et lites cunctis iratus ademit.
erigit a nostris nascentem finibus hostem.
hic fratris mortem concussa mente dolebat:

352 martibus aut *T* 355 nullus *et* reddit *T* 368 prelia *T* 370 inops *T*, opum *M* 373 defuncta *T* 376 hic *T* 380 fragello *T* 382 adauxit *M* 383 eriget *T*.

sed virtus non ulla fuit qua surgere posset.
dum tamen occultum conservant pectora bellum,
militis innumeras fatum miserabile sensit
diminuisse manus. gentes non laesit amaras
Martis amica lues. metuens tamen ille cavebat
ne male praelatae caperet contagia terrae.
ast ubi pulsa lues, Martis succedere fervor
coepit, et infandas acies ad bella coëgit.
misit ad extremas Libyae sitientis arenas,
sole ubi tellurem nimio siccaverat olim
fulmine deiectus Phaëthon; populosque malignos
edocuit, nostrisque implevit cladibus ora.
iamque ferae gentes Libycum funduntur in axem.
raptor ubique furens per nostras currere terras
et vastare casas ignemque immittere tectis
incipit, et flammis succendere fervidus urbes.
   Ut Solomon vidit tantum consurgere bellum,
Romanas acies cunctis de partibus actas
contrahit, adversis properans concurrere fatis.
ilicet infausto mandatur pagina cursu,
et ruit ecce volans, aequo non Marte coactus,
Maurorum ductor, miseri Solomonis amicus
Romanis rebus nimium semperque fidelis,
Cusina Mastracianis secum viribus ingens.
qui Tripolis tunc ductor erat, convenit et audax
Pelagius; sed gentiles durosque Mecales
secum ad bella trahens fessis non viribus ibat.
infauces fictos suscepit nescius artis.
mens obscura manet, quotiens, Fortuna, minaris.
heu, Solomon miserande, tuis hos iungere castris
debueras. tractus versis contraria fatis
semper agit. nullus poterit vitare quod instat.
   Ultima iamque dies nostras pervenerat oras;
iam Libyam minitans properabat perdere fatum.

388 non minuisse *M*   390 mala prelate *T*, mala praelatae *M*   394 sol *T*
396 nostrasque — oras *MT*   402 actus *T*   408 cosina *T* *idem* cosma 5 268, 468, 517.   410 pellagius *T*   411 festis *T*   412 in fratres *M*.

congreditur mediis commiscens proelia silvis,
impavidus fidensque suis. iam vicerat hostes,
iamque acies adversa fugax advertere terga
coeperat atque metu fervens, iamque ipse per hostes
currit et eversas sequitur per devia turmas,
cum subito dirupta fides. Fortuna retorsit
vultus retro suos. Lachesis tunc stamina rupit,
laesaque perversas retulit victoria palmas.
invenere suum tunc tristia fata ministrum.
Guntarich infelix nostrum conterruit agmen.
funditus hic potuit Romanas vertere vires.
non victum fortuna, minax non presserat hostis,
non metus acer agens; sed vertens mente maligna
signa refert fingitque fugam. quem vidit ut omnis
versa cohors trepidum, sequitur, campisque magistrum
deserit, in mediis miscentem proelia fossis.
haec fors dura novas tunc hostibus addidit iras
virtutemque simul, nostris letumque metumque
obscenamque fugam, turpi quae perdere gentes
Marte solet. sequitur densis iam fortior armis
hostis acerba furens. ipse impendente tumultu
occidit, heu, duris transfixo pectore telis
immeritus Solomon. tunc omnis vertitur ordo.
Martis more furens nullus iam rebus amicus
mansit, sed praedam rapiens per bella cucurrit
omnis amica manus. flevit tunc tristis arator
disiunctos, fugiens, hostes rapuisse iuvencos.
tunc omnes periere domus, tunc cuncta supellex.
nec solus pauper casu concussus in illo
succubuit: dives pariter cum paupere mersus.
post Solomonis opes libertas facta rapinis,
nec pars ulla fuit belli secura maligni.
raptor ubique furens urbes succendit et agros;
nec seges aut arbor, flagrans quae solvitur igne,

425 iatesis *T* 428 cunctarit *T* 430 minas non presset *T* 432 fingitque] fugamque *T*, clamore *M* 434 miscentes *apud M* 435 nec forsan *T* 437 turque *T*, turbat quae *M* 439 ipso *apud M* 448 pariter *M*, pauper *T*.

sola perit: quae peste carent, armenta peredit.
omnis et a dominis calcata est Africa Mauris.
pro dolor! in campis acies iam sistere nulla,
nec potuit clausos miles defendere muros.
irascente deo traduntur cuncta rapinis.
perfidus et Stutias iterum per bella cucurrit;
Antala dominante suo; meruitque tyrannus
omnia sub domino praedans discurrere Mauro.

LIBER QUARTUS.

Dum placet infandi nomen memorare tyranni,
surgit ab internis, conturbans ossa, medullis
durior ecce dolor. confusa mente retardor
tot clades memorare ducum casusque meorum
atque meos. miles trepidos non fidus adegit
tradere signa malis. longum est narrare ruinam:
sed memorem certis bellorum crimina verbis.
  Dux erat obsessae servator Himerius urbis,
moenia clausa tuens et celsas milite turres.
e mediis miseros traxit fallacia muris,
et Mauris servire dedit. namque urbi sedenti
blandior infausto mandatur epistola versu,
nomine scripta ducis; milesque Sinonius intrans
esse Iohannis ait. legimus mandata tyranni,
credentes mandata ducis. nos saepe per illam
hortatur mediis, ceu dux, occurrere campis
et pariter sparsas Maurorum evertere fossas.
attollunt animos confusa mente tribuni;
signa movenda damus. tacita velocius aura
egreditur dux ipse simul, noctisque per umbram
currit eques sociis festinus iungere signa;
seque putant tardasse viri. tunc ante cucurrit

453 per edcn *T* — 1 Ductor iacet *T* 5 milex trepidus *T* 8 obsessus *MT* *ibid.* imerius *T* 15 nempe? 16 seu *T* 18 at tollunt *T*.

impius ille Sinon, gentesque dolosque paravit.
extulit ignivagos gelidis ut maestus ab undis
Phoebus equos, patuere doli. tunc signa tyranni
vidimus, heu, miseri nostris occurrere signis,
et totis rabidos campis fervescere Mauros.
nos pavidum revocare pedem: nam sistere contra
quis poterat? sequitur pavidas per prata catervas
Antalas Stutiasque furens. via nulla salutis,
et densus trepidos urgens circumvolat hostis.
mors erat ante oculos, et opem fors dura negabat.
o utinam medio iacuissent funera campo!
dedecus indignum nostris procul esset ab armis.
erectus medius felici Marte Iohannes
occubuit: fastus domini non pertulit hostis,
sorte pari enses nec timuit captivus heriles.
ergo per extensos fugiens compellitur agros
currere fortis equus. crebro sonat ungula cornu,
atque feris pavidos urget de montibus hostes.
ardua castra gerit: campis Cebar addit apertis.
huc miseranda manus frenos deflexit equorum.
cum miseri tenuere Mileu castella tribuni,
dixerat et medius; nec nobis claudere portas
cura fuit. tutamus equos, pugnaque pedestri
cingimur, et tectis venientes pellimus hostes.
irruerant gemini turba coëunte tyranni,
Languantanque cohors et densis Naffur in armis.
tunc Stutias, saevum fingens compescere bellum,
in medias acies stricto volat igneus ense.
admonet arte feros campis desistere Mauros,
et cohibet sumptas infandis vocibus iras.
discessere locis. stetit improbus aggere celso,
ceu placidus, blandis nutantia pectora verbis
impellens ad bella: simul promittit et urget,
hortaturque viros variis ad bella figuris.
nunc minitans, nunc blandus adest. terrore subacti

23 putauit. 34 deletus *T* 35 evectus? 36 occurrit *M* 40 moribus *T* 43 miseris tenuere miles castella tribunis *T* 44 dux erat *M* 46 tettis *T*, telis *M* 57 et errore *T.* ?

proiiciunt sua tela viri, genibusque tyranni
accurrunt celeres, et amica voce salutant.
iudicibus iam nulla salus. quid cuncta referre?
oramus veniam: datur ilicet. egimus hostes
per vitam iurare suam: fecere coacti.
finximus infandis veluti servire tyrannis.
Iustiniana polis saevis tunc tradita Mauris
sorte sub ancipiti. sociorum flectere mentes
post licuit per verba mihi. Marturius una
consilio maturus erat. compellimus ambo
nutantes animos propriis se reddere signis.
assensere viri: castris sensere malignis
paulatim tentare fugam. me noctis amicae
eripiunt trepidum, turba comitante, tenebrae;
perveniensque meas vidi cum coniuge sedes.
deserit infandos fugiens Marturius hostes.
post sequitur miles. voluit quicunque, remansit.
Iustiniana polis nocturnis panditur armis:
proditione pia civis patefecit amicus.
hic iuga non potuit saevi sufferre tyranni.
signa tamen clausis servabant publica muris.
nec potuit quisquam, campo congressus aperto,
hostilem tentare manum; nec cedere ductor
iam voluit socios, Stutia vivente maligno.

Africa dum tantis urgetur fessa periclis,
Ariobindeis fulserunt aequora proris.
adventu stupuere ducis; gens territa cessit
Languantan terris. utinam non ille penates
Poenorum vidisset iners! tunc Africa clades
persensit graviore malo saevasque rapinas
inter utrumque ducem. nescit commissa potestas
aequales sufferre duos: censortis amicum
saecula nulla ferunt. sic nos exempla priorum
ipsa docent. primi sequitur pes mota secundus
crura pedis; ritum capitis sua membra secuntur,
et proprii generis fructum dant arbore rami.

58 proiciunt *T*   66 maturius *T*   76 civis *L*: *apud M* cuius.   *ibid.*
proiecit *M*   83 ariob indis *T*, Ariobindi *M*. *correxit L.*

mundus adhuc rudis et parvis vix laetus aristis .
non potuit portare duos; non maxima rerum.
Roma, novos proprio quae sanxit sanguine muros.
aemula dividitur confusa mente voluntas;
despiciensque parem discors permansit uterque.
dividitur geminas inter res publica partes:
quisque suos tenuere duces; dumque ille superbus
se primum esse putat, non se tamen ille secundum,
Africa barbaricis planxit nudata rapinis.
ductorum iussu, merito fortisque Iohannis,
tentavere feros aequis non partibus hostes:
sed victi petiere fugam. discordia mentis
vicit amare viros. rursus dux ipse Iohannes
signa movens densos ivit moriturus in hostes.
confisus virtute sua, fortesque tribunos
secum ad bella trahens, tantis concurrere monstris
non timuit. durae contempsit vulnera mortis
pro patria contentus amor. persensit ut hostis
adventum properare feri, non segnior ille
(sponte petit mortem) campis sua signa locavit,
et sociis sic fretus ait. 'contemnere vitam
pro patria, haec est vita magis. mors lege tonantis
humano lata est generi, nec praeterit ullum:
nam veniet quocunque modo. sed mortis honestae
summus honor summusque favor dulcisque cupido est.
hostis adest, socii. quotiens fugiemus amicum
Martis opus? quotiens fugitivos rideat hostis
imbellesque putet? nunc est tentare quid instat,
nunc virtutis opus. semper mihi cognita virtus
vestra, viri, semperque fides. consurgite, cives
Romani, pro laude pii, gentesque superbas
frangite. iam tantum ducibus removete pudorem.
fac nos velle fugam: fugitivos conterit hostis
feminea nunc morte viros. convertite mentes,
et procul a nostris discedat dedecus umbris.
o utinam ferus ille meis occurreret armis

94 ad hunc *T* *ibid.* mox *MT* 101 iste *M* 106 amore *M*
107 uidit *T* 109 secum *M*, sotii *T* 120 mortis *T* 126 nolle *T*

nunc Stutias, ipsumque mihi fortuna dedisset!
aut simul alterno patuissent pectora ferro,
et raperet fors saeva duos; aut corpus arundo
vulnere letali fixisset saeva tyranni.
vel mecum pariter, si sic mea fata minantur,
crimine civilis careat res publica belli.'
Dum movet ille viros, inimicis improba signis
ecce acies Massyla ruit; ripisque propinqui
fluminis, arte doli, longo stetit ordine compta.
tunc primum volucres pugnam movere sagittae:
impia pennato finguntur corpora ferro.
trans fluvium cedens acies inimica retrorsum
flexit equos: sequitur, densis et flumina telis
perrumpit levitate sua. non ille periclum,
non mortem metuens iter inremeabile transit,
invaditque viros, veluti vastator acerbus,
diripiens armenta leo taurosque feroces,
hunc fugat hunc mactat. currit dispersus ubique
grex pavitans pastorque fugax. furit ille cruentis
dentibus, et latos frangit manditque per agros.
Massylas acies sic dux virtute Iohannes
turbabat, mediis prosternens funera campis.
hunc imitata cohors gladiis fugitiva perurget
agmina transfodiens. volat igneus aequore toto
cum sociis dux ipse furens, Maurosque fugaces
persequitur ceu victor ovans. iam sanguine multo
arma calent; rubrum gestat iam dextera ferrum
pugnax militis atque ducis. pro sortis iniquae
triste nefas! o grande malum! iam cesserat hostis
victus, et adversas passim per prata catervas
sternebat Romanus eques victorque necabat,
cum subito Stutias mediis e vallibus atrox
signa movens inimica ruit, crimenque Latini
nominis Hermogenes pariter Taurusque feruntur.
hos sequitur Romana manus, non nostra, rebelles.
tunc iterum miseris pariter concurrere telis

131 semel *apud M*   137 massilla *T*   143 prorumpit *apud M*
152 gladiis] gelidus *T*, ingens *M*   161 e *M*, et *T*.

et bellum civile datum est. cognata petuntur
pectora, cognatis funduntur viscera dextris.
magnanimus Stutiae cognovit signa Iohannes
primus, et inflexo contra stetit acrior arcu;
at socii petiere fugam, faciemque furentis
nec potuere pati. nervo tamen ille sagittam
imposuit, ductamque sua gravitate remisit;
perque femur duri transivit arundo tyranni
confringens os pulsa feri, mollesque medullas
contigit, et mersae rubuerunt sanguine pinnae.
emicat inde cruor, vestesque aspergit heriles.
saucius at Stutias, letali vulnere victus,
flexit equum post terga fugax. hunc morte cadentem
suscipiunt socii, densaque sub arbore ponunt.
Respiciens victor socios per prata fugaces
vidit; et immensus duris dolor ossibus arsit.
tunc tristis casumque dolens est voce secutus.
'quem fugitis, socii? vestra est victoria, cives.
iam Stutias nostra confixus arundine bellum
deseruit, prostratus humi. convertite signa.
quo ruitis? quo vos fatum miserabile ducit?
heu, virtus Romana, peris!' sic vocibus ille
culpabat pavidas fatorum sorte catervas.
sed nullus post terga redit. Maurusia virtus
persequitur, trepidosque super tot milia currunt.
Alveus amnis erat mediis praeruptus in arvis,
utraque cognatae dirimens confinia terrae.
incidit hic fugitiva manus, mortisque pavore
per ripas fossasque cadit. miserabile letum
nascitur. heu, miseros pondus civile perurget
hostilisque metus! multos in tela cadentum
impetus ipse dedit: propriis modo pectora contis
transfodiunt; dominumque supercrepitante ruina
fortis equus veniens immani pondere frangit.
sic periit miseranda manus victique tribuni.
dux simul   Marturius illis

166 latum *T*   170 *ac* apud *M*   172 *sua add. M*   191 medius *T*
201 *post* simul *M* e mediis postquam.

vix potuit tentare fugam, moriturus in hostes
cum parva ruit ille manu. fortuna salutem
praestitit audenti, duraque e morte levavit.
  Interea Stutias anima fugiente dolebat.
paenituit bellasse ferum: suspiria ducit
cum gemitu, seseque dolens sic increpat ipse.
'quae mihi bellandi fuerat tam dira voluptas?
cur rerum ingratus domino nunquamque fidelis?
infelix virtute mea! modo paenitet ista,
dum miserum, mors saeva, trahis. reddam, improba, poenas
quas merui. Furiis socius Catilina cruentis
exagitatus adest. video iam Tartara fundo,
flammarumque globos et dira incendia volvi.
perfidiae meritum cum durae crimine mortis
hoc mihi bella ferunt. doleant caveantque Latini
has poenas, rebusque fidem dominisque reservent.'
dixit; et infelicem animam mors impia clausit.
  Occidit ut Stutias, quanquam ducis esset acerbus
morte dolor populo, Romanis crescere virtus
coeperat, et campos acies iam nostra petebat.
Guntarich en iterum perversa mente malignus,
perfidus, infelix, atrox, insulsus, adulter,
praedo, homicida, rapax, bellorum pessimus auctor,
ductorem incautum crudelibus occupat armis,
oppressumque dolo rapuit, iuransque fefellit.
principis haut illum tanti reverentia movit;
sumere nec timuit bellum nomenque tyranni.
quas Tyrii clades, quae saeva pericula passi
sub gladio iacuere gravi, sed tempore parvo:
nam breviata dies infanda et pessima regni est.
nam pater ille bonus summis Athanasius Afros
consiliis media rapuit de caede maligni.
hic potuit Libyam Romanis reddere fastis
solus, et infestum leto damnare tyrannum.
Armenius tanti fuerat tunc ille minister
consilii. hunc placidus cana gravitate coëgit

212 catelina furentis *T* 214 dura *T* 231 nam *M*, alii *T* 232 hafros *T* 235 clamare *T*.

immitem mactare virum. tentare periclis
non timuit genitor pro libertate senili.
Guntarich infelix, cupiens fera regna tenere,
Armenios enses saeva inter pocula sensit,
et male consessas maculavit sanguine mensas.
Africa, per tantas periens non ulta rapinas,
sic mersa est. te exspectat inops. succurre gementi:
namque potes, virtusque tibi iam nota per orbem est,
et vigilant sensus, et claris dextera factis."
Talia commemorans referebat bella tribunus,
lumina conturbans lacrimis; Libycasque ruinas
fataque cuncta ducum luctu deflebat amaro.
ingemuit ductor concussa mente benignus.
congemuere duces: animis in proelia surgunt
indomitis. dolor atque pudor fera corda fatigat.
tunc maculis tinxere genas, pallentque rubentque;
nec latet ore furor. cunctantem surgere lucem
iam cupiunt, tardumque iubar noctemque requirunt.
Caerula sulcabat dirumpens luce corusca
Phoebus, et errantes radios per nubila vibrans
lumina sub tremulis spargebat lampadis undis;
surgebatque dies miseris gratissimus Afris.
iamque duces, variis turbantes vocibus agmen,
urgebant fortesque viros clarosque tribunos.
quisque suos hortatur agens: his castra movere,
arma parare iubent, iussa spectare magistri.
signa ferunt ornantque viri, gaudentque tuentes
prospera discussis ludentia flamina velis.
at pater exsurgens compuncta mente Iohannes,
corde pio, genibus nixis et poplite flexo,
suppliciter geminas tendens cum lumine palmas,
ore canens haec verba refert. "tibi gloria, Christe,
summe parens hominum, linguis et pectore puro
rite datur, laudesque libens gratesque resolvo,
non alium laudare volo. tu, conditor orbis,

240 guntarith *T* 242 confessas *T* 246 *an* claret? 263 iussum *M*: cf. 5 582, 7 46 et 605. *quanquam contraria quoque sunt exempla,* 3 30 et 4 13.

tu gentes et bella domas, tu conteris arma
impia; tu nostris solitus succurrere rebus.
aspice succensas duris a gentibus urbes,
omnipotens, agrosque vide. iam nullus arator
arva colit; lacrimas nullus per templa sacerdos
pro populo iam ferre potest: nam noctibus omnes
vincula dura ferunt, palmas post terga revincti.
aspice, sancte pater; nec iam tua fulmina cessent.
sub nostris pedibus Maurorum sterne catervas;
eripe captivos saevis a gentibus Afros;
Romanosque tuos solite miseratus alumnos
cerne pius, nostrisque favens fac gaudia luctus.'
Haec memorans lacrimis siccas infundit arenas:
quippe dolor pietasque movent, mentesque benignas
conturbant, densisque agitant singultibus artus.
ut bene complacitis consummans omnia verbis
conticuit, tunc surgit ovans; rivosque fluentes
luminibus tergens, placidis iam vultibus heros
respicit, armatasque iubet properare cohortes.
ipse capit tumulum, quo summus et altior astans
consilio cunctos relevaret more ministros.
conveniunt lectique duces fortesque tribuni
atque suo veniens condensus in agmine miles.
undique ductorem vallant stipante caterva.
non aliter quam examen apes per mutua nexis
efficiunt pedibus, regem dum saepe secuntur.
arboris aut apicem ductor summumque cacumen
aut mediam tenuit contentis frondibus ornum.
ipse sedet, primusque locum stridore verendus
eligit; at circum densis exercitus alis
colligitur, regisque sui praecepta capessunt.
Armiger interea veniens de montibus altis
ecce volat; densasque videns astare catervas
et celso medium fulgentem colle magistrum,

278 pro] cum *M*, *om* *T*: cf. 6 491, 7 388. 279 palmis *T* 280 sancte *M*, tanta *T* *ibid.* flamina *apud* *M* 281 externa *T* 288 consumans *T* 294 letinque *T* 295 condenso agmine *T*, condenso ex agmine *M*: cf. 7 183 301 que *add.* *M* 302 ac *MT*.

alipedis celeris dextra contorsit habenas,
ductoremque petens volucres per gramina cursus
corripuit, densum et dirumpens concitus agmen
fluxit equo, pedibusque boni tunc more magistri
oscula pressa dedit fervens. iamque omnis in illum
turba coit, causas cupiens cognoscere rerum
responsumque feri referentem audire tyranni.
et metuunt ne pacem oret, cum dicere iussus
paruit et placido sic coepit Amantius ore.
"omnia quae dominus famulo praecepit adimplens,
gentibus in mediis, portans mandata, cucurri;
perveniensque ferum vidi sub rupe tyrannum
montibus in summis. tunc evocat ille rebelles
aere ciens: cursu rapido Maurusia turba
confluit, et nigrae facies tentoria complent,
ut quondam Ditem moturum proelia divis
concilium fecisse ferunt, et mille per amplas
monstra vias venisse, Hydram tristemque Megaeram,
atque Charona senem deserta currere cymba,
Tisiphonem validam flammis et pondere pinum
quassantem, Alecto tortis saevisse chelydris,
quaeque sub ingenti facies monstrantur Averno.
utque ducem veniens densum circumstetit agmen,
obtulit ipse sedens consessum ex agmine dignis.
ille tamen medius sedit praefectus; et omnis
aspiciens rapido tumidus sic intonat ore.
'legatos, proceres, dura et mandata Iohannis
suscipiens vos nosse volo, cunctisque loquentem
mandatum monstrare virum. vos auribus illum
intentis audite palam; et decernite, si quid
est animo fixum, pacem bellumne petamus.'
permisere loqui, digitisque silentia linguis
imposuere suis. docui praecepta iubentis
principis et morem: pietas ut magna regentis

310 flexit *T* 315 sic coepit *add. M* 317 medii *T* 320 aere *M*, nocte *T* 324 uenisse uias *apud M*: transposuit *L* 325 ac carona *T*, ac Charonta *M* *ibid.* ternibа *T* 329 circomstitit *T* 331 presectus *T* 334 suspiciens *apud M* 337 bellone *MT* 338 promisere loqui dignisque *T*.

omnia contineat, crebro sermone cucurri;
virtutem indomitam mista bonitate refovi.
saepe minas addens, Romanos parcere dixi,
sed tamen et gentes semper fregisse superbas
funditus et validos bello pressisse tyrannos,
enumerans quos Roma potens postque ipse subegit
noster ab extremo tentantes proelia mundo
princeps, asserui; bellum pacemve recurrens
edocui; tandemque silens responsa petivi.
illi inter sese fracto sermone furentes
latratus varios, stridentibus horrida linguis
verba ferunt, seseque novo terrore revincunt,
monte lupi medio veluti, cum nubila latis
incumbunt terris, ululatibus aëra crebris
pulsant perque cavas resonant latratibus umbras.
ut requies facta est animis, tunc ille superbus
talia verba mihi dictis respondit acerbis.
'ista mihi satis est Romani cognita regni
nuper rupta fides; ultra nec fallere quisquam
Antalan se posse putet. iam sufficit istud
Armenio licuisse semel, quos fingit amicos
arte mihi. non vester eram? non saepe cucurri?
non iussus merui? cautus non proelia gessi
pro ducibus, Romane, tuis? res publica certe
fida satis, sanguisque tuus, germane, fatetur,
Guarizila, ducis iussu qui fusus iniqui est;
Armeniique tui docuit mihi reddita merces,
frangere quod, nisus nostra virtute, tyrannum
Guntarich hic potuit. paci sic fidus amicae,
sic meritus, vestris quod favi saepe triumphis,
haec ego digna tuli; vobis quia bella peregi.
haeccine vestra fides? tales referuntur amici?
Artabanum modo grata mihi fortuna dedisset,
sorte nova fortis pariter cum noster Ilasguas
castra regit, gentesque fere de finibus Austri.

345 deperisse *T*, periisse *M*   361 necuisse *M*   362 mihi] noua *M*   363 iussis *T*   369 zuntarich *T*   370 meritis *MT*   373 dedisses *T*   375 ferae?

quas tamen ecce parat ductor tentare Iohannes
milite cum parvo; pacem qui quaerere nostram
non humili cum iure putat, sed callidus arte,
poscere quos decuit, vanis terroribus artat.
tot mihi post meritos subiecto Marte triumphos,
dextera quos tribuit ducibus virtute peremptis,
post Solomona ferum, primi post fata Iohannis,
Antalan cuiquam bello tentare licebit?
terreat ergo lupum pascens in vallibus agnus,
et leo iam metuat surgentem in cornua cervum;
vividus ore canis leporem damamque pavescat,
et ferus accipiter mitem sub nube columbam;
armiger ipse Iovis liquidam tremefactus in aethram
effugiat raucamve gruem cygnumve canentem;
omnis et inversis pereat natura figuris.
Romanis totiens iterum concurrere victis
ecce placet. rursus redeant et proelia tentent.' "
Vix ea legatus: media inter verba cucurrit
perque duces varium perque agmina fervida murmur,
turbine ceu valido, prima surgente procella,
aequora pulsa gemunt ruptis crepitantia ripis:
congeminat tunc unda sonos, et litora lapsu
cuncta fremunt, crebroque resultant aspera fluctu,
imperat erecta mutaque silentia dextra
ductor. conticuere citi, intentique magistrum
suspexere viri. facies tunc omnis in illum
mensque coit; cupidique volunt audire iubentis
consilium: apponunt sensus auresque loquelis.
hortatur placida rector tunc voce cohortes
attonitas, avidasque movens in proelia mentes
talibus incendit dictis et firmat in hostes.
"Romanis, socii, crevit sic gloria rebus,
resque simul totum regnavit publica mundum,
dum gentes, dum bella domat. non arma ferentes
Romanus timuit populos, aut agmina miles

388 liquida *M* *ibid.* etram *T*, aethra *M* 397 sonum et a secunda manu sonis *T* *ibid.* mox laxu, 399 erepta *T* 405 mouet *T* 408 simul *M*, semper *T* 409 domant *T*.

quanta forent metuens convertit terga retrorsum,
fidus quippe suis, et multo pervigil astu,
et virtute potens Martis sufferre labores.
sed quotiens dirupta fides, nec principis ullus
vicit honor mentes iam sese ad bella parantes,
dum raptus, dum praeda placet, dum praemia miles
Martia mente cupit nostris contraria signis,
tunc Romana manus, propriis conterrita dextris,
terga dedit gentesque feras vicisse putavit.
non tamen his longos tenuit fortuna labores
perfidiis, sed laeta serena meliorque revisit.
diligit illa suam fatorum munere Romam.
hanc propter multos perdens omnino nocentes
contrivit, rebusque dedit sua gaudia nostris.
profuit insano nomen quid ferre tyranni
Guntarich, Armenia iacuit qui ex caede volutus?
nonne epulas inter vel festae pocula mensae
exsolvit meritas pro fracto foedere poenas?
quid Stutiam referam profugum, tot partibus orbis
errantem, dum multa cupit, dum vana requirit,
nomen habere volens iniusto Marte tyranni?
quas Libyae clades, quos gentibus ille furores
addidit! aut quanto maculavit sanguine ferrum!
tardius ille licet, digna sed morte peremptus
occubuit, crimenque simul poenasque resumpsit.
cernitis ergo, viri, quantum fortuna laboret
principibus servare fidem, quantumque secundo
Marte gerat totum Romanis subdere mundum.
ergo agite, et belli socii civesque fideles,
pandite quisque suas in aperta pericula vires,
Romano de more pii; gentesque malignas
rumpite. cognoscant populi regesque subacti
quae rebus virtus et quae sit gloria in armis.
cernite sub quantis iaceant nunc signa periclis,
et vigilate, viri. mediis tentoria Mauris

419 que *add. M* 421 perfidus sed leta *T*, perfida sed se laeta *M* 422 numere *T*, numine *M* 434 marte perhentus *T* 444 iactent *apud M.*

vallantur, virtute salus gladioque petenda est.
coniunctos lateri nostro quos credis amicos
pacatosque putas, casu speculantur in isto:
si victor Romanus erit, famulantur, adorant;
et sola hos faciet victrix fortuna fideles
conceptusque timor. nunc nunc insurgite, cives;
haec est quae geminas franget victoria partes.
hi gladio pereant, hos virtus terreat hostes.
ite, duces, numerosque locis componite vestris
quisque suos. propriis incedant signa maniplis;
et bene compositas acies in proelia ferte."
 Dixerat, et saltu sese super ardua terga
composuit sublatus equi. sonuere verendi
arma viri, cassisque novo splendore coruscans
sole repercusso radios in lumina misit,
loricaeque iubar rutilum per castra cucurrit.
non aliter nubes convexo margine caeli,
murmure mota novo, medium dum tangit Olympum,
intonat et subito flammas per nubila vibrat.
tunc omnes saluere duces omnesque tribuni.
post imitata cohors validas incumbit in hastas
quadrupedesque premit; saliens pars ardua celsi
colla retentat equi. sonipes celer aequore toto
oppugnat frenis, dextra laevaque per herbas
subsiliens; colloque manus dum sentit heriles,
gaudet, et in latos luctatur currere campos.
 Direxere acies. dextro regit agmina cornu
Gentius, electis circumdans signa maniplis.
ipse magister ovans, rutilato vertice fulgens,
fertur equo; cristisque decens auroque coruscus
per medias volitans succendit proelia turmas,
componitque acies digna fortissimus arte,
magnanimus iuxta iuvenum Putzintulus ingens
arma movet, densasque trahit post signa cohortes,
belliger ipse supercristata casside celsus

447 coniuncti *M* 452 partas *T* 454 loci *T* 465 siluere *apud M* 466 ualidis *et* hastis *MT* 471 laetatur *M* 473 genius *vel* gemius *T* 475 tristisque *T* 478 putrunculus *T.*

loricaque micans et longa pulchrior hasta
arduus ibat equo, sociosque ex more monebat
voce suos, superans quoniam sapientia forti
pectore semper erat. felix, si fata dedissent
longaevos in luce dies, maturus ut ille,
cana aetate foret quantum maturior, esset!
Tertius ille furens rapta Gregorius hasta
atque levi clipeo telo fulgebat Ibero.
Geisirich hunc iuxta numeros et signa movebat,
ante tubam cupiens adversas rumpere fossas,
conscius ipse sui. cunctis fulgentibus armis
ardua tela gerit. ferrato corpore toto
ipse nitet: squamas maculis distinguit in auro.
aurea cassis inest, commisto flammea ferro.
inde apicem cristasque iuba componit equina,
cingula gemmiferis stringit fulgentia bullis.
Vagina gladius latus exornarat eburna.
tunc suris ocreas, multo quas vinxerat auro
Parthica pellis, habet, rubroque includit in ostro,
depingens gemmis et multa callidus arte.
omnia signa placent, meliorque et maxima virtus.
Inde per extensos componens agmina campos,
consiliis melior, fortis Marturius ibat
atque tribunicia socios virtute regebat.
Martianusque potens densos perfertur in hostes,
misturus proprio Barcaei sanguinis amnem.
nec non egregius clara de stirpe Senator
fertur equo, comptisque nitet felicior armis.
Hos sequitur fidus, densa stipante caterva,
Cusina Massylis deducens agmina signis.
ille animo Romanus erat, nec sanguine longe,
moribus ornatus placidis, gravitate Latina.
non illum aequiperans iaculis aut viribus esset
vel Veneri dilectus Adon vel fortis Achilles.
At parte ex alia, cornu fulgente sinistro,
nomine ductoris ductor fuit ille Iohannes

488 iberis *T*   489 geisirith *T*.

iam senior grandisque annis; cui cruda senectus
et virtus iuvenilis erat, qua maximus hostis
frangere non minimo potuit sudore laborans.
discolor hunc portat maculis variatus in albis
parte niger sonipes, gemmis auroque superbus,
ore fremens; camposque levis discurrit in omnes.
ferreus ipse suas componens ordine turmas
itque reditque volans, socios et firmat euntes.
  Fronimuth erectis iuxta movet agmina signis
impiger, et campis socians coniungit apertis.
ipse licet medius cristis et casside fulgens
emineat, ferrique novo splendore coruscans,
altior adversi radios et lumina Phoebi
suscipiens frangat, densae tamen undique septum
circueunt acies clipeis galeisque micantes.
  Proximus inde ciens numeros Marcentius urget;
iussaque per latos discurrunt agmina campos.
illius et fulvos cassis premit aurea crines
aere rigens cristisque gravis, thoraxque tremendos
suspendens humeros squamis fulgentibus ambit,
dum sonipes gradibus componit crura superbis.
lumbis tela gerit pharetramque arcumque sonantem
cinctus, et auratas referens in bella sagittas;
signaque terrificis munit vallata tribunis.
hinc Liberatus erat longa praestantior hasta,
hinc Ulitan pulcher, variis depictus in armis,
hic melior pilo, curvo nec segnior arcu.
flectere cornipedem placidis bene doctus habenis
ibat Ifisdaias gentis praefectus et auctor;
quem fera gens sequitur, nato comitante Bitipten.
gens numerosa viris, et gentis vivida virtus;
ingenioque valens fuerat dux ipse fidelis,
militiae ducibusque placens magnoque magistro.
natus et eximius sumptis praesumptior armis,
nec genitore minor, iaculis qui vincere posset

518 quam *M* 524 idque redit *T* 525 frominicth *T* 530 densae *L*, de se *MT* 535 aere rigens] erigens *T*, ingens *M* 545 ifisclaias *T* 546 bitimpten marge *T*.

Persarum teneras nervo pellente sagittas.
  Commissas acies dux Tarasis ante pedestres,
ardua signa movens, variis componit in armis.
ipse per obliquas distinguit proelia turmas
vectus equo, clipeosque suis coniungere dictat.
tenditur in longum, nexis umbonibus horrens,
Martia per latos acies densissima campos.
murorum in morem celantur corpora densis
tegminibus. solae apparent post scuta bipennes
et summae galeae cristis conisque micantes.
at super erectis horrescit ferreus hastis
campus, resplendetque novis terroribus aër.
  Sic pater ipse suae componens cornua pugnae
armipotens medius componit signa Iohannes,
ordine cuncta regens, aequansque per agmina turmas,
et bene quis medius, totis pugnaret ut armis,
in manibusque sui, fortis dictator ut esset,
arma movens populi. veluti vigilanter oberrant
cauta reluctantis media inter cornua tauri
lumina, bellantemque parant qua vulneret hostem
parte premens, dextroque rotat laevoque minatur,
vulnera congeminans variato verbere cornu;
quaque iubent oculi, configunt cornua vulnus.
sic acies ductor, perpensis partibus aequis,
bella subire iubet. sic disponuntur et arte
organa plectra lyrae, digitis pulsanda magistri.
quam movet ille, sonat contactu fistula venti:
non chordae, non aera gemunt, ni sponte regentis
carmina percussis resonent expressa cicutis.
non aliter iussu ductoris cuncta movetur
discretis acies concurrens ordine signis.
  Iunctus erat lateri clarus Recinarius, armis
fulgens et paribus disponens agmina curis,
ipse animo matura gerens, gravitate modestus,
magnanimus, mitis, sapiens, fortissimus, insons,
armipotens, belli domitor pacisque minister,

563 resplendet et T   567 quid T   568 suis M   574 quoque T
578 uento apud M.

corde humilis, quod Christus amat, pietate benignus,
et qui dignus erat tali properare magistro:
corpore nam geminos anima iunxere sub una,
non natura parens, summi sed signa favoris,
castus amor, pietas, bonitas, sapientia, virtus.
ergo inter medias acies praeclarus et armis
ibat equo, et placido socios sermone movebat.
  Ipso dispositu felicia signa regentem,
fortem mirata est acies inimica Iohannem.
Maurorum at princeps nocturno tempore Ierna,
sollicitus curis, muros per castra camelis
construit, octono circumdans ordine campum.
inde boves iungit, bis terno cornua gyro
cornibus arte ligans; et multo callidus astu
implicitas errore parat per devia fraudes,
notus ut inde volans currat per proelia Maurus,
ignarumque premat subeuntis castra per ipsas
insidiae formas infensi militis agmen.
non Labyrintheis Minoia cura latebris
flexerat ancipites tantis anfractibus orbes,
distorquens errore vias; quas callidus arte
invenit, tento revocans vestigia filo,
Aegides monitus. pectus tunc ipse biforme
ense ferit misti generis: vomit ille cruorem,
et ruit obscurae confringens cornua terrae.
tertia constricti formans munimina valli
circumdat, spargitque pecus vincitque minutum,
impediens: medios densis astringit asellis
arte locos, funesque ligans extendit iniquos;
et tribulos per castra locat furcasque bicornes,
exacuitque sudes et magnas obice cautes.
  Antalas pariter pugnas determinat arte,
egrediturque suis vallatus cornibus. ardet
in medium, confisus equo; pugnaeque pedestri

589 propiare *M*: cf. 6 202   591 natura *M*, nostra *T*   595 dispositu *L*, disposito *MT*   596 fortem maturata *T*, forsitan intuita *M*   597 bellerum *T*   603 et inde volans currit *apud M*   604 premit *M*   613 constructi *M*   614 uicitque *T*   616 funesque *apud M*   617 triblos *T*   618 magnos *T*   620 ardens *L*: cf. 633.

composuit solido iunctas umbone phalanges.
sed propius tenuit munitis agmina castris,
nec pedites voluit tristes committere pugnas
longius, expertus totiens quid terror in armis
et virtus Romana potest. tamen ordine certo
processit geminis acies Maurusia signis.
ante volans sonipes totos concurrit in agros,
Languantanque levis campos collesque propinquos
atque cavas valles silvasque et flumina complens
it, Ierna comitante fero Brutenque superbo.
ille secundus erat; Camalus quos deinde secutus
ardet in adversos multis cum milibus hostes.
Hisdreasen Ialdasque ferox et Suietira fervens,
quosque referre parans comprendere nomina nullus
mente potest, saevasque volens tot dicere gentes.
his medius, fomes belli rectorque, Sidisan
acer erat, dextrosque equites et signa regebat.
at socians laevo Carcasan agmina cornu
condensas acies campos effundit in omnes,
Ifuraces in bella movens; pariterque Melangus
signa regit, Gautal Gaeutanque, Alacanza, Iutungun
dirus et Autiliten velox fortisque Catubar,
et quos mille duces misere in proelia Syrtes.
  Iamque propinquabant adversis hostibus hostes
signaque compositis. arcus volucresque sagittas
depromunt pharetris, et ferrum missile vibrant.
finierat spatium vacui pars obvia campi,
accessumque viris acies aliena negabat,
inque suis obstans venientes fecerat hostes
stare locis, pressisque haeserunt agmina frenis.
prospiciens acies, vidit Guenfeius hostis
ductorem Antalas media inter signa Iohannem,
dignovitque procul celsa per tela suorum.
egrediens tunc fertur equo, magnique magistri
transiit ante oculos, domini post terga reflectens

623 propritus *T* *ibid.* agmine *T* 627 genis *T* 639 sotias *T*, socius *M* *ibid.* catarsan *T* 652 heros? *sic* 1 468 *at* 6 296 et 522 hostis. 654 celsum? *L* celsa inter.

cornipedem frenis. hosti tamen obvius ivit
congressus vacuis ductor fortissimus armis.
arripit ille fugam; quem dux sic voce secutus.
"quo fugis, Antalas? haec sunt minitantia verba?
milite cum parvo veniens vocat ecce Iohannes.
quo velox deflectis iter? modo iudicet ille
qui caelum terramque movet, qui fulmina torquet."
talia narranti seseque in bella vocanti
erubuit, maerensque suis se immiscuit armis,
cum magica taurus demittitur arte
Maurorum e medio, taurus quem Ierna sacerdos
atque idem gentis rectorum maximus auctor
finxerat, Ammonii signantem numine Gurzil
omina prima suis. celsis tunc cornibus ille
inter utrosque furit, dubius qua rumperet hostes.
agmina dum trepidant, cursus per Syrtica rupit
ingrediens iterumque ferox sua castra poposcit.
hunc sequitur Romanus eques, tremulumque sub armo
missile contorquens mediis prostravit arenis.
proelia raucisono cecinerunt cornua cantu.
tollitur inde novus fractis ad sidera clamor
vocibus, et magnis ululatibus ardet Erinys.
concrepat omne nemus: tunc omnis consonat echo
gentibus, et varias imitatur reddere linguas.
hinc Sinifere vocans acies Maurusia clamat
Mastimanque ferum: Mastiman assonat echo.
inde ferunt Gurzil: Gurzil cava saxa resultant.
hinc Romana manus, conturbans vocibus aethram,
intonat, et quassis regemunt montana pharetris.
vox veneranda canit; clamatur nomine Christus,
Iustiniane, tuis pugnet fortissimus armis:
"principis imperium nostri, pater optime, serva."
ad nomen tremuere poli, tremuere gementes
concussa tellure; iugis et vertice silvae
commotae paruere quati, montesque lacusque

664 narrantis *et* vocantis *apud M* 666 *post magica M* subito 669 munine *T* 674 sub *add. M* 676 concinerunt *T* 682 mastinantque *T* 685 remugiunt montana faretri *T* 691 commoto *T* *ibid.* paruere *vix sanum.*

rauca gemunt; orbis tremuit compage solutus,
auctoremque suum linguis elementa fatentur.
Additus hinc furor est, animique in bella calescunt.
exhortantur equos, effundunt tela lacertis
spissa viri, densisque iubar pallescit ab hastis.
sub iaculis nox atra ruit carpitque tenebras,
et super arma diem ferrum disiunxit utrumque.
obvia contortis densantur tela sagittis,
alternaque hinc inde volant. tunc tristior omnis
obscurusque subit tantis hastilibus aër;
quantaque torserunt, totidem modo vulnera partes
suscipiunt. mortem veniens telum omne minatur,
sed dispar fortuna regit: nam missile tortum
saepius adversa vulnus, dum currit, in hasta
inveniens, gemino consertum pondere campo
corruit; ac duo rapta simul mors vulnera perdit,
inque aliis mors ipsa rubet. tunc sanguine misto
terra madet. strident missis hastilibus aurae.
Mars furit, et media permistus caede virorum
exanimes convolvit equos. coit improba virtus
alterna de parte ruens; caecique tumultu
atque furore viri adversis dant pectora telis;
quique aliis inferre parant, in viscera ferrum
suscipiunt, dulcesque animas per vulnera fundunt.
Acer in obnixos rumpens Recinarius hostes
irruit, adversasque acies et signa fugavit
Eilimare occiso, primus qui proelia miscens
Romanas acies ausus tentare petebat,
fisus equo fretusque suis. hunc maximus heros
excipit: opposito venientis pectora ferro
transfodiens, fractis rupit vitalia costis,
hastaque per tergum magna virtute cucurrit.
Vertit equos fugiens gelida formidine Mazax.
insequitur Romana manus turbatque premendo,
dorsaque per latos fervens Maurusia campos
comprimit, et versos facili iam caede fatigat.

693 alimenta *T*   697 capisque *T*   700 uolant hinc inde *T*   703 mostem *T*   707 mos *T*   724 marax *T*.

ut pedites socios stantes a fronte paratos
fractus eques vidit, rediens in pectora virtus
flectit equos; campumque feris clamoribus implens
currit, et in medios adversi militis ensis
quaerit iter. summis ductor sed viribus obstat,
confirmansque suos dictis hortatur amicis.
"Romani proceres, rerum nostrumque levamen,
experti totiens belli portare labores,
optastis pugnam. tandem data copia pugnae est.
unius puncti nutantis causa pericli.
hoc spatium summis impellite viribus omnes:
hic labor unus erit, nostrae victoria parti
quo manifesta datur. summos portamus honores
militibus, qui bella domant gentesque superbas
frangunt Romanisque novant sua gaudia rebus."
 Dixit; et in medium dirumpens concitus agmen
pulsat equum, magnaque fremens it voce per hostes.
consequitur densis acies fortissima telis.
pulvere cuncta latent: at campis ferreus imber
confluit, et nervis volitans pulsatur arundo.
 Mantisynan primum ductor transmisit ad umbras,
ense caput rapiens: nec sensit vulnus acerbum
magna viri cervix, nec tardus in ossibus ensis
sanguine tinctus erat. iacuit per gramina vertex
luminibus patulis: truncum levis aequore portans
currit equus, sanguisque micat qua colla metuntur.
Laumasan inde ferit valido per timpora ferro;
ossibus et fractis pariter per molle cerebrum
ensis abit, galeamque simul pallamque secutus
luminaque et longos secuit cum fronte capillos.
Guarsutiaeque levem coniecta comminus hasta
fundit equum. laevo tremuit confixa sub armo
fraxinus, et calido currens per viscera ferro
perque pedem dextrum domini conserta pependit.
corruit ob vulnus sonipes, dominumque ruina

729 pectore *apud M* 737 nutatio? 739 his *apud M* 743 dicit *T* 753 corruit *T* *ibid.* quo *apud M* 756 pellemque *M* cf. 2 186, 7 192.

comprimit ipse sua et letali pondere quassat.
Manzorasen medium rigido mucrone tremendus
dividit; inque latus gemina defluxit utrumque
parte cadens. iugulum rapiens deiecit Icirti
armatamque manum: ferrum tenet illa retractans,
frigidus ille cadit. terrae tremor ingerit ictus,
excutiens calidis morientia brachia nervis.
Mazana prospiciens ferventem caede Iohannem,
obvius, adducto tentans hastile lacerto,
irruit; inque virum veniens ut missile torsit,
flectit equum domitans. fortis sed vulnera ductor
nulla pavens, clipeo contentam deviat hastam
suscipiens, ipsumque petit non territus hostem,
et ferit intrepidus. virides cruor inficit herbas
exsiliens, tantumque iacet per rura cadaver.
Viderat ingentem deiectum vulnere fratrem
Gardius; exitiumque parans defendere fratris
ecce volat, tectus clipeo telisque superbus,
ductoremque petit. compellit conscia virtus
germanique dolor. ludit dum poplite flexo
subsiliens, tremulam per costas accipit hastam
tegmine transacto, ceciditque infixus arenae.
quem bonus affatur victum iam morte Iohannes.
"hoc erat, infelix, quod nos virtute petebas,
nescius? an fratri potius comes ire parabas?
en perfecta tua est, consumta parte, voluntas,
dure magis; praedamque simul mortemque secutus
finibus a Libycis pariter cum fratre recedis."
Protinus adversa Cullan petit arduus hasta,
persequiturque dire. campos dat terga per omnes
Maurus eques, magno fugiens conterritus hoste.
perfurit ipse sequens, missis configit et hastis
terga virum; multusque infundit sanguis arenas.
corpora densa cadunt latum revoluta per aequor.
terror Languantan impellit Martius hostem:

765 deflexit *apud M* 766 Icirti] inertem *M* 788 consuncta *T* 789 dura *M* 792 dire *T*, uiros *M*. *saltem* virum 794 confugit et hostis *T* 797 terro ilaguaten *T*.

agmina cuncta tremunt. invadit pectora gentis
insolitus virtute pavor. mirantur et horrent
effugiuntque virum. sic contremuere tonantem
fulmine deiecti, fracta cervice, gigantes;
sic Troiana manus fortem fugiebat Achillem.
Bruten ut expulsas campis iam vertere gentes
terga fuga insolitumque suos auxisse timorem
vidit, et eversis acies succumbere signis,
castraque tuta metu Mauros intrare fugaces,
ultima fata suam credens concludere vitam
evocat, errantesque instigat voce cohortes,
talibus et dictis timidos ad bella reducit.
"o miseranda manus, nunquam quae victa recessit,
unde metus gelidas, aut qua virtute, catervas
acer agit? quisquamne fuga defenditur ista?
aut castris securus eris, quae Marte superbus
rapturus iam victor adest? qua territa pugna,
Languantan gens dura, fugis? quo victus ab hoste,
Austur equo fidens, tanta formidine curris?
non pudet, heu miseri! campis cessisse relictis?
o virtus, o corda virum! nudosne reverti
desertosque libet? calidas sic cernere Syrtes
vaditis? o fugitiva manus, vel prisca memento
bella senum pugnasque truces et nobile robur.
imperium vicere patres: non vincere nostros
Maximianus avos, Romani fortia regni
sceptra tenens, potuit. turbet nunc agmina perdens
militibus quantis aut qua cum plebe Iohannes,
respicite; et tandem vestris succurrite natis."
Talibus exarsit dictis Maurusia virtus,
atque acies conversa redit, pugnamque resumit
acrior, et densis conturbat nubila telis.
turbine victa ratis cursu ceu saepe recussa
fertur in aequoreas, Auster quo dirigit, undas:
dum miseros turbant infensa pericula nautas,
obvius optato veniat si flamine ventus,

804 anxisse *L* 813 quem *T*, quum *M* *Merob. et Cor.* 832 infessa *T.*

assurgit laetus magno clamore magister
exhortans socios, puppem convertit et altam,
velaque placatis intendit prospera ventis.
sic victos populos praefectus voce refecit,
atque truces animos verbis ad proelia torsit.
Bruten in adversum contorsit missile Paulum,
perque viri calidum transivit lancea pectus
acta tremens, rupitque vias pulmonis anheli,
et valido geminas confregit verbere costas.
ense ferit Ialdas miscentem proelia Largum.
Sinzora Crescentem, Servandum mactat Ilasan;
Martianumque petens infausto Marte tribunum
Hisdreasen summis excussam viribus hastam
torsit, et adversi frontem ferit horridus ira
fortis equi. sonipes letali vulnere victus
corruit, atque hastam nimio sub pondere fregit.
consurgit velox magna virtute tribunus,
amisso nec fractus equo campisque pedester
constitit et galea celsus clipeoque refulsit.
at ferus Hisdreasen visu tremefactus eodem
continuit sese, solus tentare nec hostem
ausus retro redit. nudo tunc ense tribunus
insequitur. domitum ferrata calce fatigans
Hisdreasen contorsit equum, sociumque per agmen
effugiens trepidus densis se miscuit armis.
ut vero ille sequens auctorem attingere teli
non potuit, medium sternit mucrone Merasgun,
Suartifanque super celerem, Montana, Gamasdrum
eripuit; mortemque miser suscepit Isaguas.
inde furens victor victis rapit hostibus arma
turbidus, et sociis fugientes conserit hastis
acer et intrepidus. sternuntur corpora passim
densa virum alipedesque simul, quos missile tortum
invenit, medios casu dum currit in hostes.
At procul Antalas celso de colle videbat
omnia prospiciens. nam se committere primis

835 et arcem *T* 836 bellaque placidis *T* *ibid.* nautis *T* 837 pre-uettus *T* 869 nam] non *M.*

noluit ante viris, astu sed proelia tentans
auxilio venturus erat. tunc caede tribunum
non tulit ardentem. Mauris succurrere fessis
incaluit, sparsasque acies de colle petivit.
ergo inter socium dirumpit saevior agmen
Martianumque petens turmas per prata sequentem,
ut leo venantum magno clamore coactus
montibus in mediis, stimulis et verbere caudae
aspera terga ciens in proelia suscitat iras,
ore fremens, frangitque viros virtute potentes.
congreditur viso nec territus hoste tribunus
irruit, infensoque virum mucrone petebat:
ante sed oppositam transivit lancea parmam,
inque viri costis lato stetit improba ferro.
  Nascitur inde fragor: magnis montana resultant
vocibus, et fracto crudescit pugna tumultu.
Antalae virtus venientis suscitat iras
spemque dedit victis. iterum concurrere certant:
agmina densantur contis, aciesque novantur.
ipse ut collectis firmavit robora turmis,
per medios enses quatiens acerrimus hastam
irruit, et densos volitans perfertur in hostes.
  Obvius ardenti primus sese obtulit Ornus,
Romulea non gente satus, quem Persica mater
edidit ad bellum, rapuit tamen Africa matri
Antalae superante manu: namque arduus, hastam
viribus intorquens, clipeum transfixit et hostem.
protinus infelix, fatis oblatus iniquis,
Arsacis occurrit, crudo quem fervidus ense
Antalas medium truncat, qua cingitur arcum,
extaque per geminas secuit spirantia partes.
inde ferit pavidum conversa cuspide Malcum,
Artemiumque furens et duro nomine Maurum
transadigit, socioque infixus deiicit ictum.
  Zudius eximiis longe praesumptior armis

870 *voluit arte apud M*   881 infessoque *T*   883 constis leto *T*
888 cunctis *T*, campis *M*   893 non] de *M*   *ibid.* perfida *T*
896 et *M*, in *T*   899 arcus *M*   903 deicit *T*.

contempto pedes ibat equo, turbasque tribunus
hostiles sternebat ovans; iamque ille Nusantan
fuderat et Tiseran: Tiseras de plebe rebelli,
Mansitalas pinnatus erat. tunc mittit ad umbras
immitem Sangrin; tumidum compressit Amarum,
et Garafin Tilifanque duos per vulnera fratres
stravit humi. frater morientem vidit uterque
germanum moriens. doluerunt pectora matris,
tempore tam longo tristes passura dolores.
hunc procul ardentem cernens a colle Sidafen
obvius ire parat. tunc Syrtica contrahit arma,
magnanimumque petit, ferventem caede, tribunum,
quem numerus virtusque premit. circumfluit hostis
densus, et iniectis perturbant undique telis.
infigunt feriuntque virum. tunc mille peremptum
hostes vulneribus media stravere per arva.
Verterat expulsis acies per devia signis,
impuleratque duces terror post terga redire.
sed ductor properans, fidis comitantibus una
armigeris, victos socios virtute levavit.
hic primum ensipotens rumpens inimica Iohannes
agmina, fulmineo Madden per pectora pilo
transfodiens prostravit humi fortemque Magargun
et Taden et Meilan. tum toto corpore Fugen
Ariarith ingentem detruncat vulnere, Mestan
ense rotat magnum, et vertens per gramina collum
corruit Altiserae. vultus in pectora Zambri
percussa cervice ruunt; stomachoque peremptus
flumina rubra vomit Roffas; atque ilia pulsans
extremis Athiman singultibus ore vocabat.
Haut procul inde Ziper medium currebat in agrum
turbabatque viros, cogens in castra redire.
ille neci Ialdan Tusdrunque Arcanque Nadosque
morte dedit varia, sed valle necavit in una.

905 contento pede *T* 907 tisiran *T* 909 impressit *T*, vi pressit *L*: cf. 4 989. 911 utrumque *T* 919 mille] ille *T*, morte *M* 925 rumpetis inimica iohannis *T* 928 noue porpore *T* 929 detegat *T* 930 uertex *T* 933 alia *T* 934 ora *T* 938 secavit *apud M.*

his celerem coniunxit Ilan, contoque superbum
Conunian mediis feriens effudit arenis.
  Signiferum vocitans Vitulum Recinarius ardens
compulit in medios signum committere Mauros.
ipse volans pariter densos virtute per hostes
effera castra petit. sequitur tunc cetera pubes,
defenduntque vias, et fossas rumpere tentant.
quis dolor ille fuit, quo sic Recinarius ardens
ibat in hostiles, prosternens agmina, montes,
rumpere castra parans? non sic virtute tremendus
Alcides miserae turbavit moenia Troiae,
Laomedontiadas agitans regemque tremendum.
persequitur mactatque viros. hinc caede furentis
missile dura ferit contorquens pectora Lanzi.
tunc mucrone caput terrae deturbat acerbi
Masguen, et rigida Nacusan ferit eminus hasta.
Macurasenis equum media prostravit arena,
vulnere confossum valido; dominumque ruentem
desuper ipse premit. ruptis praecordia venis
purpuream fundunt animam. tunc calcibus ipsam
tundit humum moriens, herbasque et gramina quassat.
  Hisbulun ut fortis densos invaserat hostes,
is mactat Cullen, concurrentemque Iutungun
sternit humi. iugulat pressum mucrone Meurren,
Laltin equo deiecit agens, fortemque Sinisgun
Varinnumque ferit, quem nondum fata trahebant.
tegmina divisit gladius, palmamque sinistram
contigit, et summos dirupit verbere nervos.
victus at ille fugit, pereunte per agmina parma,
saucia dum digitis dependet laeva cruentis,
currentisque cruor madidus vestigia pingit.
Geisirich ardentem Mificum campisque furentem
deiicit, adversumque ferit per pectora Ceucrum.
pinnatum Antifan Dorotis arundine fixit.

947 hostes *T*, *quare M*: prosternens media agmina, muris. 950 verendum? 951 hic *apud M* 955 prostratur *T* 960 hic subulun *vel* subulum *T* 962 menrren *T* 964 varrinum *T*: cf. 6 462 et 470. 968 sauciatum *apud M*, *et mox* dependit. 971 deicit *T* 972 pinnata *M*: cf. 908 et 6 419.

protinus inflexum curvat fortissimus arcum,
excussaque ferit fortem Maggite sagitta.
volvitur ille cadens: cursus servavit arundo
pulsa suos, saevi fugiens per timpora Cambri.
Cambrus ut infelix, alieno vulnere raptus,
corruit in frontem, armigerum Barsippa petivit
protectus clipeo, et librata concitus hasta
subsiliens, dum ludit magnum umbone per hostem,
pinnigerum Barsippa levis per viscera ferrum
suscipit, et magno ad terram cum pondere fluxit.
praecipitem Vulmir Zisacum, per bella ruentem,
consequitur, missaque infixit comminus hasta.
hinc nigrum Manonasen agit, sternitque cruentum
ense virum. rapto moritur Vascina lacerto.
Bulmizis mucrone ferox fortisque Tamazu
sternitur, et duro confisus Martzara pilo.
Ast Tor acerba furens, germanus comprimit Arzen,
at Salius Meniden, Mestanque in rupe Iohannes.
Tanala mactat Item, Vitalis arundine Tizen,
Fisculaque ingentem deiecit vulnere Frecten.
  Iam gravis incumbens Mavors compulsa timore
agmina cogebat fidis succedere castris;
miles et in mediis Mauros truncare camelis
coeperat, obsessasque gravis dirumpere fossas.
hic vero ingenti concurritur undique pugna;
Romanique simul fortes Maurique rebelles
pacificique ruunt. frater nec cognitus ulli
pulvere concretus, carum nec notus amicum
cernere tunc potuit, civemve agnoscere civis.
miscuerant acies nullo discrimine turmas
Marte gravi, densisque incurrunt agmina telis.
vix sinit obnixas confuso Marte catervas
turba movere manus: confringunt pectore pectus
et clipeis clipeos, et conis proxima quassant
fortia colla virum. iam nescius accipit hostis
saeva per occultos confossus vulnera cultros.

977 felix *T*   997 vero] non *T*, tamen *M*   1001 cognoscere *T*
1003 agmine *apud M*   1008 confoxos uulnere *T*.

mortua condensis stipantur corpora turbis,
funera mille cadunt. sanguis perfundit arenas
contiguo rivo, pedibus calcatur et amnis
purpureus, rubroque madent vestigia luto.
Ierna premit miseros urgens in proelia Mauros
Antalasque fremens: compellunt agmina castris
e mediis exire suis, murosque per omnes
arma ferunt. misti senibus densantur ephebi:
omnis ad obsessas aetas concurrere fossas
cogitur, et crescens succendit bella tumultus.
Romanis virtus, Mauris locus addidit iras.
insidiis Martem fallax agit undique Mazax.
currit, et in mediis intrantes castra camelis
observat, fugiensque ferox modo comminus hostes
missile contorto, nudo modo percutit ense,
implicitosque premit. facto nunc agmine muris
egreditur, fortesque intentat pellere turmas.
horrida nec solum volitans dat vulnera ferrum.
nunc lapides torresque cadunt, modo missile robur
spargitur; inde sudes et fracto monte molares
in galeis clipeisque tonant; modo pondere plumbi
corpora dant animas. cernuntur fulminis instar
saepe faces rutilis ardentes currere flammis,
alterna quae parte volant. stat robore summo
miles, et invicti fretus virtute magistri
castra adversa premit. certat tamen hostis acerbus,
expugnatque viros, et fossas vindicat acrens.
et socios ductor pulsans firmansque Iohannes
voce tonante iuvat. conturbans territat hostes
ille sonus; faciemque viri vocemque tremescunt.
horrificos veluti cum Iuppiter excitat ignes
aethere commoto, et tonitru conterritat orbis
omne genus, fractisque tremunt praecordia membris,
Marmarides acies sic magni voce Iohannis
conturbat gelidus, quassato pectore, terror.

1011 contiguos uiros *T* *ibid.* calcatus *T* 1012 limo? 1016 densatus. 1022 fugitque *T* 1028 fracta *T* 1029 plumbli *T* 1040 tronitu *T*.

agmina mota pavent: convertunt terga retrorsum.
insequitur Romanus agens, sternitque per ipsos
corpora densa locos. hortatur rumpere fossas
ductor ovans, laetisque incendit pectora dictis.
"vicistis, socii. faciles nunc rumpite muros
ensibus, et gentes gladiis truncate cruentis,
vindictae dum tempus adest, dum letifer hostes
terror agit, virtus animis dum maxima vestris.
nunc tempus: pretium, iuvenes, deposcite belli.
hostibus extinctis praedam sperare licebit.
iussa per imperii (videam sic lumina Petri
incolumis dilecta mei; Carthaginis arces
cernere sic victor merear!) mercede laborum
omnia militibus donamus castra volentes.
non mihi, non ulli ductorum auferre licebit
de praeda sociis. habeat sua gaudia raptor
miles, et in propriis laetetur fortior ausis.
eia agite, o iuvenes! hominem, pecus, obvia quaeque
impediunt, mactate truces, et limite largo
implicitas planate vias. ego primus inibo,
quod videt, ut faciat securus miles in hoste,
exemplo iam quisque meo." sic fatus, et ipse
castra petens primus magnum ferit ense camelum,
qua pedibus vis iuncta feri latet insita nervis.
tunc per utrumque femur vulnus transivit acerbum,
et geminas secuit conciso robore coxas.
retro ruit revolutus humi stridore camelus
horribili, geminosque impressit pondere Mauros,
ossaque contrivit quassis male mista medullis,
qui ducis horrifico celsam terrore sub alvum
condiderant sese. cecidit resupina duobus
cum genitis Gaetula, supraque cadentes
sarcina laxa ruit. cecidit calathusque lapisque,
quo Cererem frangit. dirupit vincula pondus

1050 uindice *T* 1058 non mihi] nam mihi *apud M* *ibid.* nulli *T*, ullis *M* 1062 mattare *T* 1067 quo *apud M* *ibid.* pedibus uicta feri *T* 1071 horribilis *T* 1073 album *T* 1075 *an* mater Gaetula? 1076 lassa *apud M* *ibid.* calathusque] letusque *T* 1077 ponde *vel* pende *T*.

dissolvitque moras. turbantur castra repente,
atque uno scissi patuere vulnere muri,
subductis veluti moles excelsa columnis
cum sonitu deiecta cadit, resolutaque saxis
fabrica magna iacet latos diffusa per agros.
Gentius adversas alia de parte catervas
sternit humi, et ruptos condenso milite muros
turbat acerba furens. pariter Putzintulus ardens
horrida fulmineis sternebat corpora telis.
ceu duo turbantes currunt armenta leones,
persuadet quos dura fames, sic saevus in hostes
ibat uterque, suam dirumpens vulnere partem.
Fronimuth oppositum scindens ruit impiger agmen,
castraque cuncta movet. densis Marcentius armis
ardebat mediis prosternens agmina fossis;
atque simul fervens roseo furit ense Iohannes.
adversas alia truncabat parte catervas
Cusina Romanis consanguinitate propinquus
atque fide: largum fundens super arma cruorem,
corpora per latos sternit Maurusia campos
densis missilibus; duro rotat ense lacertos,
collaque multa virum nervosque obtruncat equorum.
rescindunt fossas omni de parte tribuni.
Tarasis in medios contra furit arduus hostes,
pectora dux: fractis undantia costis
viscera rupta natant, calidoque in sanguine torpent.
fortis Ifisdaias summis cum viribus ardens
ibat, et adversas acies per prata necabat,
Syrtica prosternens ferventi funera ferro.
accendit socios ductorum maxima virtus,
conceptusque furor gladiis tunc cetera miscet.
dirumpunt mactantque viri, rapiunt feriuntque,
efficiuntque vias sternuntque cadavera passim,

1079 patuerunt? *quae forma est* 3 267 et 268, 4 651, 5 89, 196, 506. *an* a vulnere? 1080 miles *T* 1081 consonitu cum sonito dietta *T* 1085 turbarum *T* *ibid.* putzurlus *T* 1090 frommut *T* 1094 catenas *T* 1095 cusinormans *T*, *unde M* Cusina Romana. 1096 fide *L*: *apud M* fidus. *ibid. an* arva? 1097 maurisia *T* 1102 *post* dux *M* fixit. 1108 miscens *T* 1110 effugiuntque uias *T*, effugiuntque uiis *M*: cf. 5 680.

atque truces currunt. feriunt discrimine nullo.
non aetas animos, sexus non mitigat insons:
omnia prosternit Romanus corpora miles.
fit sonus armorum: fractis montana resultant
tegminibus. gemitus raptis dant pectora membris,
mistaque per latos densantur funera campos,
qualiter, antiquae sternentes robora silvae,
innumeri agricolae steriles succidere plantas
certatim insistunt. tot per nemus omne bipennes
congeminant validos silvis regementibus ictus.
sic fera dirupit Maurusia castra Iohannes
cum sociis. cunctis stridunt de partibus enses
atque cruore rubent. animas in vulnere reddunt
cum gemitu; mistique ruunt per prata cadentes
nunc senibus iuvenes, nunc pressae pondere matres
ardua cum natis inter pecuaria parvis.
innumeros fundunt gladiis ferventibus hostes;
sternit et innumeras morientum lapsa ruina.
crinibus adductae pavitant fera vulnera Maurae,
dum trahit hostis ovans. infantes ille reportat
direptos ex hoste volans, mandatque ministris,
et redit ad medias conculcans funera fossas.
ille camelorum gaudet dirumpere vincla,
diripit ille boves, ovibus redit ille reductis,
hic pulsat tardos conversa cuspide asellos.
omnia iam pereunt Maurorum tarua nusquam:
solus eques currit iam campis nudus apertis.
  Effugit ille ferus confracto robore Ierna,
et simulacra sui secum tulit horrida Gurzil.
huius et auxilio sperans se posse tueri,
cornipedem infelix geminato pondere pressit
impediens, mortemque sibi miser ipse resumit.
quisquis is est quem, vane, colis, quod gentibus ille
praesidium, quae digna tibi solatia praestat?
dum tu morte cadis, dum frangitur ille per hostes,

1114 sonitus *T* 1117 antque *T* 1119 *an* tunc? 1128 morientium *apud M* 1136 tarda moueri *M* 1137 equus *M* 1143 quisquis est *T*, quis, quisnam est *M* 1145 tu] que *T*.

dum conflat nitidum flamma solvente metallum,
Syrtica per latos fugiebant agmina campos,
quae circumfusus densis exercitus armis
insequitur, sternens variis per devia fatis.
nec potuit quisquam Romanos ferre sequentes,
morte gravis, faciemve fugax oculosve retraxit.
proiiciunt enses gelido terrore subacti,
praecipitesque cadunt. facili iam caede trementes
miles acerbus agit. Solomonis signa retollunt
prisca viri, Iernaeque simul captiva reducunt.
horrida per cunctos sternuntur funera campos:
per valles scopulosque ruunt. iam flumina complent
corporibus densis; supraque cadavera calcant
quadrupedes, quassisque rubet levis ungula membris.
dant gemitus miseri. sanguis per gramina currit,
in manibusque virum concretos glutinat enses
aspersus super arma cruor: ferrum omne rubescit.
occubuit princeps multa inter milia Ierna.
Marmaridum rex ille ferus quondamque superbus
confossus iacuit mediis bene nudus arenis.
Ille dies cunctis supremus gentibus esset,
si mora praecipitem tenuisset prospera solem,
fecit ut ante semel. iam pronior ordine certo
axis, in occiduis summersus flammiger undis,
ex oculis gentesque fuga bellumque tenebris
eripuit, fortesque acies in castra reduxit.

LIBER QUINTUS.

Victores placidam Romani nocte quietem
non omnes petiere simul, sed castra vicissim
conservant laeti et vigiles, nec lumina claudunt.
laeta per insomnes discurrunt gaudia mentes.

1146 maxillum *T* 1149 externens *T*, terrens *M* 1152 proiciunt *T* *ibid.* subacto *apud M* 1160 miseros *T* 1161 concretus *M*. — 3 lucri et ugiles *T*.

militis indomiti nullus post proelia membris
torpor inest: quassos reficit victoria nervos,
virtutemque novat captae spes addita praedae,
et relevant animos fidi promissa magistri.
  Maurorum interea, noctis defensa tenebris,
agmina currebant cunctis per devia terris,
sparsa metu. nox ipsa iuvat, nox ipsa fatigat.
eripuit mediis cunctos de faucibus Orci
occultans obscura viros: sed rursus easdem
sollicitat dubias incerto Marte catervas.
effugiunt pavidi, nullo post terga sequente,
dum trepidant, strepitusque suos sonitusque suorum
esse putant hostes, turbatique ardua quassant
ilia cornipedum. crebris montana flagellis
nocte silente crepant. socium terroribus agmen
exagitat solidum quatiens levis ungula campum.
  Altera Phoebeos cogebat currere cursus
Oceano reserata dies. turbatur anhelis
aequor et ardet equis; fervescunt stagna profundi,
aestuat unda tumens, et sacros parturit ignes.
consurgens solita primum pietate magister
laetus agit grates, dominum virtutis adorans
et meritas reddens tali pro munere laudes.
tunc laeti venere duces fortesque tribuni
et primi procerum; medius quos ipse magister
sic prior alloquitur. "quae gens durissima vestros
corruit ante pedes, socii! sic mortis amicam,
sic iugulos inferre neci, sic currere in hostes
non Albis populos, saeva non Perside vidi:
nam quotiens victos hostes dare terga subegi,
intrepido totiens vultu rediere minaci
cum fremitu saltuque fero. tamen ordine summo
et nostri virtute dei confracta recessit.
nunc Libycos fines solito custode tueri
accelerare placet, felicia regna referre.
ocius in proprias numerosque reducite sedes

9 maurorum T 21 currus? 30 quem T 31 Martis? 33 saevam non Persida? 35 intrepidi? *ibid.* quotiens T.

et munite locos: celsos indagine montes,
Antra, nemus, fluvios, silvarum laxa, latebras
cingite, et obsessas cauti concludite fauces.
tempore sub modico periet gens impia Maura
deficietque fame. aut nostris se protinus armis
subiiciet pacemque petet, si milite pulso
non valeat populare casas; aut ultima mundi
appetet arva fugax, et nostras deseret oras.
Byzacii geminis ducibus sit maxima cura
Massylas acies acie turbare sequaci,
sollicitis tristes gladiis urgere phalanges,
et procul a nostris expellere finibus hostes."
Dixerat, et cuncti dicto parere fatentur.
digressus proprias florens exercitus arces
inde petit: subeunt urbes, castella locosque.
solvitur a longo miserabilis Africa luctu,
et placidum gaudens cantat vicisse Iohannem.
plausibus assiduis felix Carthago magistro
Iustiniana favens geminis excepit in ulnis.
panduntur portae multo iam tempore clausae.
ingreditur victor populo gaudente triumphans
urbem per mediam. palmas laurosque virentes
Sidonii patres referunt; concurrit ab omni
turba via, exspectans acies intrare Latinas.
conveniunt fessique senes pavidaeque puellae
visendi studio; stantes per moenia matres
aspiciunt, variisque modis per gaudia plangunt.
contingunt animos saevi tot tempora belli.
feminea pietate dolent, casusque priores
commemorant, narrantque feri malefacta tyranni,
gentibus ut dubias patefecit in ordine portas
foedere dirupto, miseram qua mente fefellit
fervidus aut quantis turbavit cladibus urbem.
laudibus immensis pueri iuvenesque senesque
imperiale canunt ductoris munere nomen,
exsultantque animis. omnis miratur et aetas

44 maurox *T* 51 sollicitas *T* 52 et nostris procul *T* 70 mala fata *apud M* 71 parte fecit *T* 72 quam *apud M.*

bellica signa videns, concretas pulvere vestes,
terribilesque viros quos fecerat aspera caedes.
loricas, conos, clipeos gladiosque minaces,
cingula, frena, comas, arcus pharetrasque sonantes,
pilaque purpureum spectant gestantia ferrum
sanguine Massylo. captivas cernere Mauras
ire iuvat, celsis inscripta ut fronte camelis
impavidae sedeant, parvosque sub ubere natos
contineant, ausae geminis ambire lacertis
sarcinulas super et parvi cunabula lecti.
heu miserae matres! vultu maerente laborant,
impia corda gerunt. miseris modo matribus Afris
iam servire volunt. didicerunt corda dolores
impia, paenituitque malum; sensere quod essent
bella cavenda nimis; damnant sortesque deosque.
nec color ipse fuit captivis omnibus unus.
concolor illa sedet cum nigris horrida natis,
corvorum veluti videas nigrescere pullos
matre sedente super, solitas cum porrigit escas
ore cavo pansisque fovens complectitur alis:
horribiles vultus parvis ostendere natis
dum patres matresque libet. sic limina templi
magnanimus ductor signis comitantibus intrans
oravit dominum caeli terraeque marisque,
obtulit et munus; summus quod more sacerdos
pro redituque ducis pro victisque hostibus arae
imposuit, Christique patri libamina sanxit.

Syrticus interea Carcasan agmina ductor
finibus e cunctis, terror quae sparserat ingens,
contrahit, et tristes lacrimis affatur obortis.
"non ita deiectos sperabam cernere Mauros,
indomitae gentes. nunquam superatus Ilasguas
nudus adest victusque redit. matresque nurusque
perdidimus natosque simul. quid denique restat
ni mors sola viris? quid nunc placet? esse quietos?

77 bella *T* 79 canos *T* 83 ut *add. M* 84 impauide *T* 85 ausae] alie. 87 laborans *T* 89 sentire *T* 98 lumina *T* 100 terrisque *T* 102 uictis *MT* 103 christoque pater *T*.

an melius bellis armisque lacessere duri
militis arma placet? turpe et miserabile crimen
confractos cessasse semel. non omne deorum
sublatum auxilium campis discessit in illis.
non ita vult Ammon; non, inquam, numina Gurzil
sic violata dolent. non sic fortuna minatur,
quae voluit servare viros. pecuaria tantum
perdidimus: nam robur adest. discernite quanti
occubuere viri. veluti cadus hauriat undas
aequoris Oceani: numquid decrescere possit,
aut damnum sentire Thetis? tot et igne recusso
astra cadunt: signis plenum tamen omnia caelum
sidera semper habet. sic nostram laesio gentem
contigit: haut tamen omnino fortissima sensit.
consulite, et rebus celeres succurrite vestris."
  Bruten ut emissas persensit ab ore querelas,
mente ferox rapuit bellum. "pater optime," dixit,
"ingeminans bellum nostros reparare labores
uxores natosque potes. cum funere vitam
et bellis finire placet. quae fama per omnes
gentis erit populos, si nostrae iniuria caedis
indefensa manens latum referatur in orbem?
absorptas melius subito telluris hiatu
mors rapiat gentes: extendant Tartara fauces
et nigrae pallore domus. Proserpina regnum
patris inops teneat nigri per bella mariti.
sunt acies, sunt arma tibi: surge, arripe bellum.
te duce confossus ponam sine crimine vitam.
haec est certa salus. tu nostrae gloria gentis,
tu virtutis honor, tu spes fidissima Mauris."
  Vix ea Bruten ait: cuncti clamore secuntur
Carcasanque fremunt, Carcasan omnibus unum
gentibus esse ducem linguis animisque fatentur.
  Ille ut conceptum populis auxisse furorem
vidit, et insani rabiem succrescere Martis,

114 decorum *T* 116 amonon nam qui *T*, Ammon; non unquam *M*
117 dolet *T* 122 tetis *T* *ibid.* decusso *T* 127 ab *add. L*
139 confessus *T*.

Marmaridum fines, habitat qua corniger Ammon,
inde petit, durique Iovis responsa poposcit.
semper amat miseras deceptor fallere mentes
Iuppiter hic, quem, vane, rogas: in sanguine gaudet
horridus, et cunctas quaerit disperdere gentes.
asper in adversa percussus fronte bipenni
taurus ut occubuit, manibus tristissima vates
tympana rauca rapit, saltusque altaria circum
cum strepitu lymphata rotat. salit ardua cervix,
igne micant oculi, consurgunt fronte capilli,
ac facies testata deum fervore rubescit.
nunc maculat pallore genas, nunc lumina torquet,
nunc caput, alta fremens, saevos dum colligit ignes.
ut vero toto percepit pectore numen,
suspicit excelsam nocturno tempore lunam
lumine sanguineo, scrutatur fata recensens,
ardet, anhelat, hiat, pallet, rubet, aestuat, alget,
fatidicum dum quaerit iter. vox improba tandem
prodidit ore fero fatorum arcana sub auras.
"victor Languantensis acerbo Marte Latinos
conturbabit agens. aeterno tempore Mazax
Byzacii campos magna virtute tenebit.
tunc erit alma quies. celsas Carthaginis arces
Carcasan ductor portis ingressus apertis,
altior et placidus, populo comitante feretur
urbem per mediam. vultus mirabitur Afer
terribiles; lauros current palmasque ferentes
huius in adventu. felix Carthago per omnes
dicetur populos. Carcasan terror acerbas
subiiciet gentes; et foedera pacis amabunt."
Dum canit haec vates, conturbans spiritus ora
obstruit, et miseras mentes errore fefellit.
his gentes fallax decepit fraudibus Ammon
Massylas, dum vera canens caligine vestit
insidiasque parat. nam Mauri tempore cuncto
Byzacii tenuere quidem semperque tenebunt

147 quo *apud M* 161 suscipit *T* 176 subiacet *T* 181 insidieque *T*.

ossibus arva suis, magni virtute Iohannis
quae modo fracta iacent. celsas Carthaginis arces
Carcasan ductor populis comitantibus altus
per medias ibat, tunc cum cervice recisa
infixum rigido vidit caput Africa conto.
Mentis inops nimium responsis fisus iniquis
horrida bella parat. discurrens fama per omnes
it populos, regnum cecinit quod gentibus Ammon.
excurrunt celeres calidis a Syrtibus alae,
invitantque feras regni sub imagine gentes.
barbara turba coit; numeris augetur et armis.
tunc equites pedites quaerunt, altisque camelis
Maurorum qui more sedent. nec solus Ilasguas
aut gentes tantum, egerunt quae bella, priores
convenere sibi, sed si quis Syrtica rura
asper arat Nasamon, si quis Garamantidos arvis
proximus arva colit, pinguis qui margine Nili
stagna bibunt, venere viri. quis dicere gentes
aut numerare queat? numeres aut aequoris undas
nimborum aut guttas, aut quantas litus arenas
alluit, aut pelagus pisces aut terra volucres
omnis habet, varius quot gignit campus aristas
vere novo, vel totum ornant quot sidera caelum.
Viribus inde suis bellorum ductor arene
securum fortemque putans, simulacra novavit
signaque, et extremis acies commovit ab oris,
plus solita virtute fremens, ac pergit in hostem.
victus ut Herculeis Antaeus saepe lacertis
contacta lapsum reparabat corpus arena,
sponte cadens, victor donec Tirynthius artem
nosceret, et summis complexus viribus hostem
prensasset pronum cum magno pondere corpus,
guttura saeva premens: ut terram tangere matrem
non potuit, victrix miseri mors lumina clausit:

185 carthas an *T* 186 ibit *M* 191 ala *T* 192 regnis *T* 197 si quis] quis *T*, quisquis *M* 198 asperat namason *T* *ibid.* si quis] et qui *M* 206 aceruum *M.* *an* arenam securam? 212 terrinteus *T* 214 pensasset? *ea verbi potestate qua est positum* 2 276.

sic victus vires Carcasan innovat omnes
Syrtibus a propriis; sic et moriturus in hostem
nescius arma parat. tunc liquit pectora terror
Martis et obscurae tot saeva pericula noctis.
Pervolat ecce levis, magno mandante Rufino,
nuntius, et fama Libycas conterritat urbes
iam placidas, victas iterum bellasse catervas,
finibus occiduis equitum iam currere turmas,
et Tripolis vastare casas, Carthaginis altae
Carcasan ductore feras ad moenia gentes
ire docens, nomenque sibi promittere regni.
missus Sidoniam miles vix contigit aulam,
ductori mandata ferens: concussit acerbus
corda furor narrante viro. sed mentis honestae
virtutem indomitam melior sapientia vincens
consilium quaerit. volvuntur pectore curae,
nec movet obtutus: mentis discurrit acumen.
omnia prospiciens pensat discrimine causas,
et videt infandum cuncta de parte periclum.
tunc proceres de more vocans consulta requirit,
talibus et dictis animos curasque retexit:
"victus bella movet, rursum vincendus, Ilasguas,
o socii. expertis audens concurrere signis
hic Tripolis iam rura premit praedasque rebellis
diripit, in nostros promittens tendere fines.
signa movere paro, tot gentibus obvius ire,
externis cupiens committere proelia terris
et procul a nostris prosternere finibus hostes,
Africa ne saevis iterum concussa ruinis
plus pereat. turbant animos impensa locique
difficilesque viae: sterilis nam cernitur annus.
perdidit ipsa suas bellis provincia vires,
heu nimium defessa iacens. exercitus ingens
non poterit sufferre famem. si admittimus hostes
Byzacii extremos tantum contingere fines,

225 casas *L*, castra *T*, agros *M* 237 talibus edictis *apud M*: cf. 4 809, 5 553. 240 tripodes *T* 244 uiribus *T* 245 saevis] suis *T*, propriis *M* 248 perfodit *T* 249 disfessa *T*.

iam properare volent: disperdent cuncta rapinis,
atque iterum fessam turbabunt proelia terram.
consulite, et dubios animos firmate docentes."
Vix ea ductor ait: populis placet omnibus ire
longius, atque ipsos Libyae sufferre calores
occiduos se posse ferunt; promittit et omnis
turba manus mentesque feras, magnosque labores
pro patria tentare volunt, gentesque rebelles
despiciunt animosque truces
Ductor ut erectas acies virtute feroci
vidit, et intrepidas sese promittere bellis,
signa movenda canit. tunc raucos buccina cantus
aere gemit; ciet armatas vox saeva catervas.
conveniunt cunctae propriis a sedibus alae
et pedites iussi, comitesque ducesque Latini,
Massylasque trahens acies in bella magister
Cusina, Romanis semper fidissimus armis.
pergit in australem ductor fortissimus axem,
qua fervens loca sicca dies sub sidere cancri
sole perusta tenet nimium, semperque laborant
arva siti Zephyrisque carent. namque Africus illic
omnia flammivomis exsiccat rura procellis.
illic et sitiens calidis exerrat arenis
Afer anhelus, inops, Stygias rimatur et undas.
Fama per innumeras spargens praeconia linguas
ante volat, fortem referens properare Iohannem
cum ducibus cunctis. Abylae Tingensis ad arva
improba tendit iter. fines iam raptor iniquus
Byzacii vastabat eques. sic pectora rumor
nominis incutiens magna virtute Iohannis
terruit: innumeras acies post terga reflexit.
iam super esse putant: acti terrore magistri
experti trepidant; vultus memorantur acerbi
signaque cuncta viri; siccas superare Gadaias

257 omnes *T* 260 *post* truces *T* acies uirtute feroci, *M* virtute feroci, *compilato versu inferiori*, cf. 3 190. 266 comites *T* 272 calent *T* 278 lagila tangentis ad auras *T* 279 improbat *T* 284 tremunt *T* *ibid.* acerbos *T*.

nec dubitant, tristesque locos, quis nullus eundi
vivendique modus. non illis finibus ulla
aëra per calidum tranat suspensa volucris.
armiger ipse Iovis, portat qui fulminis ignis,
vix impune potest ferventis margine caeli
flamina posse pati, quae terror iussit adire.
Ductor ut hostiles sensit cessisse catervas
per deserta metu, solita virtute fugaces
insequitur. calidas terrae sitientis arenas
acrior ingrediens iussit tamen omnibus undas
ferre suis Cereremque sibi. praecepta magistri
perficiunt celeres. sed quantum posset in illis
tot populos satiare locis, quantisque diebus
agmina tanta aleret! vacuantur fontibus utres,
iamque Ceres nusquam. siccis tunc faucibus ardent,
deficiuntque fame. heu, miles bacchatur anhelans,
et solis fervore rubens exaestuat, ardens
ignibus immensis; et nullis flumen arenis
inveniens scrutatur aquas vanumque laborat,
ut Danaum quondam Thebanos inclita campos
agmina cum peterent, siccatos numine Bacchi
expavere lacus fontesque, et flumina ductor
Adrastus latis sitiens quaesivit in arvis.
Deposuit miseras erumpens voce querelas
miles Romanus. "si tristia fata minantur
tempore nunc uno Romanam perdere gentem,
sunt enses, sunt bella, ferae sunt gentibus irae:
lancea transfodiat; veniant vel fulminis instar
omnia tela simul; contortum viscera ferrum
transeat, atque animas tantum per vulnera fundat.
cur nos dira fames ardorque sitisque coartans
segnibus heu fatis, longa sic morte fatigat?
sit gladiis sacrata manus. converte retrorsum
signa. rogat ieiuna fame haec te, o summe magister,

286 que *add. M* 291 flumina *T* 295 iussit] uix *T* *ibid.* tantum *apud M* 296 sibi . *T*, . Sui *M* 304 seruptator *T* 306 dum *apud M* 307 expetiere *M* 308 adastrus latis sentiens *T* 309 et rumpens *T* 310 milex armatus ait si *T* 315 atque mauus *T* 316 uos *T*.

turba. simul miserere eius nostrique tuique.
respice, magne, tuos. macies iam contrahit artus,
ossaque nuda rigent siccis tenuata medullis;
stringuntur nervi, cutis aret; lumina mersa,
infectae pallore genae. iam mortis imago
corpora nostra tenet, sitiens et spiritus ardet."
  Vix ea vulgus inops: populos pater ipse dolentes
continuit, fessosque bonus sermone refecit,
talia saepe monens. "o spes Romana decusque
atque salus patriae, nimios ne sperne labores.
vince sitim diramque famem. nunc dura memento
facta patrum. vires populi sensere priorum.
sic domuere patres propriis virtutibus orbem,
aspera dum tolerant. summa est patientia virtus.
hanc metuunt gentes. alios haec territat hostes,
dum necat hos. geminis acies inimica laborat
exitiis: hinc sicca sitis fervorque famesque
exagitant, hinc terror agit Romanus et instat
solis iter tentare truces partesque negatas.
vestros zona rubens referet testata labores,
confirmante polo, magnoque Catone, secundum
me tentasse legent, quoquo hanc scripsisse, minores.
vincat amor patriae montem, et sitis improba cesset
flumine purpureo, ac vester satiabitur ardor."
  Sic Latias placida mulcebat voce cohortes
egregius ductor, ceu flumine pectora dulci
cuncta rigans, epulis variis aut viscera replens.
  Accidit infelix rebus fortuna Latinis,
quassato validas quae fregit robore vires.
quadrupedes cunctis quaerentes pabula campis
errabant: nam dira fames atque ardor habebat
omne genus; non herba virens, non frondibus ullis
arbor erat, densis subito cum palluit herbis
campus et adversi rubuerunt floribus agri.

323 lumine merso *T* 328 mouens *T* 337 romanis et instar *T* 338 tentate duces *M* 341 quoque et hanc petiisse *M* 342 mortem *M* 343 pusapio *T* 345 uariis ceu flumine dulci pectora cuncta rigans epulis *T*, ceu pectora flumine dulci cuncta rigans, variis epulis *M*.

longius optatas cernens grex improbus herbas
(pulsabat nam dura fames) discurrit et omnes
tundit ubique locos: nudas iam lambit arenas.
nec potuit satiare famem, mala gramina pastus,
quadrupes: ipsis nam cecidit densissimus arvis
mortē nova, pressans gelidis sub dentibus herbas.
funere cornipedum fracta est Romana iuventus.
concidit ira ferox: it tristis et anxius omnis
miles, et ingentes conturbant pectora curae.
corruit hoc uno nimium conterrita casu
virtus magna virum. primo tunc castra tumultu
turbavit fortuna nocens: hoc pondere pressit.
 Vidit ut hic ductor tantam evenisse ruinam
et vires minuisse suis, ad litoris oras
castra movens pergit, cupiens relevare dolentes
et reparare viros. facilem iamque aëra sentit
miles, et appropians vitales invenit herbas,
flumina nulla tamen. siccis tunc faucibus ipsos
impressant flores, succisque ardentia tingunt
ora novis, epulisque famem viridantibus implent;
nec tolerare queunt. captato tempore noctis
innumeri redeunt: alii sparsere per arva,
pabula dum quaerunt; alii pro fontibus errant;
saeva fames alios divertere terga coëgit,
cunctaque destituunt contempti signa magistri.
 Castra locat ductor monstrati ad fluminis undam.
incubuit ripis sitiens Romana iuventus
et liquidis solatur aquis. huc undique miles
confluit ad latices et dulcia flumina potat.
panis inops tondet flores herbasque virentes:
his cupiunt satiare famem. mandata per urbes
litoreas dux ire iubet, deducere puppes
vectantes alimenta suis. pro tristia fata!
adversos habuere Notos. fors dura negavit
puppibus aequoreas velis transire per undas:

369 iam orrea *T*, iam iam aëra *M* 370 ad proprians *T* 371 ipsis *T*, ipsi *M* 375 an fugere? *M* 378 distituunt contenti *T* 381 hinc *apud M* 385 pubes *T*.

proxima seiunxit. sed tunc male fida Latinis
Urceliana manus Romanis addita fatis.
Astrices illis longo iam tempore terris
errantes habuere domos, gens aspera bellis
et numerosa viris multosque illaesa per annos.
haec ubi persentit venientis signa Iohannis
finibus esse suis, adventu territa primo
mittere legatos humilis pro pace cucurrit.
accipit hos placidus media in tentoria ductor.
poscentes veniam pacem gentique salutem,
summissi fudere preces. "tua, maxime rector,
fama potens animique vigor virtusque fidesque
ante volans gentes pariter conterruit omnes
et gratos ad iura trahit. cervice reflexa
subiicit ipsa tuis sese, fortissime, iussis
Astricum gens clara virum. tua foedera patres
gentis amant optantque simul servire volentes.
ad iuga colla parant. poscentibus, inclite, parce,
oramus, pacem et placidam post bella quietem."
Has inter voces ignari murmura vulgi
in castris sonuere ducis. "quonam usque necabit
agmina nostra fames? vitae spes nulla salusque.
contrahimur miseranda manus." ductoris ut aures
contigit ille sonus, graviter commotus in aurem
sic Recinari ait. "infaustas nunc arce querelas
militis ignavi. quaenam dementia cordis
praecipitat miseras confusa mente catervas?
cernunt legatos. poscunt mea foedera gentes,
stant humiles precibusque rogant. hi nostra retexunt
intima secretumque malum. pro pessima ventrem
turba colens ritu pecudum vel more ferarum!"
ilicet egrediens placidis celer omnia verbis
murmura compressit, referens praecepta magistri.
postquam facta quies, legatis gnavior ipse
ductor ait "noster quas nunc exercitus iras
fuderit, audistis. cupidus fera proelia miles

392 horrantes *T* *ibid.* domus *T* 397 accipe *T* 410 nostra] multa *MT*.

per gentem transire parat, sed nostra potestas
parcere subiectis semper studet: arma tenentes
conterimus populos, humiles ascimus amicos.
ite, viri: si certa fides mea foedera poscit,
tradite vestra meis natorum pignora castris,
et pacem retinete meam. genus omne manebit
securum Astricum nostro sub principe pollens."
haec fatus donis onerat. servire fatentur
Romano imperio, natos pro pignore pacis
polliciti praestare suos. virtute Latinos
et probitate probant; laudant viresque fidemque
principis atque ducis; composta pace recedunt.

At procul in campos squalentes fessus Ilasguas
errabat sitiens, nec tantos ferre labores
iam poterat duramque famem. via nulla salutis
et nullum monstratur iter: post terga Iohannes,
in faciem nimius solis calor. undique genti
mors erat ante oculos; nec tendere rectum
nec potis est revocare gradum. confusa periclis
anxia turba gemit: mortem orant. ire retrorsum
persuasit fortuna nocens, gentisque nefandae
infaustum divertit iter. redit improba Martis
Syrtica sorte manus, telis non proelia poscens
sed dubiam tentare fugam. explorator ubique
Romanus currebat eques, mistusque Latinis
fidus erat Mazax, pariter vestigia gentis
inquirens, qua parte forent. nec fama nec ullus
proximus hostis erat, tecta cum nocte repente
ardentes videre focos; dubiique volutant
Astricesne forent an retro versus Ilasguas.

Fluctibus Oceani nigros Aurora iugales
tristior extollens radios tendebat in axem,
luctificum Titana trahens et fata ferentes
impia solis equos: abscondunt nubila cursus,
obscuratque diem squalenti lumine Phoebus.

431 secum *T* 432 nec *T* 435 proprietate *T* 441 gentis *apud M* 442 *post* nec *M* usquam 446 mortis *T* 447 non] in *MT* 457 lutificum *T* 459 scalenti *T*.

nuntius ecce volans retulit sub nocte silenti
se procul a fossis late vidisse suorum
innumeros lucere focos, seu sensus Ilasguas
conversus post terga redit, seu proxima tentat
Astricum gens castra locis. manifesta relatu
non fuerat vox illa. suo dum pectore ductor
perquirit sollers angusto tempore causas
et stupet in dubiis, veniens super ecce repente
Cusina fidus adest, multa stipante caterva,
atque duci sic laetus ait. "fugitivus Ilasguas
hinc furtim transire parat defectus inermis,
languida castra movens. tempus venit — arripe signa,
maxime ductorum — fessam modo perdere gentem:
namque est militiae facilis labor. amnis opacus
alluit umbriferas viridanti margine ripas,
arboribus septus variis et arundine glauca.
huc gentes tendunt. primi veniamus ad undam,
atque omnes teneamus aquas." placuere loquentis
verba viri populo: ductor tamen ire vetabat,
defessi retinens iamdudum murmura vulgi
pectore sollicito. sed quis praecepta iubentis
certa dei superare queat vel sistere contra?
castra movens ductor comptas iubet ire cohortes
per numeros turmasque suas. tunc pulvis in altum
conglomerat nubes atque aethera turbat arenis.
infandum carpebat iter, collesque malignos
tristis et infaustos monstrabat Gallica campos.
conscendens Titan altum flammabat Olympum
curribus igniferis, medium cum fluminis alveum
alternae posuere acies. sed Syrticus hostis
continuit terrore gradum, retroque revertens
deseruit ripas optataque flumina liquit.
Praecipit hic ductor fossas et castra locari;
ac Martem differre mora pugnamque sequenti
luce movere parans, labentia flumina tantum
et sumptis latices iussit defendere telis.

462 rursus *M*. *an* fessus? *ut* 437 et 472. 463 tendit *M* 464 astriricum *T* 470 defettis *T* 483 tunc] te *T* 484 conglumerans *T*.

utile consilium, si tunc Romana iubentis
implesset praecepta manus. miserabile fatum
audaces dedit esse viros; passimque iuventus
per campos diffusa ruit, primique lacessunt
agmina prima viri. concurrunt ordine nullo,
non acie compti, subito clamore Latini.
non tuba belligeros cecinit clangore tumultus,
praeceptis contacta ducis; non ardua pugnae
signa locis statuere suis. incompta per hostes,
heu, male fisa manus fatis currebat iniquis.
territa cesserunt primo certamine retro
agmina Marmaridum. sequitur Romana iuventus,
aspera non densis permiscens proelia telis.
corpora certamen fugientum conserit hastis
per campos Latiaris eques, figitque premitque;
et subigit victos inter timor ire camelos.
At procul armipotens munibat signa Iohannes
ordine cuncta suo, fossasque et castra locari
praecipiens, tantum servandam ob fluminis undam
rectores iuvenum fortes pugnare iubebat.
composuere acies. dextrum latus ipse tenebat
Cusina, Massylis septus telisque Latinis.
Fronimuth huic iuxta, Romanis fortis in armis,
et dux ille potens, felici nomine comptus,
duc   felix non sorte, Iohannes.
at laevum tenuere latus Putzintulus ingens,
Geisirich arcitenens et celsis Induit armis.
ipse loco medius ductorum maximus auctor
stabat, et incassum socios sermone monebat,
iam fato incumbente gravi; quem Tarasis ante
condensas peditum cingens umbone phalanges
veloci volitabat equo, turmasque parabat.

496 nunc *apud M* 501 conti solito *T* 502 glongore *T* 505 sa-tis *T* 508 condensis *M*: cf. 5 540. 511 subicit *apud M* 513 et *add. M* 514 seruandam tantum *apud M.* et sunt similes versus 3 408, 4 980, 6 374. 515 hostes spugnare *T*, hostes expugnare *M* 520 *supplet M* ductor erat peditum. 521 lelium *T* *ibid.* butzuntulus *T* 522 grisirith *T* *ibid.* induit *T*, inclitus *M. mihi proprio opus esse videtur nomine.*

Nuntius interea venit celer ecce magister,
turbatos hostes referens iam victa per agros
vertere terga fuga. sed non his vocibus illum
consilio iuvenis valuit depellere iusto:
mens immota fuit. sed non sic iussa tremendi
nunc voluere dei. cunctantem bella subire
armigeri suasere ducem, fortissimus olim
Ariarith et Ziper melior, duo maxima belli
fulmina, Massylae quos tunc tenuere phalanges,
et virtute pares, et fatis compar uterque.
tunc Ziper sic orsus ait. "succurre Latinis,
maxime ductorum: socii fera proelia campis
miscent, sed denso rari turbantur ab hoste.
imprimit hos numerus: socios in bella sequamur.
arma cape, et succurre tuis." hic fortis amore
Ariarith exarsit pugnae, cogitque morantem
signa movere ducem. fidi qua voce ministri
ductoris compulsi animi. gemit horrida cantu
buccina letifero, turmasque in proelia cogit.
it bene compta manus, frustra quae fata premebat.
sic placitum tibi, summe pater, cum laedere velles
peccantes Libyae populos. delicta fuere
tanti causa mali; fuerat non culpa regentis.
Carcasan longe glomerari pulvere nubem
prospiciens, proprium Nasamon ciet impiger agmen,
talibus et dictis trepidantia pectora firmat.
"indomitae gentes, quarum me cognita virtus
Romanas acies armis tentare suasit,
haec est illa dies vobis qua corniger Ammon
promisit fatale solum. nunc ite per hostes
intrepidi telis: patrias modo pandite laudes;
quisque manu pugnate truces, et fidite fatis.
numina magna iuvant: dabitur victoria nobis,
credite, certa, viri. turpem removete pavorem,
et solitas vires animosque in proelia ferte."

528 magistro? *an* minister? 530 is *T* 534 suadere *T* 335 ariarit *T* 537 patres *T* 538 sicorus *T*, securus *M* 547 premebant *T* 548 dum *apud M* 550 causa] nostra *T* 553 edictis *T*.

utile consilium, si tunc Romana iubentis
implesset praecepta manus. miserabile fatum
audaces dedit esse viros; passimque iuventus
per campos diffusa ruit, primique lacessunt
agmina prima viri. concurrunt ordine nullo,
non acie compti, subito clamore Latini.
non tuba belligeros cecinit clangore tumultus,
praeceptis contacta ducis; non ardua pugnae
signa locis statuere suis. incompta per hostes,
heu, male fisa manus fatis currebat iniquis.
territa cesserunt primo certamine retro
agmina Marmaridum. sequitur Romana iuventus,
aspera non densis permiscens proelia telis.
corpora certamen fugientum conserit hastis
per campos Latiaris eques, figitque premitque;
et subigit victos inter timor ire camelos.
At procul armipotens munibat signa Iohannes
ordine cuncta suo, fossasque et castra locari
praecipiens, tantum servandam ob fluminis undam
rectores iuvenum fortes pugnare iubebat.
composuere acies. dextrum latus ipse tenebat
Cusina, Massylis septus telisque Latinis.
Fronimuth hunc iuxta, Romanis fortis in armis,
et dux ille potens, felici nomine comptus,
duc   felix non sorte, Iohannes.
at laevum tenuere latus Putzintulus ingens,
Geisirich arcitenens et celsis Induit armis.
ipse loco medius ductorum maximus auctor
stabat, et incassum socios sermone monebat,
iam fato incumbente gravi; quem Tarasis ante
condensas peditum cingens umbone phalanges
veloci volitabat equo, turmasque parabat.

496 nunc *apud M* 501 conti solito *T* 502 glongore *T* 505 satis *T* 508 condensis *M*: cf. 5 540. 511 subicit *apud M* 513 et *add. M* 514 seruandam tantum *apud M*. et sunt similes versus 3 408, 4 980, 6 374. 515 hostes spugnare *T*, hostes expugnare *M* 520 *supplet M* ductor erat peditum. 521 lelium *T* *ibid.* butzuntulus *T* 522 grisirith *T* *ibid.* induit *T*, inclitus *M*. *mihi proprio opus esse videtur nomine.*

Nuntius interea venit celer ecce magister,
turbatos hostes referens iam victa per agros
vertere terga fuga. sed non his vocibus illum
consilio iuvenis valuit depellere iusto:
mens immota fuit. sed non sic iussa tremendi
nunc voluere dei. cunctantem bella subire
armigeri suasere ducem, fortissimus olim
Ariarith et Ziper melior, duo maxima belli
fulmina, Massylae quos tunc tenuere phalanges,
et virtute pares, et fatis compar uterque.
tunc Ziper sic orsus ait. "succurre Latinis,
maxime ductorum: socii fera proelia campis
miscent, sed denso rari turbantur ab hoste.
imprimit hos numerus: socios in bella sequamur.
arma cape, et succurre tuis." hic fortis amore
Ariarith exarsit pugnae, cogitque morantem
signa movere ducem. fidi qua voce ministri
ductoris compulsi animi. gemit horrida cantu
buccina letifero, turmasque in proelia cogit.
it bene compta manus, frustra quae fata premebat.
sic placitum tibi, summe pater, cum laedere velles
peccantes Libyae populos. delicta fuere
tanti causa mali; fuerat non culpa regentis.
Carcasan longe glomerari pulvere nubem
prospiciens, proprium Nasamon ciet impiger agmen,
talibus et dictis trepidantia pectora firmat.
"indomitae gentes, quarum me cognita virtus
Romanas acies armis tentare suasit,
haec est illa dies vobis qua corniger Ammon
promisit fatale solum. nunc ite per hostes
intrepidi telis: patrias modo pandite laudes;
quisque manu pugnate truces, et fidite fatis.
numina magna iuvant: dabitur victoria nobis,
credite, certa, viri. turpem removete pavorem,
et solitas vires animosque in proelia ferte."

528 magistro? *an* minister? 530 is *T* 534 suadere *T* 335 ariarit *T* 537 patres *T* 538 sicorus *T*, securus *M* 547 premebant *T* 548 dum *apud M* 550 causa] nostra *T* 553 edictis *T*.

vix ea Carcasan: clamor per castra cucurrit
Syrtica terrificus, saevo crepitante tumultu.
Marmaridae fremuere acies. sors dura furores
incitat, et saevas stimulat Bellona catervas,
barbara sanguineo compellens terga flagello.
tunc rabie fera corda tument. iam linquere castra
coeperat innumerus sonipes, camposque tenebat.
  Amnis erat medius, bellorum fraudibus aptus
Massylisque dolis. densum nemus impedit arma
frondibus implicitis: steriles tenuere myricae
invisas valles, foliisque oleaster amaris.
Marmaridae hic acies, acies in parte Latinae
adversa stabant, et tristia bella ciebant.
militis arma nemus ferrumque volatile ramis
impedit oppositis, tenuis nec transit arundo
praevalida compulsa manu, nec flectit in hostes
liber equum domitor, longo nec ludere pilo
implicitus strictis miles valet undique ramis.
sollicitos locus ille duces cautumque magistrum
abstinuit bellis, aciesque stare coëgit.
continuere gradum: non se committere quisquam
ausus in abrupta tenuit vestigia ripa.
ductor adit virtute locum
armigeris tentare parans
qua valeat transire via
condensos saltus
occultus Nasamon
et tutum servatur iter
fida manus compressa fuga
adventu properare feri, nec missile torsit.
adversum Nasamona videns fugit ilicet Austro
ocior et somno visa non tardior umbra.
  Certior ecce volans magno tunc fama magistro
pacificos retulit iam linquere proelia Mauros,
compulsos terrore gravi; iussuque Iohannis

566 samulat *T*   570 actus *T*   573 folicisque *T*   575 adversae *apud M*   582 *ante* stare *M add.* ibi.   592 properate *apud M.*

auxilio Paulus sapiens et Amantius una
accelerant relevare viros. vestigia nusquam
Maurorum tunc visa: metu nec proelia Mazax
respexit fugiens, faciem nec torsit in hostem.
tunc versi fugere duces, pavidique tribuni
discedunt cuncti, dimisso ad bella magistro.
insequitur sparsas acies tunc victor Ilasguas.
clamor it alta petens. tunc pars inimica resolvit
vallibus e mediis per latos agmina campos.
dirupto credas subito telluris hiatu
surrexisse viros. circumdant signa ruentes
hinc atque hinc, sparsosque super tot milia currunt
densa duces; iunctisque dies excluditur hastis,
et campos late noctis pressere tenebrae.
dat gemitum miseranda manus, telisque cruentis
per campos funduntur equi: furit inpiger hostis
asper et immitis. posset genus omne Latinum
illa dies una pariter quassare ruina,
ni pater omnipotens caelo miseratus ab alto,
Romanas acies tanta inter milia servans,
salvasset magni fugientes voce Iohannis.
namque videns socias campis desistere turmas
talibus, ore tonans, dictis exaggerat iras.
"si morimur, socii, si fors suprema Latinos
sorte trahit saevisque parat prosternere bellis,
feminea cur morte cadam? si vita superstes,
cur timidus fugiam? frenos iam flectite, cives;
figite signa, viri: furias contemnite gentis,
et pugna tentate truces. aut vincimus hostes,
si deus ipse volet: vel si delicta resistunt
partibus aucta meis, propria non laude caremus,
dum morimur. revocate fugam: iam stringite ferrum.
me, faciat, quod quisque videt." sic fatus acerbo
dentibus infremuit vultu, capulumque coruscum
corripuit, gladiumque furens ad vulnera traxit.
ad vocem pars certa redit. tunc proelia surgunt

598 consilio *M* 610 uictisque *T* 624 flettere *T* 625 concernite *T*, consternite *M*.

aspera, et assiduo discurrit lancea nimbo.
loricae galeaeque tonant, gemit ictibus umbo
aereus; et ruptis inter praecordia venis
purpuream fundunt animam. virtute superbus
Ziper, acerba furens, ibat per tela, per hostes,
Syrtica letiferis prosternens agmina telis.
et Sulumur pariter, fato sed impar uterque,
pectora multorum contra venientia longis
transfodiunt contis; trepidum iecur inserit hasta
corque virum; volucri fundunt cava tempora ferro.
diripit ille caput, magnum femur amputat ille.
non aliter geminos spectassent ore leones
in medios saevire greges. nunc unguibus atrox
diripit hic praedam; nunc dentibus ille cruentis
frangit molle pecus, tepidoque in sanguine gaudet.
at parte ex alia Bulmitzis et Ariarith ingens
Dorotisque ferox atque armiger ipse Iohannis
funera per latos contra venientia campos
vulnere fundebant vario. mucrone superbus
ille furit, pilo melior valet arduus ille.
hic torquet rigidas nervo stridente sagittas,
hic fremit arte potens, et telis pugnat utrisque.
ipse inter medios ductor mucrone coruscat
fulmineo, hostiles arcens terrore phalanges.
carmina non aliter referunt per bella Gigantes
armatum tremuisse Iovem, cum fulminis ictus
perderet horribiles flagranti vulnere fratres.
Vinceret illa manus, ni tunc fortuna negasset
successus irata suos. iam crescit iniquis
innumerosa manus: peditum venere catervae
Marmaridum. densum circumvolat undique ferrum
stipitis et gravidi robur, lapidesque minaces
fulminis instar erant. latet atrox pulvere campus:
vix sua tela potest pressus iam cernere miles.

636 arcus *T* 638 liper *T* 642 tretum *vel* tritum *T* 644 medium *M* 645 ora *apud M* 646 tunc *apud M* 647 ille predam *T*, ille gregem *M* 649 bulmitis et ariarth *T* 650 ac *apud M* 662 tuos *apud M* 663 pedum *T*.

obnixus ductor contra omnia tela resistit,
vertere terga vetans. magno impendente tumultu
armigeri cecidere duo: cadit Ariarith ingens
missile non uno, et centum per vulnera Ziper
magnanimus. duro venientis comminus ictu
ductoris transfixit equum; quod missile dextra
acris equi rapiens fortis de corpore ductor
fregit et in faciem furibundus dirigit hostis.
Hic fusos socios et iam sua vulnera cernens
infremuit ductor: tunc se super ardua terga
composuit sublatus equo, vultuque minaci
terribilis densum dirupit concitus agmen.
efficit ense vias inimica per agmina ductor
cum sociis: acies pulsae terrore magistri
post tergum redeunt. spatium sibi vindicat heros,
atque suis iter in medios tunc dirigit hostes,
Disponens per signa viros; arcetque sagittis
Massylas acies. nulli tentare furentem
iam potuere viri. sequitur quicunque magistrum,
vulnera converso redeuntia suscipit arcu.
adversus quis forte petit: per pectus anhelum
longius erecta transfixus funditur hasta.
qui lateri iungunt, iaculis volitantibus acres
dant animas, vel utrumque latus diffindit arundo.
Tunc metuens Nasamon ductoris iungere signis
cessit, et in latos ferus ex indagine campos
spargit equos; illosque necat qui signa fugaces
deseruere viros, et primi Martis acerbas
extimuere minas, ac versi terga dedere.
Dux erat egregius, ductoris nomine fulgens
nec virtute minor, Romanis clarus in armis.
hunc procul ut ductor fugientem proelia latis
prospexit campis, tali sic voce secutus.
"haec est vestra fides? sic proelia movimus" inquit

669 magno] in agro *MT* 670 ariarth *T* 671 riper *T* 672 *post* magnanimus *hiat oratio.* 677 per *apud M*: cf. 4 457. 681 pulset *T*, pulsat *M* *ibid.* magister *TM* 690 ueniunt *M*: cf 1 221, 5 692 *et Italicum* giungere *i. e.* arrivare. 691 vel *om MT* *ibid.* defundit *T* 693 feruens et *T.*

"ut pereat Romana manus? nunc deseris arma?
quo ruis, infelix? per te miseranda iuventus
famaque nostra perit." ductoris vocibus ille
erubuit, durisque dolor simul ossibus arsit.
tunc pudor infaustus gentes spectare sequaces
impulit. hostiles cupientem rumpere turmas
urgebat mors saeva virum. defendere certat
oppressos socios: victor iam sternitur hostis,
eripitur victus, mutantur fata cadentum.
audentem fors prima iuvat: iam caede superbus
perfurit, et variis prosternit corpora fatis.
mater ut Hyrcanos catulis furit orba per agros
tigris anhela suis, raptos quos forte cubili
Caucasio subtraxit eques — spectacula Persis
regibus ille ferens, ferrata calce fatigat
cornipedem pavidus: similis tunc illa marito,
et levior Zephyro, teneros dolet aspera fetus
atque volat —, sic dux populis concurrere certat.
hic rapit ense caput morientis; missile torquens
eminus hunc sternit; valido per pectora conto
percutit hunc; minitans tremula transverberat hasta
alterius clipeum pariter palmamque latusque.
ille femur moriens despectat vulnere raptum,
parte cadens, iuxtaque dolet sua membra superstes.
saucius ille iacet, casu confractus equino,
confossusque super sonipes: cruor emicat alte
spumeus, et tepidis currens miscetur arenis.
mille modis fervens spargebat vulnera victor,
fortuna praebente vias: iam lassus anhelans
fumat equus cursusque negat. Maurusia crescit
adveniens acies: Camalusque Ceraúsque secuntur,
Stontaus atque ferox. ingens exercitus hostem
ambit, et anterior conturbat lancea campos,
densa volans: iaculis clipeus venientibus obstans
aere gemit raucumque tonat. clamoribus instant,

702 romā manus quo nunc mea desit *T* 711 ardentes *T*, audentes *M*
732 camarusque *T*.

conturbantque virum. fixus contexitur umbo
missilibus densis: ipso iam tegmine subter
pondere telorum premitur, fessumque fatigat
silva gravis, turbaque superveniente laborat.
paulatim excedens vicinas litoris oras
arte petit, dextrumque latus subvendicat undis
aequoreis, laevum gradiens umbone tuetur
tergaque. tunc telis faciem defendit iterque.
ut leo venantum trepida vallante corona
impavidus virtute fremit, rictuque tremendo
murmura convolvit, saevas dum concitat iras,
erecta virtute furens; nec currere contra
est animus virtusve viris, sed vocibus hostem
et tantum iniectis pertentant longius hastis.
non secus ille furens turbis compressus abibat,
litora curva tenens clipeoque hastilia vitans.

Est locus in mediis longe praeruptus arenis
fluminis in morem, pelagi quem margine fluctus
alluit, atque undis agros concludit amaris,
egrediens; quibus alga locis limusque relabens
atque altum tremulo nutrit sub gurgite coenum.
huc ubi pervenit, nigras equus horruit algas
et pavidus post terga redit. tunc naribus afflans
erexit geminas (signum formidinis) aures,
datque latus, fumatque ferox, oculosque retorquet
prospiciens, nec dirum audet tentare periclum.
finierat spatium vitaeque viaeque repugnans
dux, heu, magnanimus. sequitur clamoribus hostis
densus agens turbansque virum. tunc calce frequenti
pulsat equum geminans et magnos concutit armos.
extulit impulsus sonipes, cursuque negatam
tentat adire viam, absorptusque voragine mersit
ipse cadens, dominumque super gluttivit hiatu
terra nefanda fero, rapuitque ex hoste receptum

738 subut *T* 746 rituque *T* 747 conuiluit *T*, conciliat *M* *ibid.* seus dum concutit *T* 750 in tectis *apud M* 757 putret? 766 geminos *M* 770 ex *add. M.*

suscipiens fortuna virum, ne staret inermis
aut humilis precibusque rogans; tribuitque sepulcrum,
ne nudum in Libycis iacuisset corpus arenis.

LIBER SEXTUS.

Interea ductor munitis agmine signis
iam tutum carpebat iter; sociisque reductis
successit parvae defessus moenibus urbis.
hic populi satiata fames; post bella salutem
hic licuit spectare viris; hic ardor equorum
pulsus aquis tristisque fames per pabula cessit.
fovit equos olim sitiens per flumina miles,
optatis gavisus aquis; casusque priores
commemorans gelidis infundit corpora lymphis.
percipiunt epulis parvas post tempora vires,
laetificumque bibunt post tristia bella Lyaeum.
nox terris nunc acta ruit, mundique labores
distulit, obscuro confundens omnia caelo.
hanc sequitur madidus curis solatia somnus
dulcia referens, tacitisque amplectitur alis.
solverat effuso nutantia lumina cornu
noctis amica quies. tunc corda oblita malorum
atque sui iacuere virum; nimioque labore
cetera defessis proflabant corpora membris.
Dux tamen insomnem turbato tempore noctem
protrahit, innumeras volvens sub pectore curas.
concussus pietate pater, tot funera deflens,
ingemuit lacrimasque dedit. Recinarius illic
solamen ductoris erat sociusque laborum.
hic mala mista bonis partem semperque ferebat,
non humili cum plebe iacens, gravitatis amicus
et virtute potens, animam qui ponere nunquam

5 sperare *M* 10 paruo post tempore *M* 12 *an* tunc atra? 15 *post* dulcia *M add.* tunc. 27 animamque ponere *T*, animamque exponere *M*.

pro patria timuit. novit ferus omnia Perses
facta viri, ingenium, vires, consulta, labores,
Martis opus clarum, pacemque fidemque benignam.
novit in infensis quae fecit et Africa Mauris.
novit et ipse pater secum tolerasse labores
saepe virum. sic crevit amor, sic grata voluntas
inter utrumque manet. patrem putat ille Iohannem;
ille putat genitum proprio de sanguine natum.
ergo inter sese tristis narrabat uterque,
pervigil infausti referens pia funera campi.
dux prior haec. "vana est hominum vigilantia certe
non vigilante deo: propriis non viribus ullus
vincere bella potest; solus qui conterit hostes,
omnipotens, qui cuncta movet vertitque ruitque.
non tamen excelso nimium Romana propago
invisa est domino, tanta inter milia pressos
quod voluit salvare meos. reparare ruinam
accelerare placet, pugnam tentare repente,
dum victor securus abest victumque fugacem
esse putat. victi quotiens vicere superbos
Marte viros! datur et paucis victoria maior.
consule, care, magis nostris quid competat armis."
Tunc placidus gravitate sua Recinarius ora
solvit, amica duci referens consulta iubenti.
"divinum spectare pium est, o summe magister,
auxilium. pugnas iterum tentare quid instas?
virtus nota movet magnaeque potentia dextrae:
non tamen ambiguis caput obiectare periclis
nunc opus est. hostes fecit fors saeva superbos
audacesque iuvans: fugientum proelia semper
frigent corda metu. mortis confracta pavore
virtus magna timet. belli sufferre tumultus
paucorum est, post bella magis, quae caede recenti
concussere viros. sparsa est pars maxima nostra,
sed manet incolumis. huc fortes colligo, ductor,
et vires reparare iube, gentesque require

31 infessis *T* 35 iste *M* 42 tantum celso *TM* 46 adest *TM*
49 qui *T* 56 non *T* 62 hac *T*, nunc *M*.

alterna de parte ciens, quae nostra fideles
foedera semper habent. has motis praecipe cannis
et signis se aperire suis. exercitus omnis
conveniens sic tutus erit, venalia quippe
inveniens quaecunque volet: pecuaria secum
multa trahunt gentes. venient ad litora puppes,
et Cererem Bacchumque ferent: iam tempus apertum
aequor habet. quassas reparabunt agmina vires,
oblitaeque metus renovabunt proelia turmae."
Consilium placuit; fidique magister amici
optima dicta tenens celeres mandata ministros
ferre iubet cunctis. sonipes discurrit ubique
ductoris praecepta ferens, gentesque suosque
praecipitanter agunt. nullus per bella repulsus
sic potuit renovare celer fera proelia ductor,
quivit ut egregius vigilanti corde Iohannes.
non illum fortuna prior Mavorte secundo
inflatum evexit, nec tunc contraria fregit,
immotum virtute sua. iam roscida surgens
Oceano gelidas Aurora removerat umbras.
ductor ut albentem vidit consurgere lucem,
lavit aquis geminasque manus vultusque gerentes
pulvere concretos hesterno Marte capillos;
oravitque ferens palmis haec verba supinis.
"omnipotens genitor, virtus et gloria rerum,
certa salus mundique sator, qui foedere certo
omnia disponens vertisque regisque movendo,
tempora permutas, nec tu mutaris in illis;
quattuor explicitum volvens successibus annum,
bissenisque diem claudens aequalibus horis,
ordine cuncta novas, nec tu renovaris ab ullo,
idem auctor dominusque manens et conditor orbis.
credo, summe pater, tua sit quod magna potestas,
et fateor. miseras gentes sua pessima fallant
numina quae credunt. permittis saepe probari

66 se *add.* *M* *ibid.* amnis *T* 81 exexit nec tunc *T*, erexit nec nunc *M* 83 occiani *T* *ibid.* renouauerat *T* 86 cristerno *T* 97 fallans *T*, fallunt *M* 98 probare *T*.

ipse tuos, pietate tamen celer erigis idem.
appropia, fessisque tuis solatia praesta.
erige Romanas acies, prosterne superbas
Massylas, quae bella volunt; nostraeque ruinae
festinus succurre, precor, et consule, rector."
Haec orans vultus lacrimis implebat inundans,
concussus pietate pater, Libyaeque periclum
sollicitus pensans iterumque iterumque gemebat.
hic pater omnipotens lacrimas et verba dolentis
suscipiens, Latias voluit revalescere vires.
adveniunt socii, Martis quos sparserat horror
hostilisque metus. multos tunc esse magistro
incolumes referunt Vinci, spectare sequentem.
gaudia parva salus sociorum audita creavit
solamenque mali. ductor tunc contrahit omnes
aere ciens. rara trepidi cinxere corona.
circumstant tristes, lacrimasque in pectora fundunt.
quos bonus affatur miti cum voce magister,
exhortans relevansque viros; et talibus infit.
"non lacrimis, iuvenes, animos confringere fortes
est opus in bello. nunquam Romana iuventus
frangitur adversis. nimium cur fletis, amici?
en socii veniunt mediis ex hostibus omnes
incolumes. alios aiunt superesse docentes.
si vivunt socii, nihil est quod quisque sub hoste
amisisse putet. praedam quam forte doletis
nunc vobis rapuisse viros, servata manebit,
augeturque magis. tumidos quos cernitis hostes
caede levi, discent graviter quid proelia possunt
Romanusque vigor: tunc vestras tollere praedas
Maurorumque simul solita virtute iuvabit.
solvite maerentes animos, expellite curas,
indignosque metus vestris arcete, Latini,
pectoribus. veniet rebus victoria nostris."

102 tella *T* 108 suspiciens *T* *ibid.* recalescere *MT* 111 victos sperare salutem *M* 115 pectore *apud M* 117 que *add. M* 118 confringite *T* 122 aiunt] autem *M. qua particula non utitur Corippus.* 132 uestris *MT.*

Laetificans alios referebat talia ductor:
ipse dolens vultus hilares simulabat amicis.
spem dabat aspectu: curas nam corde premebat.
inde petens Vinci Romanum contrahit agmen,
disposuitque duces numeros fortesque tribunos
in proprios remeare locos, reparare fovendo
quadrupedes fessos, pugnam sperare sequentem.
corripit ipse viam, gradiens per litoris oras,
qua socios posset victu reparare diurno.
inde superna petit contemptis moenia ripis.
urbs Laribus mediis surgit tutissima silvis
et muris munita novis, quos condidit ipse
Iustinianus apex, orbis dominator eoi
occiduique potens, Romani gloria regni.
huc socios ductor celeres occurrere iussit
atque duces gentesque sibi, quas ipse fideles
noverat esse suis primo in certamine signis.
Nuntius infelix Tyriam concusserat urbem,
proelia dira ferens et saevi funera campi.
obstupuere quidem; sed spes fidissima rebus
una fuit, salvum retulit quod fama magistrum.
Coniugis interea miserae pervenit ad aures
haec eadem pinnata ducis. stupefacta relinquit
corda calor, subitoque tremens oppalluit ore.
mox miseranda cadit: caelum terramque tenebris
eripuit cum luce dolor. tunc mortis imago
clausa diu tenuit resolutis lumina nervis.
accurrunt famulae, dominamque levare cadentem
nituntur celeres, refovent et pectora palmis.
spiritus in gelidis tenuis recalescere membris
vix potuit; manibusque erecta resedit,
nec movet obtutus, amens et saucia luctu
immemor atque sui. mentem vix fessa recepit
ceu dubiam: primo luctus sic orsa dolore est.
"cor dolet, et nullas effundunt lumina guttas.

134 docens *apud M* 136 uinci] campum *M* 138 fauendo *apud M* 141 quos *T*, quo *M* 153 qui *T* 163 erepta *T*, suis erecta *M*. *immo* suarum. 165 mox *MT*.

cur miserae nullas prorumpunt ora querelas?
luctibus in tantis animis dolor excidit ardens,
an dolor ipse magis lacrimas et verba negavit?
mene geregrinam sors haec miserabilis urgens
in Libyam duxit, pelago terraque secutam
coniugis arma mei? cur non per bella cucurri?
nunc pariter miseros caperet fors saeva sepulcri
clausa duos rupit subitus telluris hiatu.
dulcia consertis strinxissem pectora palmis,
miscuissemque simul, corpus complexa mariti.
dulce mori miseris. iterum comes ire per umbras.
atque utinam fatis cupide licuisset amanti!
ah miserande, iaces extrema clausus arena,
quem gentes tremuere ferae, virtutis adegit
causa mori. quidnam populo fugiente redire
solus et innumeras voluisti pellere turmas,
heu nimium confise tui! quo versa recurram?
quove ruam? auxilium cuius captiva rogabo?
tu miserae requies. tecum transire profundum
non timui secura tui, cum fervidus Auster
iactasset trepidas fluctu surgente carinas.
te sine per duras potero remeare procellas,
infelix coniux, tanto viduata marito?
o mihi si medios rupissent prospera luctus
fata, trahente die tantos nec ferre labores
passa diu! mors saeva foret, sed sorte recenti
manibus ire mei fruerer sociata Iohannis."
Sidoniam tantis implebat luctibus urbem,
cum lacrimis miseranda gemens: ululatibus augent
ardua tecta sonos. cunctorum lumina salsos
effundunt fontes, gemitus pia pectora rumpunt.
At pater alternans magnas ex ordine curas,
sollicitus rerum patriaeque suaeque salutis,

169 animi *M* 174 caperent, fors, saeva sepulcri claustra duos, ruptae subito *M* 176 frinxissem pettora palmas *T* 178 mori! Misero possem comes *M* 179 fatis licuisset cedere *M* 180 externa *MT* 185 quoque *apud* *M* 186 miserere quies *T*, miserere precor *M* 189 *an* diras? *M* 194 ore *T* 196 augent *M*, agens *T* 199 anas uix *T*, omnes uix *M*: cf. 7 238.

agmina cuncta movet. latis incedere campis
et forti properare duci veneranda senectus
evigilanter agit populos. reverentia tanti
pulsat amorque viri; gravitas seniumque laborque
verbaque blanda iuvant, tristes mulcentia mentes.
ergo tot impensas genitor tunc ire iubebat,
et socios urgebat agens, fortique magistro
consilium gratus senior mandabat amicum.
nec non egregius dispensans omnia Petrus,
ceu foret ille senex, magno mandata parenti
ferre iubet celeres iterumque referre ministros.,
quam reverende puer! Libyen cum patre tueri,
an patris pietas animum movet? hoc ego, quicquid
esse putent dicantve, ratus: mirabile signum est,
has puer ut tenero discernas pectore curas.
iam gentes rumore tuo pavitantque tremuntque,
deficiuntque metu, palmis oculisque timorem
audito parvi signantes nomine Petri.
At famuli pariter cura praestantius omni
pro rebus magnoque laborant   magistro,
pellentes dubias exire in proelia turmas;
hortanturque viros, flectuntque moventque docendo.
hic prece nunc socios, asper nunc increpat ille:
odit amare moras angusto in tempore cives.
quippe dolor pietasque virum magnique Iohannis
pulsat amor mentes. placido modo pectore vultus
versat, et absentes animis auditque videtque
sollicitus, dominumque rogat pro nomine tanti
proque salute ducis. pavitat secumque volutat,
atque animis tam dura putans pia corda fatigat.
quo pater ille modo, quo nunc Recinarius una,
scilicet infando tristantur pectora casu.
ardet adire viam, dilectas cernere turmas,
oscula vel plantis optans libanda magistri;

204 amor *T* 206 impesas *T*, proceres *M* 208 amicus *T* 211 forte *T* 212 rerende *T* 214 putem dicam ue *T* 216 timore *T* 217 morem *T* 220 laborant quique magistro *M* 222 flettunt *T* 225 quodppee.

cunctaque disponit, cura bene cautus in omni.
Plaustra gemunt onerata viis, altisque camelis
fervet iter; Ferrum resonantia concutit aera.
omnia per latos convectant horrea campos,
armaque multa viris more expendenda Latinis.
iamque duces hinc inde ruunt fortesque tribuni,
victricesque ferunt aquilas, atque agmina densant.
Mittitur et sollers geminas componere partes
Stephanides iuvenis, discreta mente, Iohannes.
namque inter sese duri iam semina belli
saevus Ifisdaias et fidus Cusina functi
tunc habuere odiis. bellum iam corda futurum
coeperat alterno succendere barbara motu,
invidia geminante iras. hunc ergo magister
inter utrumque iubet placidam componere pacem
et sedare viros ipsasque arcessere gentes
subsidio rerum. nec duras flectere mentes
aut animos alius posset placare feroces.
hic poterat rabidas verbis mansuescere tigres
atque feros facili mulcens sermone leones
serpentumque malum dictis arcere venenum.
distulit ille tamen alterna parte furentes,
compressitque nefas, et pactum gentibus auxit
arte nova. quos saepe metus, quos ille labores
inter utrumque tulit, tantas dum flecteret iras!
pro patria libuit tot saeva pericula ferre.
composuit gentes, pariterque ad proelia movit.
Convenit ergo fremens, variis ornatus in armis,
innumerasque acies Maurorum in proelia ductor
Cusina fidus agit. commotis omnia cannis
arva gemunt: solidant latos vestigia campos.
ille duces proprios triginta fortior armat;
et quamvis numero milleni quemque sequantur,
Romanis gaudet sese tamen esse magistrum
militibus medium, quos princeps maximus orbis

235 in *add. M* 236 honorata uiis altis *T* 245 functis *T* 264 comminatis omnia cannis *T*, comitantibus omnia carris *M*: cf. 6 65, 7 124. 268 magister *T*.

ipse dedit pacis socios pugnaeque ministros.
illis fretus erat, gentesque et bella domabat.
  Venit Ifisdaias centum cum milibus ardens,
arsuris et latos implevit tarua campos:
sed numerus virtute minor. tamen ornat in armis
hostiles acies, visu terrente, per hostes,
proelia dum miscent densis asperrima telis.
auxiliumque dedit rebus famulatus Iaudas,
cum nato comites bissenis milibus armans.
omnia castra simul praefectus Bezina ducit
conveniens, agrosque suis pecuaribus implet.
  Ductor ut innumeris firmavit robora turmis,
signa movet, gentesque feras diffundit ut amnes,
proelia dura petens. campis Mammensibus Austur
rustica funereis sternebat corpora telis,
Byzacii partem rapiens praedamque secundam.
Antalas rursus proprium tunc iunxerat agmen
partibus adversis, seseque in bella ferebat.
nuntia pennatis ventos transverberat alis,
Syrtica castra petens: venientis fama magistri
cuncta per ora volat. tumidos modo territat hostes,
aspera verba canens, tantasque ad proelia gentes
praesidio venisse ducis: modo concitat iras,
dum ferus imbelles Antalas esse catervas
Maurorum, signis qui se iunxere Latinis,
arte refert solita. Carcasan obvius ire
tunc voluit fervens. revocat Guenfeius hostis
consiliis verbisque docens. haec insuper addit.
"vincere si quaeris Romanos, maxime rector,
accipe dicta libens, quae sint peragenda salutis.
non opus est istis committere proelia terris.
fortis adhuc miles nullis concussus et asper
exitiis per bella furit. nec Marte furentes
ferre quibus populis poteris, nec stare Latinis
ante fame. sed castra move, retroque fugaces

273 cornua *secunda manus T*, Aurasii et latos campos compleuit et area *M* 281 robore *T*: cf. 4 889. 282 ubi *T* 286 uixerat *T* 300 his *T*, istis *M* 304 famem *T*.

finge vias. sequitur nostras exercitus ingens
quippe fugas; quaecunque virent, attrivimus arva.
at si illi nihil invenient, aut spargitur hostis
aut fame deficiet. fera tunc si proelia tentes,
victor eris, victosque fames ferrumque necabit."
  Consilium infelix placuit, fossasque levavit.
insequitur fortis fugientia castra magister,
ingeminans iter omne suum. iam proximus hosti
proelia tentabat iunctis committere signis:
sed quia ductori necdum concesserat horam,
distulit arma deus, melioribus apta triumphis.
namque per extensos pergebant agmina campos,
pulvis et adversi apparebat certius hostis
haut procul esse viris. virtus crescebat acerbis
mentibus, et pugnam iam iam tentare parabant,
cum subito calefacta dies. nam Phoebus anhelis
altior ibat equis, medio libratus in axe,
vindicat umbra duas brevior quo tempore plantas.
Africus ignivomus terrasque exurere flabris
incipit, et populi vires furiasque resolvit.
flamine cuncta rigent igniti corpora venti:
aret lingua viris, facies rubet, altus anhelat
pectora pulmo ciens, mittitque e naribus ignem.
aspera subtracta fervescunt ora saliva,
et furit exustus siccis in faucibus ardor.
omnis ab internis humor fluit anxius extis,
perfunditque cutem, quem mox exsiccat iniquus
aëris ipse calor, tepidumque a corpore sumit.
  Vidit ut hoc ductor, dilato Marte, Iohannes,
castra super dulces posuit sitientia fontes.
confluit ad gelidas ardens exercitus undas,
incumbuntque siti. quo more canalibus horti
innumerae densantur apes, cum sole sub alto
iam sese e pastu referunt, rivoque fluenti
mellificum bibit agmen aquas, sic igne perustum

307 at si] ast *T*, aut *M*   308 deficietque fame *M*   313 tentabant *apud M*   315 acta *T*   332 aiere *T*   *ibid. an* tepidoque? *M*   334 duces *T*.

per ripas ruit omne genus. non frena retardant
cornipedes domitos; non, quae super ora, camelos
vincula rara tenent. mistum genus omne bibebat
undivagos latices. ardent sitiuntque bibentes.
hic genibus fixis, manibus bibit ille cavatis;
pronus aquas alius lambit de flumine lingua.
ille cadum potans, pateram tenet alter et urnam.
flumina iam minuunt: ipsas impressat arenas
belliger ore, super foedant quas saepe movendo
quadrupedes; mistasque fimo nec respuit undas
turba siti fervens: miseros sic flatus agebat.
  Syrtica castra tamen, nimio turbata pavore,
saeva sub alternis urebat flamma periclis.
namque super vento gravior timor ipse fatigans
ingeminansque sitim gentes pellebat amaras
ire procul, retinet sed victos Africus igne
impediens populos. captivos comprimit Afros
horrida mors miseros: praedo urget, flamma ratardat;
lancea terga ferit miserorum, pectora turbat
Africus igne calens. campis prostrata cadebat
turba gemens; moritur variis per devia fatis.
hic venti flammis, hic saevi vulnere ferri,
hic ab utroque cadit: gladiis nam corpora fundunt,
halitus in summo tenuis quibus ore remansit.
iam gravior flatus veniens Maurusia turbat
corpora, morte premens. misti per prata cadebant
fessi quadrupedes: vitam sors saeva negabat.
sed tamen infensas urgens timor ire catervas
per deserta iubet; nec iam sua castra locare
permittit terror, sed longas pellit ad oras
Massylas gentes. bisquinos Africus ignes
auxerat ignivagis exurens cuncta procellis:
tot fugiens hostes acies inimica diebus
se procul a fessis posuit terrore Latinis.
  Ductoris iussu hostes explorare tribunus

346 potans T. *forsan legendum est* portans *M*   348 ora *T*, *ut malis* ipsis arenis.   362 haec *T*   *ibid.* gladii *M*   *ibid.* non *TM*   366 mors *apud M*   370 affricus ingens.

Caecilides, numero pariter comitante feroci
victorum, egreditur, quibus hic virtute placebat.
forma viri magno fuerat iam nota magistro,
non minor Herculeis prosternens viribus hostes.
hic levitate celer, nimia virtute tremendus,
consilio maturus erat. Maurusia quanquam
obsidione vias gens aspera clauserat omnes,
ille tamen melior cunctis percusserat armis
saepe feras gentes. tremuit prostratus Ilasguas
Marte virum, tremuit Frexes et Naffur anhelus;
Vandalicae gentis timuit tunc ille tyrannus.
diligit hunc fortem nimium pater ipse magister.
ipse laborantem propriis prospexit in armis:
nimirum captos suscepit Marte rebelles
illius e manibus. novit Romana iuventus
fortia facta viri, tantis gavisa tropaeis.
ergo missus abit. Vinci populator iniquus
arva tenens vicina mari, securus et errans
omnia submissis urebat praedia flammis.
temperat ille suas noctis per opaca latebras,
sollicitaeque celer successit moenibus urbis
hostes per medios: tanta est fiducia ferri.
non ignota cano. timuit non ille periclum
pro patria superare sua: sic iussa magistri
perficere et tantos potuit sufferre labores.
ingreditur portas, hostis secreta requirit,
circuit hostiles digressus in ordine fossas,
cognoscitque locos per amica silentia lustrans.
hinc redit ad socios: magnum petit inde magistrum.
iamque per innumeras evaserat ipse catervas
praedonum impavidus. postquam tentoria longe
Marmaridum vidit, saevaeque pericula gentis
non superesse suis, et passim comperit hostes
devastare locos, animus consurgit in iram;
et sociis sic orsus ait. "si dicta feremus

380 maurisia *T* 384 frixes et naufur *T* 388 se uirum *T* 392 ma-ris *T* 393 prelia *T* 395 mentibus *T* 399 et *add. M* 403 hic retulit *T*, *ibid.* inde *add. M.*

sola duci, non plena fides est: nam loca tantum
quae teneant fossae, cuncti nos scire fatemur.
consilium gentis summo perferre magistro,
utilitas haec rebus erit perfecta Latinis.
tempus adest, socii: prensos rapiamus ab hoste,
dum locus est, qui cuncta duci manifesta resolvant
Carcasan arcana sui." nec plura locuto
obvius ecce venit Tarincus, belliger ille
terribilis quondam nostris, stipante caterva.
hic pinnatus erat, non quem placaverat ante
ensipotens Solumuth; generis tamen asper uterque
sanguine proximior sese per bella ferebat.
hunc ubi prospiciens contra Liberatus euntem
vidit et erectis tentantem proelia dextris,
irruit ipse prior, turmasque invadit equestres.
inde ferum Veuman valido per pectora pilo
transadigit, Marzinque neci nigrumque Lamaldan
et Zeias dedit ense gravi, fortemque Tifilan
et Burcanta Nathunque ferit Sarzunque Tilinque
ensiferumque Nican; comites quis mittit ad umbras
terribilem Asan et vibrantem missile Dextrum.
audacem Petrus Tafaran confixerat hasta,
quem petit infensis luctantem Iammada telis:
hunc tamen exceptum Petrus mucrone peremit,
verticis alta rotans truncatis timpora venis.
Stephanus Altisan, Tarah ferit ense Iugurtham,
Muriferum Priscus Ielidassenque Carosus.
Silvutis Zembrum, Grorgius conficit Auspur,
vulnere perfodiens contortae cuspidis inguen.
   Victa phalanx versum dederat Maurusia dorsum:
victorum sequitur pubes veloxque tribunus.
surgit ad aethereos nubes densissima campos,
pulvere facta fugae. duro sonat ungula cornu,
et latet aspersis campus coopertus arenis.

414 rarus iam rupuimus ab oste *T*, raros iam uidimus hostes *M* 415 tum *M* *ibid.* quo *M* 418 nostris *M*, histi *T* 431 petrum *T* 434 uirtutis *T* *ibid.* neruis *M* 435 sthefanus altisan *T*, Altisan Stephanus *M* 437 Gregorius inficit *M* 440 pules ueloxque *T*, miles veloxque *M*.

cornipedum fodiens densis calcaribus armos
hostis uterque volat. sequitur tunc agmina pulvis,
significatque vias. dirupto carcere ventus
non aliter teneras flatu convolvit arenas,
cum tumidus Boreas, Scythica iam liber ab aula,
perfurit in campos: turbo volat horridus ante,
contortus virtute Noti; gyroque coactus
vertit arenosas, conturbans aequora, terras.
  Iamque secutus erat miles fugitiva per agros
agmina Marte furens, bellatricesque catervas
spargebat tepido fundens per gramina ferro.
despicit ipse tamen dedignaturque tribunus
sternere caede viros, vivos sed prendere certans
veloci volitabat equo, pilumque retorquens
grandia percussis iactabat corpora membris.
quattuor electos rapiens ex agmine Mauros
vinxit, et implicitis praestrinxit brachia nodis,
servavitque viros, magno secreta magistro
qui referant linguisque suis arcana resolvant.
Varinnum prensis rapuit virtute capillis
et suspendit equo. tremuit dextraque pependit
infelix Nasamon; quem protinus ille remissum
stravit humi, veloxque super fera pectora sedit,
descendens levitate sua, tortisque lacertis
aspera per geminas substrinxit vincula palmas.
ducitur hinc vinctus, manibus post terga revinctis,
cum sociis Varinnus atrox, vultuque remisso
ductoris stetit ante pedes. tunc omnis in illum
turba coit currens studio Romana tuendi,
Massylique duces cupidi condiscere causas,
et quae sit manifesta fides. victorque referre
Caecilides sic iussus ait. "tua maxima servans
optime iussa ducum, Christo pugnante cucurri
per medios hostes, et castra feralia vidi,
quae fixere viri miseri Vincensibus arvis.
ingressus trepidam bellis cingentibus urbem

447 cum uoluit *T*   451 equo *T*   465 mamasan *T*   478 invicte ensibus *TM*.

condolui. illic magna tamen miracula vidi:
namque iacent nullis circumdata moenia muris,
praesidio munita dei. non turribus illam
ardua pinnati defendunt culmina tecti.
mansuescit gentes verbi virtute sacerdos:
sic parat indociles caelestis gratia mentes.
ille potest monitis rabidos lenire leones
et placare feras; mansuescunt corda luporum,
atque avidis teneros non laedunt morsibus agnos.
hortaturque simul, iubeas properare sequendo
proelia, Romanis confidens prospera rebus.
si venias, lacrimis non desinet ille precando
pro populis armisque tuis castrisque Latinis,
exorans iugiter nostros ut conterat hostes
omnipotens, humiletque tua virtute superbos.
hos ego digressus nimio sudore rebelles
detinui, qui cuncta tibi secreta resolvant
gentis iniqua suae, doceantque ex ordine mentem."
Finierat dictis, quae gesserat, acta tribunus.
at ductor vinctos iamdudum lumine torvo
despiciens iratus ait "qui mentibus ausus?
dicite, furciferi. quae vos sors dira coëgit
hinc Libycos bellis iterum remeare per agros,
et vetitas tentare vias, solitisque rapinis
Poenorum spoliare domos gentesque Latinas?
Carcasan vicisse putat? quem tempore certo
subiiciet post bella deus, vinctumque videbit
plebs Romana suis captivatumque sub armis.
ante tubam, memora, quis mentem terror adegit
insidias vestrosque dolos fraudesque tueri?"
Tunc Nasamon pinnatus ait "me cuncta fateri
iussio dura premit. mortem licet ipsa minentur
verba mihi meritam, narrans tamen omnia dicam.
Carcasan nostris dux est fortissimus armis.
huius in auspicio nostri spes maxima regni est,
et manifesta manet. cecinit sic gentibus Ammon

482 nam *MT* 494 humilesque *T* 502 huc? 506 subicite *T*
509 tuorum *T* 510 sadamon *T*.

fatidicus, nostris donans per proelia Mauris
Byzacii campos, Carcasan ire superbum
per Libycos populos et pacem reddere mundo.
Ammonis his dictis gentes Bellona coëgit
innumeras vestros iterum remeare per agros.
ipseque qui ductor tecum committere pugnam
iam voluit, vertens animos Guenfeius hostis
distulit arma viri mentemque a Marte reflexit,
consilio sed valde gravi. tu quippe fugaces,
quos populos non ira magis, non terror acerbus
hos agitat, victosque pavent. ut vestra fatiget
castra fames, finxere fugam, vobisque labores
arte parant. gentes nostras ne crede fugaces,
si veniat princeps, totumque exhauriat orbem,
secum ad bella movens. nec Maximianus apertas
bis potuit conferre manus, cum sceptra teneret
Romani princeps populi, victorque per omnes
Poenorum gentes bellis transiret acerbis.
at modo, cum donet responsis certior Ammon
prospera bella suis, Languantan cedere signis
aut fugisse putas? velles hoc, ductor acrive:
sed non sic tua fata volent." tunc verba furentis
indignans saevire diu, sic ora resolvit:
"ut magis hos nostros teneatis certius agros."
sic ait, et quinque erectis iubet ordine lignis
stipite suspendi Maurorum colla bicorni.
iussu praecipiti celeres fecere ministri.

LIBER SEPTIMUS.

Postquam consilium ductor cognovit iniquum,
atque omnes patuere doli, gentisque nefandae
persensit crudele nefas, tunc cuncta revolvens
obtutu tacito mentis discurrit acumen

521 que *add. M* 524 tum *M* 525 irre *T* 529 ueniet *MT* 535 signis] suis *T* 536 aut] an *M* *ibid.* vallas *T* 541 Maurorum *M*, morietur *T* 542 iussit *T*.

per partes varias, quae sint peragenda requirens:
vincere quippe gravis melius sapientia gentes
quam virtus armata potest. moderamine iusto
percenset varias, relegens celer ordine, curas,
atque animo per cuncta volat. sic praepes hirundo
inquirens teneras pullis circumvolat escas:
proximior terris virides modo conspicit herbas,
itque reditque locis; ramos nunc arboris altae
explorat, tacitis proscinditque aëra pennis.
tandem consilium pacata mente resedit,
et sociis sic ductor ait. "non viribus audet
Carcasan nostris fretus concurrere telis,
arte sed asper agit, Latias vexare cohortes
et fugiente parans. fugiat licet improbus astu,
non tamen effugiet: tanta superabitur arte.
castra locanda mihi mediis Vincensibus arvis,
quae modo raptor habet. si fors committere pugnam
ausus erit mecum, planis fundetur in arvis:
nam melius miles campis concurret apertis,
liber equo, pilo feriens vel arundinis ictu.
sin fugitiva locis gens impia texerit illis
litora praecipiens, nullasque exire iubemus
impensas terris. perient nihilominus hostes,
nec poterunt sufferre diu, gentesque nefandas
concutiens obscena fames sine Marte necabit.
at nos aequor alit, venalia tempore certo
cuncta ferens, Cereremque simul Bacchumque ministrat.
castra movete, viri, cunctisque incedite signis."
Vix ea fatus erat: campos contexerat omnes
altus eques lentusque pedes; rumpuntque per agros
agmina densa virum, fremitusque incessit equorum.
Senserat hoc cautis Carcasan monitus alis
Antalasque ferox. subito crepitante tumultu
castra movent: timidi planis consistere campis
deseruere locos, fossasque in montibus altis

10 pulsis *T* 12 idque redit *T* 13 que *add. M* 21 sors *T* 23 concurrere *T* 25 cyerit *T* 30 ienalia *T* 36 cautus Carcasan montibus altis *M*.

constituere metu et celsis vinxere camelis.
litora Romanus densis exercitus armis
occupat, et latos implent tentoria campos,
Massylique duces medios posuere Latinos.
hinc atque hinc cunctos cannas fixere per agros,
atque omnis tenuere vias. tunc litore ab omni
contrahit ipse rates, portuque stare Larisco
iussit; et impensis socios gentesque levavit
dispensans per castra pater numerosque Iohannes.
  Dum trahit ille dies digna fortissimus arte
et gentes cruciare parat, consurgit oborta
seditio, populosque furor per castra Latinos
insanis urget stimulis. iam murmure crebro
exacuunt dubias contra sua pectora mentes,
pro dolor! armatas revocant in viscera dextras
quisque sibi, propriisque parant cervicibus enses.
quis furor ille fuit, quo sic exarserat omnis
funditus ipse suas Latiaris perdere miles
tunc acies? mentes miseras sors saeva trahebat.
non metuis, Romane, ducem? tot bella, tot hostes,
quos circumfusos certum est patuisse, caveto.
en Libyam per bella paras cum gentibus una
vertere, et infensis miseram petis, improbe, telis.
heu, pietas! ubi sancta fides? fors saeva laborat
de manibus partos populis auferre triumphos.
  Coeperat obliquo ductorem lumine miles
respiciens iam dura loqui sociumque quietos
exagitare animos auresque implere susurro.
nec iam odiis posuere modum, sed voce nefanda
impia verba ferunt. silvam velut ignis adurit
appositus, primaeque movent incendia flammae,
cum tenuis scintilla leves succendere frondes
incipit, aut fragiles crepitant cum fomite culmi.
fumum atrum primum parvamque exire favillam
saepe vides: mox se vacuas Vulcanus ad auras

40 iunxere *MT*   46 portusque intrare Lariscos *M*   48 dispensant *T*, dispensat *M*   50 aborta *T*   66 quod *T*   60 potuisse *T*   73 furam *T*, funeream *M*.

erigit, et densos edunt mala flamina colles,
sic captas mentes paulatim acuere furore,
sic rupere minas. "quonam, miseranda iuventus,
hunc sequeris per bella ducem? quo fessa trahuntur
agmina? qua rursus miseris mors saeva paratur?
heu, viles animas vario de semine fundit,
et merces non ulla datur! nos Marte cruento
mortibus affecit: Romanus sanguis arenas
proluit, et misto nigrescunt aequora tabo.
nos sitis atque fames, flammis nos Africus ussit;
et meritus non ullus honor. concurrite, cives.
saxa, faces, gladios, quotquot furor arma ministrat,
diripite: infando careat pars nostra labore,
morte ducis meriti." diro sic castra tumultu
exagitata fremunt, atque impia murmura crescunt.
contrahitur furibunda manus; coetuque coacto
exacuunt dubias fervoribus iras,
decernuntque nefas. clamor tentoria miscet
horrificus, saevis resonat clangoribus aether,
non aliter dubiis quam ferret proelia fessis
omnia conturbans Nasamon. ductoris ut aures
contigit ille sonus, "quisnam crepitante tumultu
exagitat mea castra furor? perquirite," dixit,
"et celerem removete gradum." dux Tarasis ante
egreditur trepidus rerum condiscere causas.
ut strepitus sensit dubios murmurque virorum,
accessit placidis populos sedare loquelis.
nec ducis hos facies nec verba precantia flectunt
nec Romanus honos: animis reverentia cessit.
ausi quin etiam lapides tentare minaces.
urgebat sors saeva viros fatumque futura
morte premens, miserosque dies suprema trahebat.
vertitur ad dubium pedibus celer inde magistrum
nuntius, et saevas insani militis iras

76 coepit *MT.* an caecas? *ibid.* accendere feruor *M* 79 quo *apud M* 86 qu cquid furor ira ministrat *T* 87 diripe: et *MT* 88 merita *M* 91 *post* dubias *M add.* mediis. 98 tarseuis *T* 106 marte *T.*

exarsisse ferens bellum civile repente
ortum ait. infremuit ductor, telumque verendus
corripuit, fossasque furens et castra reliquit,
egrediens virtute sua; comitesque secuti
atque duces et fida manus. tunc aggere celso
constitit, atque gravi populos sic voce furentes
admonuit metuenda. "ferum me nempe putabas,
miles, acerba furens? si fas civilibus armis
iusque datum est ensum, propera; si bella vetari
me pereunte putas; si mortis causa Iohannes
civibus. haecne fides? si sic Romana recessit
ex animis pietas, certe iam gentibus istis
bella geram. noster fortis semperque fidelis
Cusina rebus erit, gentes comitesque ducesque.
vos ignava manus nostris discedite castris.
vadite. iam veniat commotis Cusina cannis;
noster Ifisdaias propriis cum gentibus assit,
Bezinaque et velox acies famulantis Iaudae."
Vix ea fatus erat: densis Maurusia signis
agmina per latos ruperunt undique campos,
auxilio ventura ducis. tunc saevior arma
corripuit Romana manus, fossasque per omnes
ferrati micuere viri; nec torpor acerbas
percussit mentes, aut densus terruit hostis.
hos tamen aspectus proprii terrorque magistri
atque monens placido sapiens Recinarius ore
coeperat attonita restinguere mente furores.
deposuere minas: tristis discedit Erinys.
paenituit furuisse viros: summittere colla
nunc humili cum voce volunt, non gentibus acti
sed rerum memores. movit pietasque fidesque,
principis atque metus, gravitas virtusque magistri;
et placidis revocans Recinarius agmina verbis
praecipit alternas acies astare parumper,
pace sub ancipiti mandatque haec verba Latinis.
"cernite quot gentes rerum pia iussa sequantur;

112 cominusque *T* 118 martis *T* 121 nostris *M* 126 uczinaque *T* 127 densi *T* 135 restringere *T*.

et pudeat voluisse nefas. sin forte paratis
aspera bella sequi mentemque implere malignam,
dicite. cognoscam quaenam suprema voluntas
vestra manet. socios salvem, perdamne rebelles?"
nec minus, ut Caesar medio impendente tumultu
Romanos potuit verbis terrere superbis,
erubuit stupefacta phalanx, humilisque magistrum
sic pia voce rogat. "paucos furor impius egit
hoc sceleris tentare genus; quos iusta nocentes
ultio rite manet. sontes sua poena sequatur:
nos humiles ductoris heri praecepta sequemur."
has inter voces auctores criminis insons
turba trahit, vinctosque duci pro crimine tanto
tradidit, et culpam devota mente piavit.
facta quies populis: sceleris vindicta nefandi
composuit mentes. ductoris maior in omnes
fit gentes terror, quando cum milite laetus
ingreditur fossas. devota mente fatentur
nunc hilares socii dictis parere iubentis.
Ilicet inde iubet rauco stridentia cantu
aera ciere acies. commotis litora signis
deserit, et campis posuit sua castra Catonis.
Syrticus at raptor munitis tuta tenebat
castra locis. sed dura fames iam coeperat omne
Marmaridum turbare genus. pecuaria tantum
sunt epulis: nam nulla Ceres. cognovit ut ingens
Romani ductor populi, concludere gentes
obsidione parans, certis tunc signa diebus
abstinuit silvisque acies exclusit iniquis.
iamque dies alterque dies dilatus ab armis
arte ducis. gentes dubias se credere campis
efficit ipsa quies. certum putat esse pavorem
infelix Nasamon: in planis ponere terris
castra soluta iubet. nimium iam morte propinqua
audaces animos et saevas sumpserat iras.
Convocat, e mediis deducens agmina fossis,

161 hc gentes terror sed acon milite *T* 164 stridente *T*.

consilium ductor: stetit aggere celsior ipse.
tunc laeti venere duces fortesque tribuni,
atque suo veniens condensus in agmine miles
per numeros turmasque ruit; rebusque fidelis
contrahitur Massyla manus sic mista Latinis,
ceu Romana ferox. cunctos amor ipse magistri
terribilisque metus campis occurrere iussit.
unanimes habitus gentes discernit utrasque.
his tunicas ferrum, his, nudis de more lacertis,
purpura picta dabat, vario permista colore.
hos clipeus, hos cetra tegit. stat casside celsus
miles et implicitae Maurus velamine pallae:
ast alius longos removens a fronte capillos,
missilibus nixus geminis et poplite flexo,
aut dura solidam defigens cuspide terram.
quos ductor medius dictis affatur amicis.
"Romani comites, fessae spes unica terrae,
certa salus Libyae vestris nunc pendet in armis.
iam bellum finire decet durosque labores.
pugnandum est." gavisae acies gentesque Latinae
signa movent. vox una fremit, populique ducesque
Massylaeque manus magno cecinere fragore.
promittunt animos, curritque per agmina laetus
murmure cuncta sonus. non sic agitata resultant
aequora venturis longe signantia ventis.
Sensit ut egregius populorum vota Iohannes,
consilio meliore docet, quae prima salutis
causa fuit, rebusque data est victoria summis.
ut fremitus pressit dextraque silentia iussit,
attoniti siluere viri, faciemque loquentis
suspiciunt: animi iussis auresque parantur.
affatur socios clara sic voce magister.
"nec, socii, transacta dies nec crastina pugnae
apta datur, dominoque sacrata per orbem est.
quare agite, o proceres, Christo famulemur ovantes.
praesidium lacrimis humiles oremus ab illo,

184 turbasque *apud M*: *cf.* 5 483. 191 sceptra *T* 214 *post* datur *decet* durae *vel*, *quod malim*, pia enim.

et veniet, confido, citum; gentesque malignas
confringet virtute deus, nostrosque labores
respiciet, nostrisque dabit nova gaudia rebus.
ast ubi perfectis caelestia munera sacris
obtulerit domino venerandus rite sacerdos,
votaque Romanus persolverit ordine miles,
ponemus mensas. neu longe pascite campis
quadrupedes, epulis quoniam de more receptis
castra movere placet, non tristia mittere bella,
sed tantum properare locis ut luce sequenti,
mox primo mundum consurgens margine Phoebus
flammivomis continget equis, committere pugnam
viciniis liceat ferventi caede Latinis.
nec longum quassabit iter, sonipesque pedesque
fortis erit, gentesque feras virtute necabit."
assurgunt clamore viri, plauduntque faventque
exsultantque animis. redeunt in castra cohortes.
  Nec minus et Nasamon diversa in parte rebellis,
consilium infandi faciens pro tempore belli,
impia cognatae contraxerat agmina turbae,
atque alias Libyam bellis quas scindere gentes
compulerat praedonis amor sortisque nefandae
extremo iam Marte dies. Guenfeius una,
aspera bella ciens, animo consulta revolvit,
impatiens differre diu. tamen ordine primus
Carcasan sic orsus ait. "vicina Iohannis
castra premunt, et saeva fames iam comprimit omnes.
gentibus una salus, celerem committere pugnam,
dum solidae vires membrorum robore constant.
nam pecudum spes sola epulis et lymphiger amnis
sustentat suprema viros. iam farris ab omni
defecit Nasamone genus. memorare Lyaeum
non opus est: iuvat unda fluens. si vincimus hostes,
omnia Maurus habet, prostrato milite castra
diripiens tot plena bonis. immota manebunt
securo responsa mihi, quae corniger Ammon

223 neu] nae *apud M* 227 mox] cum? 229 laturis *MT* 235 nephandi *T* 239 extrema iam morte *MT* 247 uiris *M.*

sorte dedit; Latias bello superare catervas."
"Crastina festa dies populo peragenda Latino est,"
excipit Autiliten. "Romanus proelia miles
nulla pavet solitus sacris. tunc arma movere
nostra iube. incomptos subito rumpamus in hostes,
dum medio calet hora die, dum cuncta sub umbris
corpora fessa iacent, nimio lassata calore.
praeterea geminas tantum rescindere fossas
est virtutis opus. duri primum ipsa Iohannis
castra time, densasque simul fortesque cohortes
audacesque duces collectis elige signis;
et Latias sic posce manus. ibi sanguine multo
certandum est. reliquas acies, qua castra nefandus
Cusina ductor habet, condensas Guarsana ducat.
hic quoque certa manus Romani militis ardet.
est etiam dux ipse ferox, disperdere gentes
Romana pro parte parans, dum plaudit honorum
inflatus titulis, dum dicitur esse magister,
dum consanguineus genitus de matre Latina.
hac sibi laude placens fortis fidusque videri
vult inimicus atrox. alios nec nominet hostes
his victis Nasamon: cuncti tua castra sequentur.
sic dabitur nostris fortis victoria signis."
consilio assensere viri, gentesque nefandae
infremuere animis, acuuntque in proelia mentes.
Condidit unda diem Oceano: nox atra secuta est.
tunc Phoebus disiunxit equos, tunc Cynthia iunxit,
dum renovat nostras vires. haec surgit ab undis,
mergitur alter aquis. placidam per membra quietem
accipit omne genus; dulcique impressa sopore
cetera per campos fessis animalia membris
somnus habebat iners, pecudes variasque volucres
horribilesque feras gelidosque in litore pisces,
cum vigil insomnem, flagrans iam Marte, Iohannes
ducebat noctem, cautoque in pectore sollers
volvebat magnas, dispensans ordine, curas.

256 solitis? 259 laxata? 265 quo *apud M* 269 plaudet *apud M* 280 surget *T.*

quem iuxta sapiens Recinarius horrida bella
pectore pensabat placido, sensuque sagaci
percurrens varios relegebat in ordine casus.
alternis animos relevabant vocibus ambo,
mutuaque ex oculis arcebat fabula somnos.
o quotiens abiere pares, dominumque potentem
pro rerum, populi, Libyae propriaque salute
cum lacrimis petiere diu! nec fundit inanes
tristis uterque preces. orantes vidit ab alta
sede pater, terrarum orbem qui fulmine terret;
et finem imposuit tanto post bella labori.
Marmaridum interea nocturnis dedita sacris
castra fremunt, statuuntque aras, et iuania poscunt
numina. producunt pecudes altaria circum,
et fundunt miserum rivis per prata cruorem.
hi mactant Gurzil, illi tibi, corniger Ammon;
igniferique colunt quae Mazax numina Martis
accipit, atque deum belli putat esse potentem;
Mastiman alii: Maurorum hoc nomine gentes
Taenarium dixere Iovem, cui sanguine multo
humani generis mactatur victima pesti.
pro scelus infaustum! gemitus miserabilis, auras
undique concutiens, clamoribus aethera pulsat.
imprimit hic ferrum iugulis, et vocibus ipsum
numen agit, dubiasque vocans exire per umbras
solis iter tentare iubet. tunc more profano
diripiunt pecudum fibras et fata requirunt.
presserat ista deus, surdumque ad carmina numen
omne fuit: nulli retulit responsa sacerdos.
Phoebus, ab interni resplendens margine caeli,
Oceani rumpebat aquas, meliorque resurgens
lumine fulgentes radios tendebat in orbem,
felici nascente die; iamque ordine certo
Christicolae veniunt populi, Romana iuventus
magnanimique duces, signis comitantibus una.

291 varias *T* 304 hic *T* *ibid.* illi] miti *MT* 305 hignifero *T* 306 deum] domini *T* 310 geminis *T* 313 nomen *T* 316 que *dd. M.*

dux ubi distensis habuit tentoria velis,
visus cum primis media inter castra Iohannes.
hic magnum statuit velans altare sacerdos,
et solito sacris circumdedit undique peplis,
more patrum; instituuntque choros et dulcia psallunt
carmina deflentes humili cum voce magistri.
ast ubi sacrati tetigit dux limina templi
ingrediens, gemitus populi rupere dolentes.
lumina confundunt lacrimis: vox undique caelos
pulsat, et infensis tot conscia pectora pugnis
percutiunt. "delicta patrum dimitte, rogamus,
nostraque, Christe" gemunt, et tensis aethera palmis
suspiciunt, dominique sibi solatia poscunt.
ipse inter primos, genibusque et corpore flexo,
pro populo exorans motus pietate Iohannes
ex oculis lacrimas fundebat fluminis instar,
percutiensque suum geminato verbere pectus
talia voce rogat. "mundi sator, unica rerum
vita salusque, deus, terrae maris aetheris auctor
omnipotens, caelum et terram virtutibus implens
undivagumque salum, vel quicquid cingitur orbe,
aëraque et tetrum populi pallentis Avernum,
imperium tu solus habes; tibi summa potestas
et laus et regnum magnaeque potentia dextrae.
respice iam tandem Romanos, respice, summe,
atque pius succurre, pater; gentesque superbas
frange, precor, virtute tua; dominumque potentem
te solum agnoscant populi, dum conteris hostes
et salvas per bella tuos. nunc sculptile damnat
omne genus, verumque deum te, magne, fatemur."
haec memorans terras oculorum fonte rigabat,
compulsus pietate pater, Libyaeque periclum
mente dolens rerumque graves populique labores.
nec minus humectans iuxta Recinarius ora
luminibus fundebat aquas, supplexque Latinis
auxilium populis vultu maerente rogabat;

325 uisa *T* 327 solite? 336 suscipiunt *T* 357 humettatis *T*, humectis *M* *ibid.* orans *M*.

magnanimique duces humecto pectore fletus
ad caelum misere suos, fortesque tribuni,
atque omnes pariter lacrimosa voce cohortes
ante deum fudere preces. summusque sacerdos
munera pro populis, onerans altare, Latinis
obtulit, atque aras lacrimarum fonte rigavit.
tunc precibus placidis patrem benedixit honorans,
et solitas reddens Christo dedit ordine laudes.
munus erat summi domino acceptabile caeli,
sanctificans mundansque simul genus omne Latinum.
adiungens ducibus "fortis Putzintule" dixit,
"cum numeris signisque tuis, qua Cusina fidus
signa tenet, propera. pariter tu, Geisirich ingens,
iunge viro socios: dignum relevare fideles.
at tu, Gontractis, iuvenum modos induitis armis,
fortis Ifisdaias ubi gentem et signa locarit,
Romanas coniunge acies. tibi proximus ille
Fronimuth acer erit, numerosque et signa iuvabit."
imperat ille viris: et iam, sua quisque secutus
signa, per extensos acies construxerat agros
miles, et hostiles properabant undique turmae.
primaque Marmaridum clipeatis agmina campis
cum magno clamore ruunt, hastasque reductis
mittere tentantes vibrant in bella lacertis.
Zaboas hinc, hinc Bruten erat; quos deinde secuti
mille duces. celsum subtexens lancea caelum
densa volat: clipeis venientia vulnera vitant.
militis ora gemunt inter tot tela furentum.
Romano nullum maculatum est sanguine ferrum.
Primus init Martem fortissimus ipse Iohannes,
hastam concutiens; mediosque irrumpit in hostes,
et ferit adversi conto cava pectora Sasfi.
ille cadit revolutus equo, fluviumque cruoris
dat specus irruptum, siccasque infundit arenas.
protinus Ifnaten sequitur, quem cuspide longa

370 adiungens] magister *M.* *excidisse videtur versus unus et alter.* 371 quo *apud M* 374 modo ductus in *M* 375 gentes et *T*, gentis *M.*

aversum post terga ferit, qua spina sedentis
colligat incurvas nodorum robore costas.
ossibus haerentem recipit dum fervidus hastam
luctaturque diu, dolens venit ecce superbus
Myrmidonis, tremulumque intentat mittere telum.
ille tamen rapiens morientis missile torsit,
connixus virtute sua; mediumque per hostem
transadigit, tetigitque novo praecordia ligno.
arduus ingenti tamen illum perculit hasta,
et deiecit equo. Narti rapit ense sinistram
cum clipeo, iugulumque premit. mucrone Sumasci
colla secat, pilo transverberat ilia Palmi.
per faciem Calamena ferit, naresque genasque
dentibus infractis ferro rapit: horrida quassant
membra solum, et vasta gemuerunt arva ruina.
nec procul adversum pilo ferit obvius Ancum,
et calido figit Manti mox pectora ferro;
Mastumoque latus transversam compulit hastam
per geminum, virtute fremens; Salpinque supinum
sternit humi conto: morientem desuper hostem
percutit acer equo. nigro de corpore sanguis
emicat alta petens calidasque irrorat arenas.
ocius Autiseran sequitur, quem cuspide fixum
impellens deiecit humi; Caggunque Taninque
Altifatanque necat, pectusque impressit Anesti.
mucrone Autufyden iugulat, piloque superbum
conserit Ontisiren. Canapi caput ense rotavit,
et rigido Tubian stravit per gramina ferro.
compulsa it post terga acies Nasamonis iniqui.
has sequitur Romanus eques fortesque tribuni
armigerique duces. medius volat ipse magister.
invadunt turbantque viri fugitiva per agros
agmina Marmaridum: mactant sternuntque premuntque.
  Hinc redit expulsus Nasamon; atque agmine facto,
Cusina qua proprias permisto milite turmas

395 adversum *MT* 398 dolens] uiuens *M* 403 eum proculit *T*
406 fileti *T*, tereti *M*: cf. 420. 412 transuersa *T* *ibid.* asta *T*
417 ocitius *T* 423 compulsit *apud M* 424 *quidni* hanc?

signaque fida gerit, cuneum facit. obvius ille
ire parans dictis iuvenes affatur amicis.
"Romani comites et gens o nostra fidelis,
nunc fortes monstrate animos viresque fidemque.
Languantan sufferte minas; nec terreat hostis
vos veniens. iam victor adest et cuncta Iohannes
signa movens Romana simul. vos ite per hostes.
cum veniet, laudet fortes rebusque fideles.
nota viri virtus: oculis placuisse magistri
laus vobis o quanta, viri!" sic Cusina, mentes
incendens dubias, socios ad bella coëgit
irarumque simul per cunctos semina fudit.
moti animi pro laude viris. fortissima campis
irrupit Romana manus mistusque Latinis
Maurus eques; densosque volat dux ipse per hostes,
militibus medius fervens; fortesque tribuni
arma Latina ferunt: Nasamonum morte catervas
excipiunt, hastasque parant, et spicula tendunt.
aspera tunc primis miscentur proelia turmis.
it clamor caelo, iubilis simul aethera complet.
obscurans cum sole diem subtexitur aër
missilibus densis, nervoque volatile ferrum
spargitur, et crebris discurrit lancea nimbis.
corpora pars, pars arva capit; feriuntque caduntque
hinc atque hinc gentes. magna virtute premebant
Marmarides: sed spes venientis fida màgistri
sola ducem comitesque simul populosque levavit.
    Ductor ut agnovit fama volitante Iohannes
Cusina quod fidus camporum in parte prematur
Marte gravi, validoque armorum pondere nutet,
talibus ipse suos verbis accendit in hostes.
"Romanum imperium, gentes quascumque fideles
subiectasque videt, cives putat esse Latinos.
hac pietate placens totum sibi subdidit orbem,
dum relevat virtute humiles humilatque rebelles.
Cusina bella gerit, nostris fidissimus armis,

433 fidem *T*, secundas *M*   437 dum *apud M*   442 uiri *M*
446 Marte?   449 semel *T*   453 an arma? *M*.

Marte sub ancipiti; quem si non laeserit hostis,
nomen erit nostrae mansurum in saecula famae.
cernatur Romana fides virtusque laborque.
eia agite, o iuvenes, tanto in discrimine Martis
auxilio relevate virum, gentesque superbas
deiicite, et vestros, socii, salvate clientes."
Sic ait; et motis ruperunt agmina signis.
terga dabat iam fida manus Maurusia campis,
Languantan iam victor erat. Putzintulus una
Cusinaque et victis cedebat Geisirich armis.
respiciunt subito venientis signa Iohannis,
percipiuntque animos, et mollia colla retorquent
alipedum celeres: pugnam virtute reposcunt.
Acer in adversos fervens Putzintulus hostes
ante volat, rupitque prior. tunc sternit Imastan
vulnere confossum valido, fortemque Nifaten
ense ferit, nigrique secat fera colla Mamonis.
dividit adversi ferro caput obvius Irti,
sanguis et immisto perfundit membra cerebro.
proximus infensi veniens per guttur Amanti
transadigit validum letali vulnere telum:
vocis iter clausit; fluitans cruor inde per ora
per geminumque micat subducta cuspide vulnus.
hunc procul ardentem media inter tela suorum
Ifuracum videre duces: tunc agmine facto
aversum pariter ferrum tot milia torquent
quisque suum. clipeo venientes suscipit hastas.
vulnera nulla pavens loricam tempserat ille,
confisus virtute sua. dum lancea circum
densa volat, dirum sentit sub pectore ferrum
dux heu magnanimus, nec fractus vulnere tanto
sic socios hortatur ovans. "victoria, cives,
vestra manet. pugnate, viri, gentesque nefandas
inferiis mandate meis. si vincitis hostes
dum video, dum vivo, magis gaudensque per umbras
Languantan gentes propriis aptabo triumphis.

499 sic *apud M.*

at vos incolumes uno minus ardua celsis
excipiet portis summo Carthago triumpho."
talia dicentem comites iam vulnere fessum
suscipiunt, hilaremque animis in castra reponunt.
hic socius Deciis infernas ibat ad umbras,
felix morte sua. nomen post bella beatum
semper erit, semperque manet memorabile caelo,
dum fera bella legent aevo veniente minores.
At Romana manus iussu ducis, horrida turbans
agmina, per cunctos fertur, cornuque reflexo
stridula raucisonis compellit spicula nervis,
condensos veluti fundunt causa nubila nimbos
grandinis et latos distringunt culta per agros:
sternitur alta seges, viridis nec pampinus uvas
vindicat ipse suas, arbor nec densior ulla
defendit teneros foliorum tegmine ramos.
horrida tum nervis volitans pulsatur arundo,
vulnera certa ferens: nullum sine sanguine telum
corruit, aut campo volucres cecidere sagittae.
nunc fortis sonipes, densus nunc sternitur hostis.
omne rubet tepidum Massylo sanguine ferrum.
succedit pilata manus, cunctosque per agros
corpora felici sternebant caede tribuni.
militis arma calent: nullum est sine sanguine Mauro
Romani ferrum populi. dolor excitat iras.
quis tot acerba ducum dederant quae funera campis,
quis varias mortes aut dictis explicet hostes
prostratos captosque ferens, quosque ipse magister
deiecit virtute viros? sine nomine plebes
Marmaridae periere simul: sed carmine paucos
e multis signabo meo, quos fama priores
attulit ad cautas volitans ex hostibus aures.
Armipotens, hostes cernens obstare, Iohannes
irruit in densas acies, turmasque rebelles
letifero mucrone secat, ceu messor acuta
falce metit segetes, maturo tempore sollers;

508 manens *M* *ibid.* celum *T* 513 nebula *T* 525 mauri *T*
529 feros *M* 532 et *T*.

et modo cum teneris culmos compressat aristis
laeva manus, nunc dextra secat, nunc fune tenaci
colligat innumeros gaudens per rura maniplos.
Syrticus Altilimas ductoris vulnere victus
corruit, exsecto fusus per gramina collo.
tunc Alacanza ruit magnum pinnatus in hostem
missile vibrato, conturbans calce frequenti
celsum cornipedem: sed nil conterritus ille
amputat ense caput. truncum videre cadentem
lumina fessa suum: morientis lingua loquelam
rumpere non potuit, sonuit tamen. inde furentem
deiicit Esputredan, Tamatoniumque Iugurtham
congressus virtute premit, Tursumque trucidat.
Audilimanis equum retro ferit: horrida nervos
ossaque dura pedum secuerunt vulnera ferri.
volvitur in tergum sonipes, nec corpore toto:
nam celsos nondum terrae submiserat armos.
fortis adhuc rectaque ferus cervice laborat:
surgere pertentans dominum deturbat arenae.
vulnera congeminans victor per membra Iohannes
venit in obnixum stricto mucrone verendus,
en tumidum! frontemque quatit; tunc aspera ferrum
sanguine confuso commiscuit ossa cerebro.
hastam deinde tenens campo volat: horrida Flacci
perfodit hic minitans transacto pectora pilo
tergaque dura viri. sanguis per vulnus utrumque
emicat, et calidae perfundit gramina terrae.
celsior adversi conto fodit ardua membra
Cernisati, trepidique celer praecordia Derci.
tunc mucrone latus Gracchi ferit, inde Minisae
colla metit, saevumque secat per timpora Cutin.
viventem Camalum pressit: rapit ipse capillis
captivumque trahit, propriis quem deinde ministris
tradidit, atque alias sequitur per devia turmas.
Labbas infenso torquens hastile lacerto,
nisus magnanimum telo tentare magistrum:

549 Esputerdan *apud M* 562 pectore *MT* 565 fudit *T*, ferit *M*
567 Grachi *apud M* 568 metit *M*, mouet *T* 571 tradit *T*.

sed postquam vires veniens persensit iniquas,
infelix veniam submissa voce rogabat.
"ossa per Evantis digno bene compta sepulcro,
quae talem genuere virum; per maxima Petri
facta futura tui, cuius iam fama per hostes
tanta volat gentesque feras et regna fatigat,
perque tuae virtutis opus, quo victus Ilasguas,
huic animae concede, precor, post crimina vitam,
meque tuis, victor, serva post bella triumphis:
nam tali servire iuvat." qua voce reflexus
vulnera continuit: velox tamen illigat ambos
post tergum implicitos mordaci fune lacertos.
Mitis in immitem Recinarius irruit Urtanc,
perque viri pectus rigidam celer impulit hastam.
corruit ante pedes, belli pars magna nefandi,
magnanimus iuvenis, nunquam placabilis Urtanc,
atque solum diro foedavit sanguine. Meilan
deinde petit , valida quem cuspide victor
deiicit impulsum tepidaeque infigit arenae.
fulmineo caput ense metens detruncat Alantas,
et nigrum Sacoma ferit per prata cadentem.
horruit acer equus, mollemque obtrivit arenam,
vincula pressa vetant, voluitque in terga redire:
sed levis excusso Recinarius alta flagello
ilia concutiens latis pavidum impulit ire
cornipedem campis. at postquam corpus ademptum
transiit impulsus sonipes, tunc Marte secundo
funera convolvens et telis Syrtica miscens
agmina per latos volitabat fervidus agros.
tunc celerem prosternit Afun fortemque Nicandrum,
asperaque infixo geminavit vulnera Sucro.
inde necat Tanadum, fortemque sternit Erancum.
ense ferit Tinudum, piloque infigit Enipten.
Bulmitzis Tumudan conto premit, inde Licurdan
fortis agit campis: telum per terga rebellis
per fibras pariter discurrens pectora rupit.

596 *metu noluntque T* 599 *ut MT* 605 *insternit M.*

celsus equo fidens fertur super agmina Succur:
hunc Sulumur sequitur, quem cum non prendere posset,
fraxineam torquens per campos eminus hastam
alipedis valido transverberat ilia ferro;
vulnere quo victus sonipes gravitate ruinae
confregit dominum. belli sine vulnere Succur
infelicem animam Stygias transmisit ad umbras.
non illum salvavit equus levitate per hostes,
quo sibi fisus erat, nec fractum conscia virtus
eripuit fatis aut sacro numine Gurzil.
Armiger ense caput ductoris nomine Varti
amputat ex humeris, Plulinaeque Astit, Enerdi
Mee, Tiluzant Dorotis ferro necat
exsecuit
cornipedem Anzatal tum currens Fastita fixit
missile contorto. fugit illico mille per hostes,
permixtusque suis
Carcasan, tanta concussus caede suorum,
per medios hostes ductoris signa retorsit,
milia multa trahens. venientem vidit
heros magnanimus, felicia tela Iohannes
armigeri rapit ipse manu, piloque superbus
irruit, adversumque petit per vulnera
et ferit intrepidus. sanguis per tela cucurrit
vulnere summa fluens, vestesque aspergit heriles.
extemplo turbatae acies pereunte tyranno
Marmaridae petiere fugam. iam nullus in hostem
contorsit telum, sed laxis fertur habenis
currere compulsus sonipes. nec fidere castris
iam potuit Nasamon: latos moriturus in agros
currit eques mixtusque pedes. Romana sequuntur
signa ducesque simul, numeri fortesque tribuni;
et laetus pariter felici Marte Iohannes
ante volat, densas sternens per prata catervas.
planus erat campus, liber quo currere posset
miles et infensas telis effundere turmas.

611 dum *apud M* 622 dorozis. 632 *post* vulnera *M* pectus.
640 Romanus equester *apud M.*

invadunt mactantque viri gentilia passim
corpora Marmaridum. poenas dat victus Ilasguas,
ifuracumque acies et mixtö Frexes
dant animas gladiis. Romani militis ira
ey
p
l
oondun
per ramosque sedent. ibi fervidus in
ceu venator, aves visco qui fallit et arte.
sanguinis ex omni fluitantes arbore rivi

654 in] instat *M.*

FLAVII CRESCONII CORIPPI
AFRICANI GRAMMATICI
DE LAUDIBUS
IUSTINI AUGUSTI MINORIS
LIBRI QUATTUOR.

PRAEFATIO.

deus omnia regna
sub pedibus dedit esse tuis, regesque superbos
subdidit, hostilesque manus decrescere fecit.
illa colubrimodis Avarum gens dira capillis,
horribilis visu crudisque asperrima bellis,
imperio subiecta tuo, servire parata,
in media supplex defusis crinibus aula
exorat pacem, nec fidere milibus audet
tot numerosa suis Romana lacessere signa.
quis totiens victos numeret per proelia Francos
edomitosque Getas? captos stratosque tyrannos?
Langobardorum populos Gepidumque feroces,
mutua per latos inter se vulnera campos
miscentes feritate sua, cum milite toto
alternas gentes domini fortuna necaret?
pars inimicorum cecidit tum magna tuorum
perfidia punita sua: nunc Marte peracto
victores victique [tua] famulantur in aula.
solum excellentem conscendere iussit in arcem

te pater omnipotens, summaque in sede locavit.
mater consilii placidis Vigilantia vestris
semper inest oculis, quamque omni pectore gestas,
alma Augusta, tui consors Sapientia regni.
tu quoque, iustitiae nomen de nomine sumens,
frena regendorum retines firmissima regum.
numinibus tribus his regitur quodcunque movetur.
certatim gentes Romana ad foedera currunt:
principe pro iusto Romanum nomen amatur,
subque pio domino cuncti bene vivere quaerunt.
ille etiam, solis qui se subiactat amicum,
ardua suspiciens minuentis cornua lunae,
noctivagosque colens astrorum consulit ignes,
urgetur terrore tuo, properatque superbum
inclinare caput subiectaque ponere colla.
quid Libycas gentes, quid Syrtica proelia dicam
iam libris completa meis? maiora canendi
tempus adest: senio dextram, pie, porrige fesso.
tu mihi materiam dicendi carminis aptam,
ingenium studiumque dabis. cui vincere fas est
indomitas gentes et barbara subdere regna,
vince meae saevam fortunae, deprecor, iram:
vincere fortunam plus est quam vincere bella.
nudatus propriis et vulnera plurima passus
ad medicum veni, precibus pia pectora pulsans,
ad medicum verbo pestem qui summovet uno
et sine composito medicamine vulnera curat.
huic ego sananti, si qua est fiducia servis,
grates semper ago, et pro munere carmina porto.

DEDICATIO.

Immensam silvam laudum, vir iuste, tuarum
aspiciens, celsos nitor contingere ramos
grandiaque a summis decerpere poma racemis:
sed parvus maiora peto, nec prendere possum

mensuram transfusa meam, longeque remota
suspicio mirorque videns, et brachia tendo
ingenii studiique mei. stat fertilis arbor
sacrorum in medio nemorum, pulcherrima visu,
per mundi spatium ramos quae tendit opacos,
fructibus omnigenis etiam sine tempore plena,
et nova maturis admiscens germina pomis;
cuius apex summi contingit sidera caeli,
et radix de fonte bibit, sacrisque fluentis
expandit satiata comas, et nubila supra est.
arboris et fontis, si fas componere magnis
parva datur, iustas videor posuisse figuras:
sin aliter videar, veniam petit, optime quaestor,
simplicitas ignara mali. tu fertilis arbor
Augusto de fonte bibens: fons maximus aulae est
communis benefactor herus, fons omnia ditans,
qui tua per latas eduxit brachia terras
et populos vestra requiescere fecit in umbra.
hoc mihi da de fonte bibam, tu pabula praebens,
fons mihi dulcis aquas. haec inter amoena libenter
nutriar, et vestra satiatus protegar umbra,
summe magistrorum, procerum decus, arbiter orbis,
principis auspicio leges et iura gubernans,
iustitiae vindex, inopum pater, omnia curans
iudiciis relevare piis, quia munera temnis,
spernis avaritiam, fulvum quia respuis aurum,
quaestor Anastasi, quem Christi munere fidum
cognovit princeps geminoque ornavit honore.
felix est totus Iustino principe mundus,
felix haec aetas, in qua Sapientia regnat:
felices populi te iudice, quos facis ipse
sub dominis gaudere piis. generaliter orbi
quanquam provideas, miseri specialiter Afri
in te oculos atque ora ferunt: agit Africa grates,
et vestram iam sentit opem, gaudetque quod ampla
semper Anastasii referunt solatia cives.
me quoque gaudentem, quaestorum maxime, redde,
quod labor indulsit, quod fessis provida Musis

alma per insomnes meruit vigilantia noctes,
hi sacri monstrant apices. lege, summe magister,
et causam defende meam. tibi sanctio vestrum
commendat famulum: vestro de fonte creatur
rivulus iste meus, sub cuius nomine gesto
principis officium. fessae miserere senectae,
vulneribusque meis solita pietate medere,
ut grates tibi laetus agam, sacrosque triumphos
principis invicti felici carmine dicam.

LIBER PRIMUS.

Imperium, culmen rerum, non motibus ullis,
non armis sumptum, non ambitione potitum
auspicio meliore cano. licet omnia nullus
inclita gestorum valeat monumenta piorum
ordinibus numerare suis, tamen utile servis
esse reor mentem dominis aptare fidelem
officio quocunque datur. praecommodo linguam:
vos divae date verba, et quae Vigilantia mater
et quae summa regens Sapientia protegis orbem.
vos mihi pro cunctis dicenda ad carmina Musis
sufficitis; vos quaeque latent arcana monetis,
tuque dei genitrix sanctam mihi porrige dextram
et fer opem, quaeso: magni mihi causa laboris
surgit, et invalidos ad pondera tendo lacertos.
urget amans dominos carmenque impellit adire.
quaestor Anastasius, sancti pars magna senatus,
compositor morum, iuris legumque sacerdos;
et Thomas, Libycae nutantis destina terrae,
qui lapsam statuit, vitae spem reddidit Afris,
pacem composuit, bellum sine milite pressit,
vicit consiliis quos nullus vicerat armis;
nec non magnanimus meritis et nomine Magnus,
mente placens dominis, sacris rationibus aptus,

rectorum Latii discussor providus orbis.
successorque boni redivivaque gloria Petri
hinc Theodorus adest, patria gravitate magister;
hinc secreta sacrae tractans Demetrius aulae.

humentes oculos pressit sopor. haud sine summi
numinis auspicio reor hanc venisse quietem:
signa futurorum sopor ostentare bonorum
venerat ille viro, rerumque arcana docere.
nondum plena quies victos laxaverat artus,
cum virgo superas caeli demissa per auras,
aspectu clemens et gressu laeta pudico,
purpureas velata comas oculisque benigna,
quantum signa dabant, sacrae pietatis imago,
divinos stetit ante pedes, dextraque coronam
imposuit, sanctoque caput diademate cinxit;
Augustoque virum circumdans mitis amictu,
"te decet hic habitus, regnantum maxime," dixit,
"terribilis princeps et amabilis, omnibus idem,
a magno dilecte deo, divalis origo,
en ego laeta tuis occurro prima secundis,
gestorumque tibi felix praenuntia veni.
sustulit haec nox alma patrem, fortissime. surge.
te exspectat, Iustine, dies: tu proximus heres.
te pater omnipotens divino ornavit honore,
te dominum sacrae firmavit avunculus aulae.
quid fundis lacrimas? rerum quid gaudia defles?
proiice tristitiam: vivit pater, aethere vivit,
et fruitur meliore die. succede labori,
atque regendarum curas nunc suscipe rerum.
est virtus roburque tibi, praestantior aetas,
prudens consilium, stabilis mens, sancta voluntas,
et rerum custos vigilantia, dignaque caelo
vestra gubernatrix lati sapientia mundi.
haec ne vana putes aut credas omnia fingi,
accelera. manifesta loquor: tibi serviet orbis,
fortia virtutum miratus facta tuarum.

52 curas] sudores codex.

quisquis erit vestrae, per se cadet, invidus aulae,
afficietque viros legum pius ensis iniquos.
barbara Romanos augebunt bella triumphos,
regnaque sub vestris venient fortissima plantis.
ecce tuae proceres pulsantes limina portae
Iustinum Sophiamque rogant succedere patri."
Dixerat haec virgo, placidus cum lumina somnus
deseruit, purisque volans se miscuit auris.
et iam crebra manus veloci concita pulsu
limina quassabat ductis munita catenis.
ad strepitum custos, cura est cui claustra tueri,
sic ait indignans. "quisnam temerarius hic est
qui placidos audet dominorum rumpere somnos,
tempore quo dulcem nox intempesta quietem
ingerit et membro sopor est gratissimus omni?"
"si te fida manet dominorum cura tuorum,
surge [agedum]," Calinicus ait. mox agnita vox est:
ante fores dominis Calinicum nuntiat esse.
auspicium felix illo de nomine cepit.
prosperitas ea prima fuit fortunaque rerum
tempora defesso renovans felicia mundo,
quod primum ad limen bona tunc victoria venit,
orbis in Augustam dominos ut duceret aulam.
hoc nomen sors laeta tibi, Calinice, dicavit
pro meritis, vir clare, tuis; factusque minister
tanti consilii, licet haec deus omnia fecit,
tu quoque cum dominis, quoniam sic mente fideli
vixisti vivesque, tuis mercede laborum
aeternam famam laudemque et nomen habebis.
fit iussis mora nulla dei: mox claustra resolvens
ianitor excelsam stridenti cardine portam
imperio reseravit heri. iam visio certum
fecerat illa virum dulcesque a pectore somnos
expulerat, curaeque altae pia corda movebant.
ut latae patuere fores, subit ampla senatus
atria, et aurati subter fastigia tecti
corripuit festinus iter, monstrante ministro.
Est domus interior tectorum in parte superna,

luce sua radians et aperto libera caelo,
conspicuo vitrei splendens fulgore metalli;
dicere si fas est, rutili non indiga solis,
vel solis dicenda domus; gratissima visu
et facie miranda loci. pars prospicit una
immensum pelagus; pars respicit altera portum,
portum quem geminae complexant brachia ripae
moenibus appositis, rapidos contemnere ventos
et faciunt, praebentque salum statione quietum:
aequoreos frangunt obiecto marmore fluctus,
et prohibent refluas angustis faucibus undas.
gratior ille fuit dominis locus, unde solebant
undivagum spectare fretum curvasque carinas
omnia vectantes gemini commercia mundi.
illic e stratis consurgens impiger altis
electus princeps secreta in parte sedebat,
atque ostensa sibi carae referebat amanti.
  Dum loquitur pensatque pia cum coniuge curas,
limina sacra patres deiectis vultibus intrant:
ille habitus casum signis monstravit apertis.
surrexere citi, verbisque in sede relictis
ad medios venere locos. "quid fertis, amici?
cur tristes?" Iustinus ait. "pater inclitus orbis
occidit an vivit?" magno tunc regia fletu
ingemuit. gemitus uno Calinicus ademit
ora premens digito, dextraque silentia fecit.
aggere non aliter cum victo flumen inundans
in latos erumpit agros, si cautior illic
marginibus sparsis erectas colligat undas
agricola, in sese refluus revocabitur amnis,
praecipites frenantur aquae, redit impetus omnis,
et clausi bibula rivi minuuntur arena.
"Romanum imperium, patri dum vita manebat,
vestris consiliis vestrisque laboribus auctum
et plebi notum est et nos cum plebe fatemur,
Augustum, Iustine, genus. te principe dignum,
te dominum sacrae quis non praedixerit aulae,

124 cum] *legebatur* quam.

cum magni regeres divina palatia patris,
par exstans curis, solo diademate dispar?
ordine pro rerum vocitatus Curapalati.
(dispositu nam Caesar eras), cum sceptra teneret
fortis adhuc senior, regni tu summa regebas
consilio moderata gravi. nil ille peregit
te sine, magnanimus seu fortia bella moveret,
foedera seu pacis cum victis victor iniret.
nunc idem genitor laetus plenusque dierum
funere felici caelestia regna petivit,
te successorem statuens sibi. suscipe gaudens:
in tua iura suum transmisit avunculus orbem.
non te cognatum sanctissimus ille putavit,
sed genitum. te iura vocant, te sustinet aula.
tu decus imperii lumen virtusque Latini.
in te nostra salus, in te spes nostra resurgit.
oramus, concede tuis, succede parenti.
rumpe moras, cape dona dei, sceptrisque paternis
utere, et Augustum, quod defuit, accipe nomen."
Talibus orabat sacras vir fidus in aures
hortans et rerum dominis cunctantibus instans;
consensusque sui manifestans vota senatus
creber adorabat dominos, et poplite flexo
plurima divinis supplex dabat oscula plantis,
verbaque narrantis tacite firmabat amici.
ipse autem patris concussus sorte beati
sceptra recusabat lacrimans, largoque rigabat
imbre genas, vultusque viri vestesque madebant:
tantus amor senioris erat. "desistite" dixit:
"duram rem petitis, frustraque instatis, amici.
ergo superposita caput hoc ornabo corona,
quando Iustinum tristem decet esse? per orbem
flere libet: patrem res publica perdidit orbis,
non dominum. quem non hominem pietate benigna
continuit, fovit, monuit, nutrivit, amavit?
et tamen innocuo plures voluere nocere!
non caret invidia regni locus. ibo paternas
tristis in exsequias: regalia signa recuso."

Talia dicentis pedibus prostrata iacensque
omnis turba simul "pius es, miserere" perorat
"supplicibus, vir sancte, tuis: succurre periclis.
omnia mox veniente die periisse videbis,
si vacuam vulgus sine principe senserit aulam.
quantumcunque boni moveat dilectio patris,
non sit amor patriae patrio minor. ipse tenere
sceptra tuus moriens te iussit avunculus ore.
aspice quanta fuit nostrae simul urbis et orbis
provida cura seni. pro te deus omnia fecit
quae fieri voluit. solium conscende paternum,
et rege subiectum, princeps fortissime, mundum.
aurea nascetur vobis regnantibus aetas,
nec mutans dominos Romana videbitur aula."

Vocibus his flexus cessit tandem: itur in arcem
obsequio comitante patrum. gratissima coniux
subsequitur, non tunc solito stipata tumultu.
incedunt media securam nocte per urbem
fronte parum laeti, quamvis gaudente senatu
imperium peterent, quanquam omnia tuta viderent.
divinis animis inerat dolor ille parentis;
ante pios oculos mitis versatur imago.
illa movet mentem, penitusque in pectore utroque
indivisa manens pia numina numine complet.

Limen ut Augustae sacro pede contigit aulae,
omnia gallorum strepuerunt culmina cantu.
exactam noctem primi sensere volucres,
et laetum cecinere diem, alarumque dedere
plausibus assiduis et acuta voce favorem.

Excubiae primum, quae summa palatia servant,
imperium felix dominis intrantibus optant,
et cunctos aditus armato milite vallant,
ne quis in Augustam contrarius audeat aulam
infensum conferre pedem. devotio tanta
atque hominum cautela fuit sollersque bonorum
sollicitudo patrum: nam quis tentaret obesse,
cum deus imperium sancto iam dixerat ore
Iustino Sophiaeque dari, muroque potenti

cinxerat atque armis totam caelestibus aulam?
omnia disponens, munivit providus arcem
Tiberius, domini semper cui maxima cura
utilitatis erat: namque illum maximus orbis
communis benefactor alens et ab ubere matris
suscipiens primis puerum praelegit ab annis,
utque pater genitum nutrivit, fovit, amavit,
paulatimque virum summa in fastigia duxit.
hinc etiam iuvenis tota virtute laborans
pro rerum dominis animam vitamque periclis
non dubitat praebere suam, vigilatque, fidemque
exhibet, et summum meruit dominantis amorem.
hic bene suscepti primordia prospera regni
discreta ratione vocans properare, fideles
urgebat famulos et cuncta parare iubebat.

Aurato interea corpus sublime feretro
impositum, turba famulorum flente, iacebat;
et flentum lacrimis iustus dolor ora rigabat.
arbor uti mediis, avibus gratissima, campis
annis victa cadens antiquum robur opacis
servat adhuc foliis, et corpore fusa supino
languida per latas expandit brachia terras:
at circum querulae volitantque sedentque volucres,
maerentesque dolent sedem cecidisse priorem,
et quaerenda novis arbor placet altera nidis:
sic suprema suae servans insignia vitae
Iustinianus erat, non mutans morte colorem,
sed solito candore nitens. quod vicerit orbem,
mors veneranda viri signis monstravit apertis.
ipse videbatur cunctis plangentibus unus
effigie gaudere pia, diademate comptus
purpureaque in veste iacens, requiescere somno
credere quod possis, non duro funere, corpus.
haud, reor, immerito sic laetus et ore benignus
ille foret moriens, nisi mens sibi conscia recti
in caelum properans securos linqueret artus
et tutum imperium firmato herede locaret.

Huc ubi magnanimus sacra cum coniuge venit,

cara per exanimum circumdans brachia corpus
cum lacrimis Iustinus ait "lux urbis et orbis,
Iustiniane pater, dilectam deseris aulam?
cognatos famulos et tantos linquis alumnos?
contemnis terras? fesso non prospicis orbi?
en Avares Francique truces Gepidesque Getaeque
totque aliae gentes commotis undique signis
bella movent: qua vi tantos superabimus hostes,
cum virtus Romana iacet?" haec patris amore
verba loquebatur lacrimans: nam pectore toto
bellorum iam cura fuit; iam signa ducesque
dispositi, classes, acies, exercitus, arma
consilio moderata novo taciteque parata.
Iustini nutu gentes et regna tremiscunt:
omnia terrificat rigidus vigor. hic pietatem
ostendit natura suam, iustumque dolorem
divinis animis nulli evitabilis auxit
carnis condicio, cunctis mortalibus aequa.
hic pietas laudanda viri est semperque canenda.
dicite, quis hominum lacrimis ita possit amaris
flere senis mortem? regni successor et heres
imperat et dolet: imperium proferre parenti
mallet quam regni solium, quam sceptra tenere.

Nec minus imperii gratum patrem inclita consors
flebat, et humanam sortem pietate dolebat.
exsequiis adicit solito plus dona paternis,
ireque contractas denso iubet agmine turbas.
et tulit intextam pretioso murice vestem,
Iustinianorum series ubi tota laborum
neto auro insignita fuit gemmisque corusca.
illic barbaricas flexa cervice phalanges,
occisos reges subiectasque ordine gentes
pictor acu tenui multa formaverat arte.
fecerat et fulvum distare coloribus aurum,
omnis ut aspiciens ea corpora vera putaret:
effigies auro, sanguis depingitur ostro.
ipsum autem in media victorem pinxerat aula
effera Vandalici calcantem colla tyranni;

plaudentem Libyam, fruges laurumque ferentem.
addidit antiquam tendentem brachia Romam,
exserto et nudam gestantem pectore mammam,
altricem imperii libertatisque parentem.
haec ideo fieri vivax Sapientia iussit,
ornatum ut propriis funus regale triumphis
Augustum in tumulum fatalis duceret hora.
Dum famuli pia iussa parant aptantque feretrum,
vox ingens facta est, plausus et gaudia surgunt,
et fragor ex imis altum petit aethera terris,
almaque discreto placuit concordia vulgo.
laeta per Augustam pennis plaudentibus urbem
fama volans somnum populos inopina gravantem
increpat, impellitque fores, et limina pulsat,
multiplicatque suas felix praenuntia linguas.
somnus ea veniente fugit, secumque cadentem
traxit segnitiem, totaque excessit ab urbe.
imminet illa favens, et crebro pollice pulsat
tardantes populos, et "surgite surgite" clamat,
castigatque moras, et plena palatia narrat
conventu procerum, sorti senioris adempti
delectum numen struerent quo nocte peracta.
urget, agit, stimulat, pulsat latus, imprimit, instat.
accelerant, vacuantque domos, vicosque per omnes
gaudentes currunt, et murmura prima moventur
nondum clara metu; civemque interrogat omnem
occurrens civis, rumorque per agmina serpit.
Solis honore novi grati spectacula circi
antiqui sanxere patres, qui quattuor esse
solis equos quadam rerum ratione putabant,
tempora continui signantes quattuor anni,
in quorum speciem signis numerisque modisque
aurigas totidem, totidem posuere colores:
nam viridis verni, campus ceu concolor herbis,
pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit;
russeus aestatis, rubra sic veste refulgens
ut nonnulla rubent ardenti poma colore;
autumni venetus, ferrugine dives et ostro,

maturas uvas, maturas signat olivas;
aequiparans candore nives hiemisque pruinam
albicolor viridi socius coniungitur una,
et fecere duas studia in contraria partes,
ut sunt aestivis brumalia frigora flammis.
ipse ingens circus, plenus ceu circulus anni,
clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
amplectens geminas aequo discrimine metas
et spatium mediae, quo se via pandit, arenae.
referam primas iunxisse quadrigas
et currus armasse novos, Pelopemque secundum
in soceri venisse necem: praestantior alter
inventus gener est, plus sponsae iunctus amore.
hunc veterum primi ritum non rite colebant,
esse deum solem recta non mente putantes:
sed factor solis postquam sub sole videri
se voluit formamque deus de virgine sumpsit
humani generis, tunc munere solis adempto
principibus delatus honor munusque Latinis
et iucunda novae circensia gaudia Romae.
Huc omnes populi, pueri iuvenesque senesque
dant agmina plausus
vox omnibus una,
mens eadem: nomen populis placet omnibus unum.
ales ut expositos cum phoenix innovat artus
a busto rediviva suo, concentus in unum
stans avium spectat solem solisque volucrem,
dum veniat, regemque novum clamore salutant,
sic decus imperii, sanctum sic Iota resurgens
exortum est de fine suo, seniumque reponens
nominis et recti Iustino in principe vivit
Iustinianus apex; domini sic vulgus amore
undique conveniens laetarum more volucrum
"tu vincas, Iustine" canunt, ingensque tumultus
crescit, et Augusta luctus discessit ab aula
laetitia veniente nova. vox excitat omnes:
omnia Iustino praebent elementa favorem,
omnia congaudent. omnes clamore vocati

conveniunt proceres: lux sacra palatia complet.
ipsum quin etiam [exanimum] gaudere putares
corpus, in angelicam mutatum morte figuram.
signa dedit manifesta deus, seque ipse probavit
Iustino claram regni imposuisse coronam.

LIBER SECUNDUS.

Roscida purpureos Aurora ostenderat ortus,
imperio sacrata dei, dominisque iubebat
sumere concessum caelesti munere regnum.
ipse autem procerum magnis oratibus actus
non primum imperii regalia signa recepit,
quin sacrata prius supplex oracula poscens
effusis precibus Christo sua vota dicaret.
ilicet angelici pergens in limina templi
imposuit pia tura focis cerasque micantes
obtulit, et supplex lacrimis ita coepit obortis.
"omnipotens princeps, summi pater inclite verbi,
lux aeterna deus, rerum formator et auctor,
cuius stelliferum fecit sapientia caelum,
fundavit terram, vestivit floribus agros,
arboribus tribuit sua germina, vallibus herbas,
et caeli liquidos formatrix condidit ignes
discernens a nocte diem, rutilisque comantem
ornavit solem radiis, et cornua lunae
paulatim minui paulatim crescere iussit;
formavit varias habitu distante figuras,
produxit pronis animalia cetera membris,
solum hominem rectum, quem mox ratione replevit,
vivificans siccum sacro spiramine limum;
cuius subtracta costis ex omnibus una
perfecit facto similem, sociamque dicavit;
hisque creaturam, claro est quae subdita caelo,
subiectam fecit divini iussio verbi,
quas tibi persolvet tanto pro munere grates

parvus homo, immensi factus factoris imago?
en ego, parva creaturae pars, subditus adsto
ante oculos, excelse, tuos. tibi servio soli
atque meum submitto caput, cui flectitur uni
omne genu, quem cuncta pavent, elementa tremiscunt.
quaeque vident homines et quae non iusta videri,
ante oculos sunt clara tuos, famulantur, adorant,
et laudant factoris opus. si sceptra tenere
me Romana iubes soliumque ascendere patris,
si tibi complacuit populos mihi credere tantos,
velle tuum fac posse meum. tu subiicis hostes,
colla superborum furiataque pectora frangis,
tu reges servire facis. da posse volenti,
ut faciam placitura tibi." placuere parenti
orantis pia verba viri, genitusque precanti
annuit, et sanctus "regnato" spiritus inquit.
vox arcana dei gestis fit nota peractis:
non fierent, nisi sancta dei vox illa iuberet.

Ipsa etiam summi consors castissima regni
virginis et matris templum sublime petivit,
cuius adoratum limen feliciter intrans
ante pios vultus expansis candida palmis
constitit, et pronis supplex haec vultibus infit.
"virgo creatoris genitrix sanctissima mundi,
excelsi regina poli, specialiter una
vera parens et virgo manens, sine semine patris
quam deus elegit matrem sibi, credula verbum
concipiens nostram genuisti feta salutem.
o pietas miranda dei dictuque tremenda!
caelorum factor dominus deus, unica patris
forma dei, verae sese velamine carnis
induit et servi formam de virgine sumpsit.
quos tibi, quos genito dignos solvemus honores
pro tantis, benedicta, bonis? te, gloria matrum,
auxiliumque imploro tuum: te semper adorem,
te fatear dominam servatricemque novarum

34 et non quae iussa *codex*.

Iustini rerum. nostrum caput, inclita, serva,
tutare imperium, vitam rege, perfice coepta.
da bene dispositis procedant omnia nostris.
subde feras gentes: iusto mucrone superbi
depereant. vestro semper tutamine vivam."
plurima praeterea verbis clementibus orans,
oblatis ceris, altam remeavit in aulam.
it sacrum comitata latus pulcherrima proles,
luce sua plenam quae possit vincere lunam,
aequiparans humeris matrem, sic lucida cultu,
sic niveis formosa genis similisque parenti.
igne micant oculi. nomen distabat et aetas,
non tamen egregiae distabat gratia formae,
arboris ut matris quae de radice propago
nascitur, et celsis caput erigit ardua ramis,
aequiparata novis maternae frondibus umbrae
at mater propriam florenti germine natam
gaudet habere parem, laetasque attollit in auras
felices ramos, et vertice despicit arva.
  Iam laetus princeps divalia tecta subibat,
amplaque gaudentes implebant atria turbae.
accelerant fidi, cura est ut cuique, ministri
obsequiis praebere manus, promuntque feruntque
Augustas vestes pretiosaque cingula gemmis
et capitis diadema sacri. cultu ipse priore
exuitur, tantumque uno vestitus amictu
constitit, et lumen membris regalibus auxit.
haud secus ut, nubes cum se rescindere densam
coeperit et caelum monstraverit aethra serenum,
ardentes radios mittit iubar: omnia visum
congaudent elementa diem; mox erigit herba
molle caput, vernant segetes, et gramina crescunt,
ipsaque conspectis gratantur lumina terris.
"haec est illa dies," laeti dixere clientes,
"quam pater ille bonus sancto praedixerat ore.
egreditur, tunicaque pios inducitur artus,
aurata se veste tegens, qua candidus omnis
enituit lumenque dedit, fuscasque removit

aetherea nondum prolata luce tenebras.
purpureo surae resonant fulgente cothurno,
cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quae vellera fuco,
sanguineis praelata rosis, laudata rubore,
lectaque pro sacris, tactu mollissima, plantis,
quis solet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps et barbara colla domare.
Augustis solis hoc cultu competit uti,
sub quorum est pedibus regum cruor: omne profecto
mysterium certa rerum ratione probatur.
nobilibus gemmis et cocto lucidus auro
balteus effulgens lumbos praecinxit heriles;
substrictoque sinu vestis divina pependit
poplite fusa tenus, pretioso candida limbo.
Caesareos humeros ardenti murice texit
circumfusa chlamys, rutilo quae ornata metallo
principis exserta vincebat lumina dextra.
aurea iuncturas morsu praestrinxit adunco
fibula, et a summis gemmae nituere catenis,
gemmae quas Getici felix victoria belli
praebuit atque favens dominis Ravenna revexit,
quasque a Vandalica Belisarius attulit aula.
signa triumphorum, pie Iustiniane, tuorum
sospite Iustino mundumque regente manebunt;
amborum nomen per saecula cuncta canetur;
narrabunt populi miracula vestra futuri.
Armati manibus sacrati circulus auri
impositus collo imperium sublime dicavit;
quod faciens ter, ter dextram cum munere tendens,
"Augusti, Iustine, locum tibi confero" dixit.
"ast ego te iubeo" princeps ait "esse tribunum."
felix Armatus, primus qui verba loquentis
audiit et primus solemnia dona recepit.
Quattuor ingentem clipei sublimius orbem
attollunt lecti iuvenes, manibusque levatus
ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectus
littera, quae signo stabili non flectitur unquam,

nominibus sacrata tribus, qui viribus aequis
imperium rexere suum. genus omnibus unum,
sceptrum continuum, tempus iuge, iuncta potestas.
successu res acta suo est: iam regna duorum
in caelis translata manent, nunc maximus orbis
communis benefactor adest, cui subdita reges
colla parant nomenque tremunt et numen adorant.
adstitit in clipeo princeps fortissimus illo
solis habens specimen: lux alta fulsit ab urbe.
mirata est pariter geminos consurgere soles
una favens eademque dies. mea carmina, numen,
mensuram transgressa suam mirabere forsan,
quod dixi geminos pariter consurgere soles.
nec vacuis verbis nec inanibus acta figuris
ore feres prolata meo, si dicta rependis.
mens iusti plus sole nitet: non mergitur undis,
non cedit tenebris, non fusca obtexitur umbra.
lux operum aeterno lucet splendore bonorum.
Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum
pontificum summus plenaque aetate venustus,
adstantem benedixit eum; caelique potentem
exorans dominum sacro diademate iussit
Augustum sancire caput, summoque coronam
imponens apici feliciter
intonuit patrum subitus fragor, inde clientum
clamores crescunt: clamoribus adsonat aether.
laudibus innumeris regnantum nomina tollunt:
Iustino vitam ter centum vocibus optant,
Augustae totidem Sophiae plebs tota reclamat.
mille canunt laudes vocum discrimina mille:
Iustinum Sophiamque pares duo lumina mundi
esse ferunt; "regnate pares in saecula" dicunt;
felices annos dominis felicibus orant.
insonuit vox illa diu, tandemque quievit.
Ipse coronatus solium conscendit avitum,
atque crucis faciens signum venerabile sedit;
erectaque manu, cuncto praesente senatu,
ore pio sic orsus ait. "super omnia regnans

regna deus regnum nobis concessit avitum,
et patrium diadema dedit, curasque regendi
imposuit rerum genitor, quas ipse creavit.
laudamus factoris opus, regemque tremendum
suspicimus; grates agimus, gratesque fatemur.
ipsius est quodcunque sumus, ratione probante,
et rerum certas
pluribus ex membris animal componitur unum,
sed caput est quod membra regit: deus ergo creator
componens hominem naturae foedere iussit
omnibus ut membris caput imperet; utque regantur,
coniuncta est capiti sapientia, corporis arcem
quae retinens oculis speculetur membra serenis,
et quoscunque videt vigilanti lumine sollers
peste laborantes subiecti corporis artus
sanet, et infestos pellat medicamine morbos.
Romanum imperium corpus bene ponitur unum
compositum multis, quod fas est dicere, membris.
nos sumus ergo caput solidati corporis huius:
huic sacro capiti facta est Sapientia consors,
quae mihi commissum pariter regat inclita mundum
[sede] sedens una. vos o mihi proxima membra,
conscripti patres, nostri spes maxima regni,
vos estis pectus, vos brachia verticis huius;
quorum consiliis quorumque laboribus usa
publica res domuit gentes et regna subegit.
summa regendarum cura est mihi credita rerum:
at quia subiectum nostrum est disponere mundum,
nos etiam vobis curas committimus orbis.
adloquimur fidos, et vos hac voce monemus.
in primis deus est tota virtute colendus,
semper adorandus, semper metuendus amandus,
omnia qui fecit pulchri miracula mundi.
nos imitatores factoris et omnia dantis,
in quantum natura valet, contendimus esse;
utque deus voluit, propriis caput impero membris.
iustitiam populis generaliter omnibus aequam
et iuris servate modos. disponite plebes,

ut decet imperii veros disponere patres,
utque pedes proprios et membra minora fovete.
non minor est membris cura impendenda minutis.
obsequium pedibus naturae lege videmus
admotas praebere manus, oculosque ministros
cernimus esse pedum, quibus inferiora tuemur.
ante pedes planate vias: ne temnite partem
magnis officiis summisque laboribus aptam,
qua vehitur totum summo cum vertice corpus.
qui pedibus rectis graditur, mala nulla veretur,
non timet offensam: nescit via recta ruinam.
quin et causa rei cultu est ornanda diurno:
nullus vile putet, quod novit corporis esse.
sit censura patrum, sit disciplina per orbem.
priventur caedes populorum, iurgia cessent.
nullus laedendi pateat locus, usus iniquae
cesset avaritiae. subiectis parcite nostris,
colla superborum confringite. culpa nocentes
puniat ipsa suos, serventur iura quietis.
huc aures totamque, viri, deflectite mentem,
quaeque sit, ex dictis, vestri spes, discite nostris.
agricolae sua rura colunt, cultuque diurno
implorant fructus, et terram vomere findunt,
dividiturque bonis gratus labor ille colonis:
pars scindit glebas, pars sulcis semina mandat,
pars liquidas deducit aquas hortosque virentes
irrigat ac tractis satiat pomaria rivis.
novit culta suos tellus ditare colonos:
sic bene promeritos donis respublica ditat,
terra velut pinguis; cuius spes magna senatus
hic floret virtute, fide, gravitate, rigore.
hanc quicunque colunt, multum mercedis habebunt.
quod fisci est, nullus rapiat: cognoscite fiscum
ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.
venter alit corpus: fuerit si venter inanis,
omnia deficiunt, tenuantur robore membra,
et contracta rigent arentibus ossa medullis.
omnia sufficiunt sacrati commoda fisci,

ex quibus est commune bonum, commune levamen.
tutetur fiscus iustorum nemine laeso:
quae sua sunt, capiat, quae sunt privata, relinquat.
iustitiam colimus, iustos veneramur amamus:
hanc commendamus, hanc vos retinere iubemus.
plurima sunt vivo nimium neglecta parente,
unde tot exhaustus contraxit debita fiscus,
reddere quae miseris moti pietate paramus.
quod minus ob senium factumve actumve parentis,
tempore Iustini correctum gaudeat orbis.
nulla fuit iam cura seni: iam frigidus omnis
alterius vitae solo fervebat amore.
in caelum mens omnis erat: iam corporis huius
immemor hanc mundi faciem transisse putabat.
et licet exhausti vacuarit commoda fisci,
illa tamen sancti mecum est benedictio patris,
quae totum reparare potest et lapsa novare.
nec patimur quemquam sacratum laedere fiscum,
nec laedi quemquam sinimus sub nomine fisci.
utantur cuncti propriis, ac iure fruantur."

Haec postquam princeps tranquillo protulit ore,
pronus adoravit laudans pia dicta senatus,
et summi clamor pervenit in astra favoris.

Protinus in magni surgit fastigia circi,
cerneret ut laetos populos plebemque moneret
eloquii pietate sui. tunc ordine longo
incedunt summi proceres fulgensque senatus.
ipse inter primos, vultu praeclarus honoro,
fratris in obsequium gaudens Marcellus abibat,
dispositorque novus sacrae Baduarius aulae,
successor soceri, factus mox curapalati.
his aetas dispar, sed par votum atque voluntas:
ambo patricii, dilecti principis ambo
fulgebant geminis similes radiantibus astris,
astris quae caelum flamma meliore perornant,
solaque prolato possunt cum sole videri
stellarum fugiente globo, quando omnia pallent
sidera et adflatas ortum iubar aspicit herbas

atque operit novus astra dies. praenuntius ante
signa dedit cursor. posita de more lacerna
exoritur laetum iucunda per agmina murmur.
intentos oculos ad sedem vulgus herilem
extulit adsurgens, quoniam plebs laeta videre
felicem dominum summo cupiebat amore.
egreditur cum luce sua, frontemque serenam
armavit sancti faciens signacula ligni;
utque salutato tetigit subsellia vulgo,
auratum scandens solium sedemque paternam
constructam plumis pulchrisque tapetibus altam,
aspexit laetus populos, vultuque modesto,
circumfusa videns plaudentum milia, risit,
censuram servans et plebi gaudia donans.
ut princeps solio subnixus sedit in alto,
ingens laetitiae sonuit fragor: aurea plebes
tempora principibus centenis vocibus optant.
Iustino vitam partes utraeque reclamant,
Augustae Sophiae votis quampluribus orant.
excutiunt plausus, studiorum gaudia surgunt,
alternisque sibi respondent agmina dictis.
emittunt dextras [pariter] pariterque remittunt.
certatim toto vulgus micat undique circo,
ut veniunt densae manicis albentibus undae.
disponunt cantus, et motum cantibus addunt.
nunc simul erectis, pronis nunc ardua membris
dant capita: accedunt pariter, pariterque recedunt;
fertque refertque globum moles condensa virorum.
exaltata putes placidis bene flantibus Euris
ludere coniferae frondosa cacumina silvae,
et flexis nutare comis, lentoque vicissim
vertice fecundos huc illuc flectere ramos.
inde dato populi fecere silentia signo,
cunctaque clamosi tacuere sedilia circi,
mollior ut ventis quotiens venit aura remotis,
fluctivagum pelagus, quod tempestate movetur,
mansuetis planatur aquis: tunc solis honore
omnia clara, silent tranquillis aequora ripis.

Ut clamor magnus populi strepitusque quievit,
divinus princeps Augusta voce perorans
haec plebi mandata dedit. "bene vivite, cives.
tempus gaudendi est: gaudete, hilaresque manete.
contulit ista deus: nullus sua gaudia turbet.
priventur caedes, studiorum iurgia cessent.
et iam post duros, cunctis promitto, labores
otia sint plebi, nobis vigilantia sollers:
tranquillam faciam securis civibus urbem.
nos curam vestri gerimus, nos vestra tuemur.
credite, non patitur saeclorum secta meorum
iniustos saevire diu. componite mores,
a furtis cohibete manus, cessate nocere.
discite iustitiam, legum praecepta tenete.
iustitiam quicunque facit, fora nulla timebit:
omnis erit iudex informidabilis illi.
corripiet sontes iuris vigor. este quieti.
si socium socius, si civem civis amabit,
non solum optati tribuo spectacula circi,
praemia sed populis et maxima dona parabo.
ditabo plebes opibus, nomenque negatum
consulibus consul post tempora multa novabo,
gaudeat ut totus Iustini munere mundus.
dona calendarum properant vicina mearum:
vos vestris adstate locis, properate, parate,
promissaque die nostras sperate curules."
expavit gaudens inopino nomine vulgus
consulis audito: natus fragor, itque tumultus
per laetos ingens fremit undique murmur,
ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.

Interea lati spoliant subsellia circi;
undique plorantum descendit turba virorum,
et positis totam chartis implevit arenam
ante ipsam domini sedem, largisque rigantes
ora viri lacrimis et terrae corpora dantes
in facies cecidere suas. "miserere, perimus,"
insonuit vox magna diu. "lege sacra parentis
syngrapha, de tantis rationem collige chartis.

iam servis succurre tuis. nos nostra iubenti
credidimus domino. vobis quis vestra negaret,
cum vestrum est quod mundus habet? scis, summe regentum,
publica quid vestro prosint commercia fisco.
unde tributa tuis succedent annua rebus,
deficiet si nostra manus? tibi militat omne
quod gerimus: nos, quae tua sunt, privata vocamus.
vix nobis vitae constant alimenta diurnae
afflictis, quae longa dies longoque labore
sors quaerit, parvosque cibos sub nocte reponit."
flere diu tantos lacrimis non passus acerbis
condoluit miserans, et se pietate subegit
legibus ultro suis. "aliena pecunia" dixit
"reddenda est, vivus patri qui substitit heres."
thesauros fidis privatos ferre ministris
imperat. innumerae mox advenere catervae
fortia centenis oneratae brachia libris.
deposuere humeris; turmae glomerantur in unum,
et totus fuso circus resplenduit auro.
tunc posita ratione palam, populoque vidente,
debita persolvit genitoris, cauta recepit.
gaudia quanta illic, quantus favor! undique laetus
tollitur in caelum populorum clamor ovantum.
mirantur proceres, mirantur talia plebes.
hinc rutili lucent chartis ardentibus ignes,
hinc radiat fulvum concertans ignibus aurum.
hinc chartas flammis subigunt, hinc pondere fusos
exaequant solidos, et lancem pollice pulsant.
tunc sinibus plenis abeunt, quaestuque laborant,
elatisque oculis pro vita principis orant.
largior inventus pater est, clementior idem,
qui virtute animi mentem calcavit habendi,
publica privato cum debita redderet auro
sponte sua, dominus servis miseratus egenis.
priscorum hoc uno vicit novus omnia facto
facta pius princeps. quamvis meliora sequantur,
hoc primum tamen omen erat, quod nullus avorum
Augustos unquam cecinit fecisse priores.

Hinc aliud pietatis opus tam grande secutum est.
pro vinctis flentes nuptae venere maritis,
matres pro genitis. nescit servare pudorem
rebus in afflictis ingens dolor. immemor ibat
turba sui sexus, cultu miserabilis ipso,
per medios populos. postquam venere verendam
Caesaris ante caram, cunctae sua pectora durae
illidunt terrae. "pius es, potes omnia" clamant:
"cerne pias lacrimas, miserorum vincula solve.
matribus his natos, his nuptis redde maritos.
omnibus haec sit laeta dies: tua gaudia princeps
nullus agat tristis. cunctorum crimina dele,
gaudeat ut laetus miti te principe mundus."
has pius aspexit lacrimas, precibusque dolentum
annuit, et solvi cunctos a crimine iussit
more dei. deus est cui verbo competit uno
iustificare malos mediaque a morte levare.
credite simpliciter: vox haec temeraria non est.
qui facit hoc, deus est: deus est in corde regentum:
principibus princeps quicquid deus imperat, hoc est.
terrarum domino Christus dedit omnia posse:
ille est omnipotens, hic omnipotentis imago.
plurima praeterea solemni munere donans,
dimissis populis, arcem remeavit in altam.

LIBER TERTIUS.

Contigit ut princeps Augusti limina tecti,
quanquam festa dies sextam consumpserat horam,
non dulces epulas, non pocula grata petivit,
ni patris primum sanctum et venerabile corpus
ornatum exsequiis tumulo mandaret opimis.
ante fores iam [turba] ruit, passimque per aulam
porticibus longis stabat cum plebe senatus,
interius flentes famuli. vasa aurea mille,
mille columnarum species, argentea mille,

quae superimpositis implebant atria ceris,
ordine cuncta suo, patrum sic more parata.
triste ministerium lata fervebat in aula.
alta superpositis radiabant stramina gemmis,
tempore quas prisco Romana potentia cepit,
quas viridis Nereus, quas protulit Indica tellus,
et quas Memphitica Caesar perduxit ab aula,
quas supplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
frangere corrupto pallens custode veniret.
ex quibus adversis cernebant fulgura mitti:
sed lumen, non ignis erat; lux undique fulget
aurea conspicui lustrans laquearia tecti.
tura Sabaea cremant, fragrantia mella locatis
infundunt pateris et odoro balsama succo.
centum aliae species unguentaque mira feruntur,
tempus in aeternum sacrum servantia corpus.
supremum patri talem celebravit honorem
Augusto melior Iustinus Caesare princeps.
 Ut pius ingrediens corpus venerabile vidit,
incubuit lacrimans, atque oscula frigida carpsit
divini patris, verbisque dolentibus inquit
"nos flemus tristes, mentisque ardore dolemus:
tu, pater, angelicas inter, sanctissime, turmas
laetus abis, positoque deum iam corpore cernis,
et frueris meliore die sub lumine solis,
nox cui nulla subit. salve, pater inclite, salve:
aeternum, pater alme, vale." non plura moratus
Augustus nutu tolli sublime feretrum
imperat, et tota populus processit ab aula,
maestaque funereas accendunt agmina ceras.
omnis in exsequias sexus convenit et aetas.
quis memorare potest tantae miracula pompae?
hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
virgineus tonat inde chorus: vox aethera pulsat.
funduntur lacrimae ritu nivis: imbre madebant
cunctorum vestes, proprioque in fonte natabant
manantes oculi, vultusque sinusque rigabant.
attonitae matres resolutis crinibus ibant:

ante fores aliae, tectis sublimibus illae
implentes altas turba stipante fenestras,
quantus Hyperborei volucrum concentus in Istri
contrahitur ripis, gelidas quas linquere terras
aspera cogit hiems: glacie nivibusque coactae
innumerae glomerantur aves, stipantur in unum,
innectuntque moras, et flumina linquere nolunt.
transitus ob causam multi pia tura cremabant.
undique currebat studio plebs maesta videndi.
omnibus unus amor, iustus dolor omnibus unus
augebat lacrimas, et viso funere flebant,
donec apostolici subeuntes atria templi
inclita sacrato posuissent membra sepulcro,
quod pius ipse sibi puro construxerat auro.
Postquam facta quies, totam plebs laeta per urbem
sacra coronatis ornavit moenia tectis.
pratorum spoliatur honos, nemus omne refertum
frugibus et glaucae frondes rapiuntur olivae.
exornant postes, et arundine limina comunt,
festaque per cunctos tendunt velamina vicos.
ludere tunc iuvenes et laudibus addere laudes
incipiunt: plaudunt pedibus, mollique reponunt
crura gradu, mirisque modis nova carmina flectunt.
Iustinum Sophiamque pios duo lumina dicunt.
organa, plectra, lyrae totam insonuere per urbem.
mille voluptatum species, convicia mille,
saltatus, risus, discursus, gaudia, plausus.
Augustis vitam laetis clamoribus optant.
"post senium" dicunt "sese iuvenescere mundus
gaudet, et antiquae repetit primordia formae.
ferrea nunc abeunt atque aurea saecula surgunt
temporibus, Iustine, tuis, spes urbis et orbis,
Romani iubar imperii, decus addite cunctis
retro principibus, cuius sapientia victrix
obtinuit patrii fastigia maxima regni."
ingeminant Sophiae nomen, lumenque secundum
hanc dicunt, carmenque novum cum plausibus addunt.
Interea laetus sacra cum coniuge princeps

coeperat Augustae felicia carpere mensae
gaudia, regales epulas et dulcia Bacchi
munera, quae Sarepta ferax, quae Gaza crearat,
Ascalon et laetis dederat quae Graeca colonis,
quaeve antiqua Tyros, quae fertilis Africa mittit,
quae Meroë, quae Memphis habet, quae candida Cypros;
quaeque ferunt veteres maturo robore vites,
quas manibus propriis Ithacus plantavit Ulysses,
pace sub Iliaca Laërtia limina servans,
nondum Troiani vitans discrimina belli;
quaeque Methymnaeis expressit cultor ab uvis;
pocula quae vitreo flagrabant plena Falerno.
prisca Palaestini miscentur dona Lyaei,
alba colore nivis, blandoque levissima gustu.
fusca dabant fulvo Chrysattica vina metallo,
quae natura parit liquidi non indiga mellis;
et Garisaei permiscent munus Iacchi.
cuncta quis expediet, dominis quae parturit orbis
Romano quaeque est provincia subdita regno?
haec magno luxu quanquam cumulata redundent,
temperie solita parvus cibus ore modesto
sumitur, et quantum capiat mens sobria potus,
censura servante modum. cura ipsa regendi
clementisque animus praesumere parcius escas
iure facit, potusque parum sapientia quaerit.
aurea purpureis apponunt fercula mensis
pondere gemmarum plus gravia. pictus ubique
Iustinianus erat. dominis pictura placebat,
gaudebantque sui genitoris imagine visa
felices geniti. veras ibi cernere posses
sacras effigies, vivasque adstare putares.
ars et materies animas simul addere possent,
addendi veniam nisi tu, natura, negares.
ingeniis hominum post mortem vivere fama
concessum est: clarum servat sua gloria nomen.
ipse triumphorum per singula vasa suorum
barbarico historiam fieri mandaverat auro,
tempore quo captis iniecit vincla tyrannis

Iustinianus, ovans quarto cum consule princeps
alta triumphali tereret Capitolia pompa.
sacris principibus iucundae fabula mensae
de divo genitore fuit: tum nomen honorum
inter delicias et dulcia pocula summis
laudibus attollunt, vivumque per ora fatentur,
sic decessorem regnantum nullus amavit,
quanquam sceptra patris natus successor haberet.
ante oculos geniti genitor dulcissimus omni
tempore semper erit, semperque in corde manebit.
Postquam divinae sumpsere novissima cenae
pocula, et excelsae siluerunt gaudia mensae,
contulerat quae prima dies, surrexit ab alto
laetus uterque toro, secretaque tecta petivit.
sed non in segnes solverunt pectora somnos.
invigilant animi, quibus est pia cura regendi
tot latos populos, duros domitare tyrannos,
consiliis uti, causas disponere mundi.
maxima, pro rerum quae disposuere salute,
admiranda magis quam connumeranda fateri
humanum decet ingenium. quis carmine digno
tot divinarum miracula pandere rerum
sufficiat? quibus haec verbis, qua laude reponat?
diva Augusta favens, sanctum et venerabile nomen,
immortale bonum, nostrae sapientia linguae,
auspiciis haec sacra tuis: tua vota canentem
respice, et oranti clemens solatia praebe.
Septima gaudentem lux aurea viderat orbem,
expellens placido brumalia frigora verno.
omnia sol oriens radiis melioribus afflans,
tranquillo gelidas tepefecerat igne pruinas.
gaudebant elementa simul, mollique calebant
temperie, votisque suis nova Roma favebat.
ornata est Augusta domus, iussuque regentis
acciti proceres omnes, scholaque palati est
iussa suis adstare locis. iamque ordine certo
turba decanorum, cursorum, in rebus agentum,
cumque palatinis stans candida turba tribunis,

et protectorum numerus mandante magistro,
omnis sacrorum vis adfuit officiorum,
ornatu vario cultuque habituque modoque.
ingens excubitus divina palatia servans,
porticibus longis, porta condensus ab ipsa,
murorum in morem laevam dextramque tegebat,
scuta sub erectis coniungens aurea pilis.
ense latus cincti, praestricti crura cothurnis,
adstabant celsi pariter, pariterque nitebant
exstantes latis humeris durisque lacertis,
coniferae veluti sacra inter flumina quercus,
per quas blanda fluens rauco sonat unda susurro,
condensam faciunt frondoso robore silvam,
excluduntque diem ramis, intonsaque laetae
attollunt capita, et vertice sidera pulsant.
et laeva dextraque acies adstare videres,
multaque ancipites splendescere luce bipennes,
terribiles, aetate pares. imitatur Olympum
officiis Augusta domus: sic omnia clara,
sic numeris bene compta suis, ita luce corusca,
aurea convexi veluti rutilantia caeli
sidera mensura numeris et pondere cursus
perficiunt librata suo, stabilique recessu
firma manent, unumque iubar super omnia fulget:
omnia succumbunt flammis melioribus astra,
et quo tecta latent, regis pascuntur ab igne.
hac se magnarum Romana potentia rerum
lege tenens medias inter super omnia gentes
regna micat, claro tantum uni subdita caelo.
Atria praelargis exstant altissima tectis,
sole metallorum splendentia, mira paratu,
et facie plus mira loci, cultuque superba.
nobilitat medios sedes Augusta penates,
quattuor eximiis circumvallata columnis,
quas super ex liquido praefulgens cymbius auro
immodico, simulans convexi climata caeli,
immortale caput soliumque sedentis obumbrans
ornatum gemmis, auroque ostroque superbum,

quattuor in sese nexos curvaverat arcus.
par laevam dextramque tenens victoria partem
altius erectis pendebat in aëre pennis,
laurigeram gestans dextra fulgente coronam.
mira pavimentis stratisque tapetibus ampla
planities, longoque sedilia compta tenore
clara superpositis ornabant atria velis.
vela tegunt postes: custodes ardua servant
limina, et indignis intrare volentibus obstant
condensi numeris, fastu nutuque tremendi.
postquam dispositis ornata palatia turmis
officia explerunt, adytis radiavit ab imis
inclita lux, et consistoria tota replevit.
egreditur princeps magno comitante senatu.
affuit obsequio castorum turma virorum:
illis summa fides et plena licentia sacris
deservire locis atque aurea fulcra parare,
regales mensas epulis onerare superbis,
conservare domum sanctumque intrare cubile,
internas munire fores vestesque parare.
armiger interea, domini vestigia lustrans,
eminet excelsus super omnia vertice Narses
agmina, et Augustam cultu praefulgurat aulam
comptus caesarie, formaque insignis et ore.
aureus omnis erat, cultuque habituque modestus,
et morum probitate placens, virtute verendus,
fulmineus, cautus, vigilans noctesque diesque
pro rerum dominis, et honora luce coruscus,
matutina micans ut caelo stella sereno
auratis radiis argentea sidera vincit
vicinumque diem claro praenuntiat igne.
Ut laetus princeps solium conscendit in altum
membraque purpurea praecelsus veste locavit,
legatos Avarum, iussos intrare, magister
ante fores primus divinae nuntiat aulae
orantes sese vestigia sacra videre
clementis domini; quos voce et mente benignus
imperat admitti. miratur barbara pubes

ingressus primos immensaque atria lustrans
ingentes adstare viros. scuta aurea cernunt,
pilaque suspiciunt alto splendentia ferro
aurea, et auratos conos cristasque rubentes.
horrescunt lanceas saevasque instare secures;
ceteraque egregiae spectant miracula pompae,
et credunt aliud Romana palatia caelum.
spectari gaudent, hilaresque intrare videri.
non secus Hyrcanae quotiens spectacula tigres
dat populis nova Roma suis, ductore magistro
non solita feritate fremunt, sed margine toto
intrantes plenum populorum milia circum
suspiciunt, magnoque metu mitescere discunt;
deponunt rabiem, gaudent fera vincla subire,
per medios intrare locos, ipsumque superbae
quod spectentur amant, caveam turbasque faventes
lustrant, et pronae solium regnantis adorant.
verum ut contracto patuerunt intima velo
ostia, et aurati micuerunt atria tecti,
Caesareumque caput diademate fulgere sacro
Targites suspexit Avar, ter poplite flexo
pronus adoravit, terraeque adfixus inhaesit.
hunc Avares alii simili terrore secuti
in facies cecidere suas, stratosque tapetas
fronte terunt, longisque implent spatiosa capillis
atria et Augustam membris immanibus aulam.
ut clemens princeps legatos surgere iussit
officio stratos, iussu monituque iubentis
erexere viros. "quod poscitis," ore sereno
clementer regnator ait, "memorate, docete,
et vestri regis quae sit legatio ferte."
haec postquam princeps tranquilla voce profatus,
crudus et asper Avar dictis sic coepit acerbis.
"rex Avarum Chagan, debellans intima mundi,
famosos stravit magna virtute tyrannos,
innumeros populos et fortia regna subegit;
cuius Threicium potis est exercitus Hebrum
exhausto siccare lacu, fluviumque bibendo

nudare, et nondum plene satiatus abire;
quem Persae timuere feri, genibusque minantis
admovere manus, pacem et meruere precando.
ni facerent, frustra celsis Babylonia muris
cincta foret, dominos Avares nunc ferre parata.
rupimus Euphratem, gelidos superavimus amnes,
hibernos cursus quando refrenat aquarum
frigus et omnigenis fit durior unda metallis.
vidimus et tectos vitrea testudine pontes
stagna lacus fluviosque super fontesque iacere.
in silicis morem vel stratae marmore terrae
cognatos latices laticum cum crusta tegebat,
plaustra super solidas stridentia duximus undas.
illic volventum vestigia nulla rotarum
aerea nec solitos labens dedit orbita sulcos,
nec fragilis potuit crystalli forma noceri
praesolido stringente gelu; fremitusque sonorus
cornipedum liquidos ceu terruit ungula campos,
insanum volvens strepitum. calcavimus Imaum,
ivimus in fluctus sicco pede: praebuit amplas
nix spatiosa vias. praeduris gentibus acre
intulimus bellum. pars altera castra locavit:
miscuimus pugnas, munitas cepimus urbes,
firmaque disruptis deiecimus oppida muris.
nunc ripas Scythici victor rex contigit Istri,
densaque per latos figens tentoria campos
ad tua nos, princeps, haec splendida moenia misit.
annua praelargi patris solatia vestri
sumere tempus adest: sancte quae praebuit ille,
vos etiam praebere decet. si foedera pacis
intemerata tibi, si mavis pacta manere,
debita quaerenti transmittite munera regi."
Talia iactantem nulla commotus in ira
tranquillus princeps oculis pietatis serenis
aspexit iuvenem, placidoque haec edidit ore.
"quantum est legatis concessa licentia fandi,
tantum legatos animo decet esse modesto
et vitae probitate graves; quique ordine possint

scire locis humiles quibus et quibus ora superbi
expediant; nostramque petant quod mitiget iram,
prospiciantque suae, poscentes foedera, vitae.
quod tua ventosis inflata superbia verbis
iactitat, ignavae mentis deformia nudat.
quid profugos laudas, famaque attollis inani
extorrem populum? quae fortia regna subegit,
efferra gens Avarum proprias defendere terras
non potuit, sedesque suas fugitiva reliquit.
tu velut ignarus falsis rumoribus audes
vana loqui, turpique dolo nova somnia fingis.
quod tibi nunc visum est vestro adsignare labori,
militibus nostris ludo solet esse diurno:
hoc studium dominis, ea sunt sua seria servis.
sanctum hoc imperium toto sic floruit orbe,
bella gerens pacemque tuens. nos more parentum
pacem diligimus, nunquam fera bella timemus.
pax est subiectis, pereunt per bella superbi;
parcimus innocuis, sonti non parcimus ulli.
res Romana dei est, terrenis non eget armis.
iure pio vivit: bellum non ingerit ultro,
suscipit illatum. vel si servire negabunt
ingratae gentes, primum tamen admonet hostes
more gubernandi: monitus qui suscipit istos,
vivit et a nobis meritos exspectat honores.
quisquis amat pacem, tutus sub pace manebit;
et qui bella volunt, bellorum clade peribunt.
gens quaecunque ausa est Romana lacessere signa,
horruit extinctas inopino fulmine turmas,
innumeros cecidisse suos, regesque superbos
vidit sub nostris humiles fractosque triumphis.
ergo signa meis Chagan contraria signis
ferre parat, lituosque mihi camposque minatur
gens Avarum, ni pacta damus? terrore putatis
id nostrum fecisse patrem, miseratus egenis
et profugis quod dona dedit? pietate regendi
hoc facimus, gratisque dari provisa iubemus.
nostra manus larga est, non prodiga: perdere nescit,

iure suas dispensat opes, quo continet orbem.
sponte damus dignis, indignis sponte negamus.
tu numeros numeris et vires viribus audes
exaequare meis? nostris non fidimus armis,
quanquam ductores, numeri fortesque tribuni,
subiecti reges et gentes subditae abundent,
quot caelum guttas mittit, quot littus arenas.
quod super est, unumque meum speciale levamen,
imperii deus est virtus et gloria nostri,
a quo certa salus, sceptrum datur atque potestas;
qui populos clemens super omnia regna Latinos
constituit, pacemque suam commendat amari;
cuius spe fruimur, cuius virtute superbos
deiicimus, cuius populos pietate tuemur;
qui nostros auget mira virtute triumphos.
ipsius laudamus opus, solumque timemus;
hunc unum colimus regem dominumque fatemur.
cognoscant Avares quoniam deus omnipotens est.
fastus non patimur: gentes servire volentes
suscipimus, donisque humiles et honore levamus.
quisque suas mensuret opes viresque suorum,
cum queis bella gerat, sub qua spe sumpserit arma;
divinum sibimet plus consulat unde petatur
auxilium; poterunt si numina vana potentem
oppugnare deum; si possint sponte venire
persculpti lapides, surdae mutaeque figurae,
monstraque, quae variis exstant conflata metallis.
si caelo tellus bellum movet, arma feretis
vos armis adversa meis. si, barbare, nescis
quid virtus Romana potest, antiqua require,
quae proavi patres et avi potuere Latini.
quid noster senior potuit pater, inscie, disce,
sub quo Vandalici ceciderunt strage tyranni
edomitique Getae, pubes Alamannica, Franci
totque aliae gentes; famosaque regna per orbem
ardua sub nostris flectentia colla triumphis
suscepere iugum, mentes animosque dedere
servitio, nobisque manent ex hoste fideles.

en Sultan nostra servire paratus in aula
legatos nobis et plurima munera mittit,
quos contra ingratos defendimus, arma paramus.
obstamus dominis, profugis damus ostia servis?
legibus hoc nostris non convenit: arguo factum:
indigenis praebemus opem. Chaganque timeri
se putat, et bello mea signa lacessere tentat?
ite, licet: campos acies et castra parate,
signorumque duces certo sperate meorum."
Contremuit stupefactus Avar, magnoque timore
diriguit. siccis vox humida faucibus haesit,
turbatusque malis Augusta ab sede recessit.
Cetera consiliis quae princeps providus altis
disposuit, verbis fateor comprehendere nullus
sufficit, et pleni tenor est in fine libelli.
haec dilata parum, non praetereunda relinquo:
quaeque suis aptata locis, rerumque favorem,
in quantum potis est, devota mente notabo.

LIBER QUARTUS.

Iam vicina dies spectandi consulis omnes
urgebat turmas arcus statione replere
et loca quae populis praefectus deputat urbis,
consultor legum libertatisque tuendae
dispositor, iusti vindex, corrector iniqui,
censuram gravitate regens, multoque rigore
terribilis, mitique magis pietate tremendus.
tunc partes munire suas spatiumque parare
accelerant; medioque fori, qua divite dextra
egrediens princeps sacra trabeatus ab aula
divitias, vulgus solemni munere donans,
more nivis sparsurus erat, nova fabrica surgit.
turbatur tota lignorum venditor urbe
emptorum numero; studio ruit agmen emendi.

robora silvarum tunc plaustra gementia ducunt,
magnis ponderibus tractu stridente rotarum.
explicitae moles; nec sufficit arida tantum
ligni materies: ratibus tunc ire per urbes
finitimas, ferro virides succidere silvas.
rarescunt luci, campi spoliantur opaci,
arboribus ferrum sedit; gemit undique fessus
concisor nemorum, crebrisque securibus ictus
congeminant. nidis volucres fugere relictis;
horrescunt sua lustra ferae, dulcesque latebras
linquunt; concussae penitus tremuere cavernae,
immissamque timent tenebrosa cubilia lucem.
densa per antiquas discurrunt agmina silvas
more apium, quas ver tepidum nova condere castra
et munire favos ceris iubet aethere captos.
densa per herbosos errant examina campos,
floribus insidunt variis, roremque madentem
ore legunt, onerantque humeros, cerasque liquentes
conficiunt, dulcesque lares in pumice figunt.
incumbunt operi, gratisque laboribus instant.
protinus omnigeni caeduntur robora ligni,
quaeque suis aptanda locis. durissima costas,
mollia dant tabulas. quadrata caesa bipenni
fraxinus et crebris cadit ictibus ardua pinus.
tunc fagi dulces, et succo taxus amaro,
iliceaeque trabes fortes et pallida buxus,
pulchra magis pallore suo. cecidere securi
antiquae quercus et amictae vitibus ulmi,
cedrus olens, solidum nunquamque natabile robur,
esculus, alnus, acer, terebinthus, populus, ornus.
in tenues tabulas abies montana secatur,
iuniperi tiliaeque leves et odora cupressus.
mille secant in frusta trabes. tonat aethera pulsans
malleus, et tractae strident scabredine serrae,
curvaque percusso longe sonat ascia ligno.
tanta nec Inachides secuerunt robora plebes,
armatas classes ratibus cum mille pararent.
illa prius laetae spectacula praebuit urbi

fabrica. mirantur populi, studioque videndi
omnis concurrens sexus veniebat et aetas.
roboribus flexis teretes curvaverat arcus
artificum praedocta manus, trabibusque cavatis
affigens tabulas pendentes struxerat aedes,
quattuor informans molem stationibus unam,
buxea populeis aptans capitella columnis,
materiaque ipsa bases firmaverat imas.
omnia roboribus sternunt loca plana politis.
coniungunt tabulas et ferri nexibus artant,
quae pondus strepitusque virum motusque faventis
ferre queant populi. cunctorum terga locorum
alternumque latus conclusit sectile lignum,
undique munimen decus et tutamina praebens.
disposuere gradus, queis staret in ordine longo
divisum in turmas atque in sua corpora vulgus,
posset et exsertas ad munera tendere palmas,
liberius spectare oculis manibusque favere,
et donis aptare sinus, quae plurima consul
in plebes missurus erat, palmasque capaces
tendere, quo veniens late pluat aureus imber.
Ut labor artificum perfecta mole quievit
atque operis tanti nituit decus, omnia late,
quae modo lignorum squalebant fragmine, mundant,
exornantque locos, et festa fronde coronant
patres quique suas. fixis tabulata virebant
palmarum ramis et amicae pacis olivae.
cuncta triumphalis pendentia culmina laurus
comit et amplectens foliis felicibus ambit.
quos illic ludos, quae seria vulgus habebat!
ludere nunc alios, alios spectare videres.
mille voluptatum species. velamina tendunt,
et loca, quaeque decent, ut plus mirentur, obumbrant.
quod vulgo est, vile est: quicquid latet, exstat honorum,
quodque magis tegitur, pretii maioris habetur.
tunc interclusos nulli transire sub arcus
concessum est: cunctis medio via lata patebat.
Lux octava novo nascentis lumine Christi

in se volventis vestigia flexerat anni;
more suo currens totum compleverat orbem
circulus alterius referens de fine dierum
principium, teretemque rotam novus ordine mensum
urgebat numerus, totum qua volvitur aevum
et finit sine fine dies. iubar axe sereno
emicuit, votisque pie sese obtulit orbi,
laetificans cunctas felici lumine terras.
clara coruscantem lux auxerat altera lucem,
cum terris gaudente polo prodibat uterque,
sol radians et consul ovans; nova Roma nitebat,
certabantque ipsi iucunda palatia caelo.
dona calendarum, quorum est ea cura, parabant
officia, et turmis implent felicibus aulam.
convectant rutilum sportisque capacibus aurum
accumulant, onerantque locos, quibus altior ipsa
sella triumphalis firma statione locata
iam fuerat, nondum claro tunc consule plena.
hinc vetus argentum formas speciesque novatum
in varias, pressum titulis sculptumque figuris
excelsis portant humeris, magnisque laborant
ponderibus, cistaeque graves funduntur in unum:
utraque materies in magnos surgit acervos.
aedibus in magnis miro constructa paratu
exstabat sedes, auro gemmisque superba,
lumen habens sine sole suum; illustratque propinquos
gemmarum natura locos, rerumque colores
mutans et Phoebi radios fulgentis obumbrans.
miscentur teretes quadris, viridantibus albae:
chrysolithi mireque micant, flammasque pyropos
afflans et propria depellens luce tenebras.
hanc prius in media, quam sol procederet, aula,
auratis gradibus sacrisque tapetibus altam,
conscendit princeps trabea succinctus avita,
regalem ditans Augusta fronte coronam,
censuramque piam servans gravitate resedit,
Caesareos augens habitus cinctusque Gabinos;
cuius Hydaspeis radiabat pupura gemmis

vincens luce diem, plus maiestate sedentis
lucidior meliorque sui. primumque senatus
pronus adoravit, "vincas Iustine" perorans:
"consule te felix, te principe floreat orbis.
salve, Augustorum numeri non ordine prime
sed meriti; largitor opum, largitor honorum,
libertatis apex, mundi caput, unica virtus
et rerum manifesta salus, reparator opimi
nominis. antiquis redeunt nova saecula fastis:
Augusti primum renovasti Caesaris aevum.
clarius est meliusque tuum: tua gaudia tecum.
hinc vester primus feliciter incipit annus,
votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis."
inde senatorum sacro recitantur ab albo
nomina, conscripti patres qua voce citati
accedunt hilares, subeuntque altissima sedis
culmina, praetendunt dextras, et praemia sumunt
consulis et mundi domini, donisque superbi
fulvo plena ferunt argentea vasa metallo.
qualia fecundi convectant munera campi
agricolae, cum prata virent, plenisque canistris
lilia cana ferunt, mediumque intermicat aurum
floris odoriferi: primordia fertilis anni
ferre domum gaudent, postesque et limina comunt,
et sua placandis nectunt donaria templis.
tunc oratorum geminae facundia linguae
egregias cecinit sollemni munere laudes
consulis Augusti: dignis fortuna favorem
praebuit, et iustis successit gratia dictis.
o fortunati, quibus est ex rebus abundans
laudum materies! quid non laudabile dicunt,
qui vitam, tanti qui principis acta reponunt!
quis fuit ille fragor? tantus favor unde repertus,
tot laudatorum numerus? quibus artibus usi
et quibus ingeniis? quanto conamine nisi
tunc phaleris phaleras et laudibus addere laudes?
non potuere tamen sanctae miracula vitae
ordinibus numerare suis: divina referre

nec virtus hominum nec sensus sufficit ullus.
fontis Niliaci si quisquam aut hauriat undas
et bibat, aut bibulis rivos inducat arenis,
ipse quidem satiatur aquis, satiantur et agri,
sed quos ille rigat, fontes et flumina replet,
et praebet largas haurire volentibus undas.
quae circa dominos aptamus vota, probamus:
dum canimus colimusque pios, veneramur ovantes,
quos dum laudamus, laudem de laude meremur,
et fruimur maiore bono: nam diva propago
humanae nil laudis eget, sed vota clientum
pensat, devotosque sibi pietate coronat.
fertilis hic Augusta manus felixque videri
plus voluit, nullumque suo praeferre favori:
namque illos donis conscriptis patribus aequos
esse dedit, cum distet honor. Vigilantia nostris
hoc meruit carisque favens Sapientia Musis;
doctior et princeps novit quod littera rerum
pars magna est magnusque labor scribentibus instet.
protinus officiis summam tutantibus aulam,
ordinibus propriis et prisco more notatis,
per scholas turmasque vocans, pia praemia gaudens
praebuit, et fidos opibus ditavit alumnos
pro meritis gradibusque suis. idem inclitus omnes
nutrierat, vivoque etiam genitore regebat.
natus in imperio, media nutritus in aula
inter alumnorum numeros coetusque fideles,
nomina cunctorum, cunctorum noverat actus,
omnes mitis amans, omnes pietate paterna
semper alens semperque monens; rituque regendi
continet ipse suos nutritque fovetque clientes,
providus ut pastor, longo qui tempore tauros
lanigerosque greges herbosis pavit in agris,
omnia quae posuit taurorum nomina novit;
crescere dilectum gaudet pecus, intrat ovile,
discernit teneros et in unum congregat agnos
nomina nota vocans: audita voce sequuntur,
agnoscunt dominum, pulsantque balatibus auras,

atque avidi sumunt virides, quas attulit, herbas.
Intereá populus totas compleverat aedes,
ornatas nexis diversa ex fronde coronis.
serica per cunctas pendebant vela columnas;
perque arcus vicosque omnes adstabat utraque
parte favens vulgus, palmasque sinusque parabat.
consulis adventum summa tardantis in aula
exspectant, penduntque moras, causasque morarum
inquirunt, oculosque omnes ad regia tollunt
limina, processumque Augusti consulis optant.
haud secus ut Libyci terra sitiente coloni
nubila suspiciunt, moto cum fulgura caelo
prima micant crebroque tonans Notus implicat aethram
ruricolum siccos discurrit turba per agros
spe pluviae, mundantque locos, aditusque viarum
librant, et cursus omnes moderantur aquarum,
unde fluant liquidi per prata virentia rivi,
(cogit dura sitis), cumulosque arentis arenae
obiiciunt, pinguisque soli declivia claudunt.
Postquam opibus fidos consul ditavit alumnos,
Augusto nutu cunctos incedere iussit,
ut populis pia dona daret. praecepta facessunt.
tollitur in magnum divalis sella triumphum
mille ministrorum manibus, gratoque labori
submittunt humeros et loris fortibus aptant
electi iuvenes, aetas quibus omnibus una,
par habitus, par forma fuit, vestisque rubebat
concolor, atque auro lucebant cingula mundo.
incessit laetus praeclara in veste senatus,
pars trabeis pars compta togis, ut cuique probatus
ordo locum cultumque dabat. divina sequuntur
officia, et primis praeco clamoribus instat
omnibus imperitans sectis procedere turmis.
incedunt densae mixto lictore cohortes:
hinc armata manus dextram laevamque tuetur
Caesarei lateris; clipeis pia terga tegebat
ingens excubitus, protectorumque phalanges
fulgebant rutilo pilis splendentibus auro.

ipse autem consul sacro diademate fulgens,
ornatus trabea, gemmisque ostroque nitebat,
ore humerisque patens; et sacri luminis instar
illius aspectus gemmas vincebat et aurum,
angelicis oculis exaequans sidera caeli.
contigit ut sacrae felicia limina portae,
tramite qua recto mediam via ducit in urbem,
terruit incessu populos, oculisque refulsit
qualis ab Oceani liquidis sol aureus undis
splendentes mittit radios, rutilusque serenum
fundit ubique diem mundumque illuminat omnem
lucis honore suae. viso tunc consule plebes
plausibus adsurgunt et voces vocibus addunt.
sic bene quaesitas ut pullis porrigat escas,
mitis hirundo redit: postquam ad sua tecta videnda
garrula per patulas fuerit delata fenestras,
matris in adventum nido consurgit ab omni
turba loquax, flagitantque cibos, fidaeque parentis
oribus ora petunt, et apertis faucibus adstant:
illa sed impendens nidum circumspicit omnem,
distribuitque pias, ut cunctos nutriat, escas.
Sanxerat Augustus Sophiae cognomine templum,
Romanum princeps cum Iustinianus haberet
imperium, Christoque volens sua vota dicarat
mens Augusta, reor, iam non ignara futuri;
aut magis ignarum recto deus ordine duxit
ante futurorum quae sunt arcana bonorum
auspiciis sacrare piis. Theodora regebat
tempore quo sacram fundavit conditor arcem,
et Sophiae nomen nondum regnantis habere
arx meruit. sceptri fuerant ea signa futuri.
ingens mysterium, magna quod mole latebat,
perfectum patefecit opus: via lucida nostris
nunc facta est oculis; manifesta luce videmus
olim promissum caelesti munere regnum
Iustino Sophiaeque piis, patuitque quod ante
clausum erat, et nullis velamen visibus obstat.
rem Sophia dignam certo sapientia fecit:

instituit pulchrum, solidavit robore templum,
coepit, perfecit donisque ornavit et auxit.
iam Salomoniaci sileat descriptio templi;
cedant cunctorum miracula nota locorum.
inclita praeclarum duo sunt imitantia caelum,
consilio fundatà dei, venerabile templum
et Sophianarum splendentia tecta novarum,
principis haec, haec aula dei. deus illud utrumque
glorificavit opus, sed maiestatis honore
plus templum terroris habet: namque inde probatur
quod sit ubique deus praesens, simul omnia complens.
internis oculis illic pia cernitur esse
indivisa manens patris genitique potestas
spiritus et sancti. substantia creditur una,
tres sunt personae: subsistunt, nomina fulgent;
utque pater deus est, genitus deus aequus honore,
spiritus et sanctus pariter deus. ex tribus una
e caelo veniens mundi persona redemptrix
humani generis formam de virgine sumpsit.
sponte sua venit, factorque et conditor orbis
factus homo est, verusque deus non destitit esse;
natus, non factus; plenum de lumine lumen;
una in naturis exstans persona duabus;
consimilis deitate patri, hominique profecto
consimilis; sine peccato peccata relaxans,
plurima per populum faciens miracula Christus.
calcavit mortem moriens, vitamque resurgens
vita dedit cunctis in se credentibus: ipse
in caelum ascendens a dextris sedit honoris
aequaevi patris, iudex venturus in orbem
et regnum sine fine tenens. hunc mente fideli
regnator Iustinus amans, trabeatus ab aula
egrediens, templum primum sublime petivit
atque deo grates solita pietate peregit.
plurima votorum sacravit dona suorum,
immensoque pium ditavit munere templum.
obtulit et ceras. sed mitis voce petivit
cor humile, a dextraque dei benedictus abivit,

plus exaltatus, plus iustificatus in ipso,
quod se humilem, stans ante deum, veramque fatetur,
quam retinet pietate, fidem. cum diligit ipse,
diligitur: cum Christus amat rex magnus, amatur;
ipse regit reges, ipse et non subditur ulli.
Iustinus princeps hoc protectore quietus
imperat, hunc ipsum solum spe certus adorat.
  Ut pius expletis templorum limina votis
liquit, in ingentem spectandi consulis arcem
conscendit gaudens, et septus lumine sedit.
ante pedes domini, faciunt qui iussa, clientes
adstabant laeti; vultuque et veste nitebant
Romani populi patres sine semine facti.
patricius senio fulgens Calinicus honoro,
qui pater imperii meruit iam factus haberi
gratior, Augusti servans pia gaza sacelli:
namque illi moriens mox Iustinianus honores
contulerat, fidaeque prius narraverat auri
consilii secreta sui. "vocor" inquit, "alumne,
et properat suprema dies, iussuque creantis
a regnis in regna vehor. deus omne Latinum
Iustino dedit imperium: tu, fide, memento
verborum quae mando tibi. cum carne relicta
spiritus ascendens claram penetraverit arcem,
in medio procerum Iustini ad limina perge:
invitato virum, nolit licet ille subire.
sorte mea tristis renuet: consentiet istinc.
ne dubitare velis, nullus contemnere possit
terribilis praecepta dei. cognoscet amantes,
quos fidos habui: mihi qui nocuere, nocere
ipsi etiam facto simili tentare parabunt,
ut pereant iustasque suo dent sanguine poenas.
sed pietas Augusta malos castigat alumnos
consilii bonitate sui, dum perdere non vult
subiectum sibi quicquid erit: sic punit iniquas
carneveras animas, ut mortis poena
non maneat, breviusque luant. cruciant
praeteritura pati satis est: aeterna tremiscant

supplicia, inflictas timeant in saecula poenas.
ultio commissum lenit scelus. illa profecto
paucorum multis prosunt exempla malorum,
quorum post mortem nostrae monumenta perhorrent
et damnant leges. erit unius utile multis
exitium, cessantque doli, dum poena timetur.
legislatores statuit deus ipse per orbem."
haec animo retinens sincera mente fidelis
paruit, et domino meruit dilectus haberi.
nec non ensipotens, membrorum robore constans,
aspectu, mentis non a gravitate benignus,
adstabat Narses, sedemque ornabat herilem
splendida signa gerens. qualis pretiosus achates
aut medius fulvo Parius lapis enitet auro
artificis formante manu, sic luce coruscus,
sic animo placidus, miti sic gratior ore,
terga tegens domini claris fulgebat in armis.
affuit et sacrae domino gratissimus aulae
Tiberius, curasque omnes implebat et
implens offici
obsequiis instare suis tranquillus alumnos

IN CORIPPUM NOTAE.

PETRI MAZZUCCHELLII
IN IOHANNIDEM NOTAE.

Titulo codex caret, unde hunc mihi refingere opus fuit, ut feci etiam ad singulos libros.

Praef. v. 5. noster poëta de *Laudibus Iustini* 4 184: *littera rerum pars magna est.* Gifanius in *Observationibus in Ling. Lat.* notat *literas* usurpari *pro libris, historiis, monumentis*, citatque *Cicer. Act.* 4 *in Verrem: vetus haec est opinio, iudices, quae constat ex antiquissimis Graecorum literis ac monumentis.*

7. ms *noscet*. Ioh. L. de Bonis de Aretio, qui hosce versus inseruit cuidam suo carmini in codice Trivultiano sign. A 275, p. 37 habet *nosset*.

9. ms *palamedas*. in cit. carm. Ioh. L. de Bonis in mss Trivultianis A 274 et 275 legitur *pallamedeas*. Plinius H. N. 7 56 ait *ordinem exercitus* praeter alia invenisse Palamedem. ita est in omnibus, quos vidi, tum editis tum mss libris operis illius. Ambrosius autem Calepinus in suo *Dictionario* verbo *Palamedes* scriptum reliquit eum *ordinem aciei* invenisse, hancque vocem, *aciei* nempe, non *exercitus*, retinuerunt Facciolatus in recudendo *Calepini Dictionario*, et Forcellinus in novo adornando *Totius Latinitatis Lexico*, quin ullam redderent rationem cur neglexerint lectionem Plinii vulgatam, sequerenturque illam quam Calepinus fortasse invenit in aliquo antiquo codice, et quam fortasse prae oculis habuit etiam noster poëta.

11. *Smyrnaeus vates*. sic vocatur Homerus etiam infra 1 175, ut vocatus fuerat a Lucano 9 984, qui ait: *quantum Smyrnaei durabunt vatis honores.*

17. *sim*. dubia est haec vox in codice, ubi potius est *sum* quam *sim*.

21. *cantus*. de Bonis in citt. codd. habet *cantum*.

25. ex hoc loco et ex 2 336 coniicere licet auctorem scripsisse prius Bucolica carmina, ut Virgilius; de quibus nemo adhuc meminit.

Lib. 1 v. 3. *Libycas* retinui, uti est in codice Trivultiano, quia eadem voce usus est pluries auctor noster in aliis carminibus editis, ubi unica vice legitur primitiva eius vox *Libya*.

ib. *et.* in citato codice Budensi sic Cuspinianus legit *et*, pro quo codex noster habet *ac*. attamen exscriptor codicis, quem fuisse Iohannem L. de Bonis de Aretio probo in *praefatione*, in sua *Romulea* 2 131 et 3 400, ubi hunc et praecedentem versum nec non quinque subsequentes versus suos fecit, retinuit *et*.

7. codex noster habet *fatta*, quod alibi est etiam pro *facta*. imo in *Romulea* 2 136 videtur esse *facta*.

8. ms prius habebat *Oneades*; sed ex *O* aliquo modo effectum est postea *E*, ut legatur *Eneades*.

10. ms *pinis*, ex qua voce feci *pinnis* pro *alis*; út Cic. *de Divin.* 1 47: *hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem.* alii tamen ibidem malunt legere *pennis*; et ita fortasse legendum est in hoc versu: nam auctor *de Laud. Iustini* 3 201 de victoria pariter cecinit: *altius erectis pendebat in aëra pennis*. imo et famae Corippus pennas tribuit pro *alis* ibidem 1 298.

13. *geminis amplexa lacertis*. haec ex Psalmo 84 11, ubi in Vulgata editione legitur: *iustitia et pax osculatae sunt se*, sed in antiqua versione Itala, qua certe utebatur Corippus, ut etiam est adhuc in psalterio Ambrosiano, erat: *iustitia et pax complexae sunt se*. vide et apud Sabatier versionem antiquam, et quotquot illam secuti sunt ex veteribus scriptoribus ecclesiasticis.

15. etsi, utpote ex *Iustino* derivatum, *Iustiniani* nomen producendum foret in secunda syllaba, attamen eandem syllabam semper corripit auctor noster etiam in poëmate *de Laud. Iustini*. ea de re erudite adnotavit Barthius apud Corippum Fogginii p. 312—3.

22. post hunc versum deest in codice folium, quod continere debebat versus 62, quia subsequentes paginae constant plerumque versibus 31.

26. confer *de Laud. Iust.* 2 224, qui desinit: *summisque laboribus aptam*. libro autem 3 128—9 occurrit *summis laudibus*.

32. *vatibus*, nempe *episcopis* sive *sacerdotibus*. etsi apud Forcellinum desit haec significatio, attamen ea usus est auctor epitaphii Iohannis 2 papae, qui decessit a. 535, apud Baron. in *Annalibus* ad eundem annum, et apud Du Cange in *Glossario*, ubi alia proferuntur huiusmodi exempla. quinimo Ennodius, qui obierat a. 521, *vates* episcopos praecipue Mediolani passim vocat in suis carminibus. vide Oltrocchi *Histor. Ligust.* p. 144, 208, 242, 251 et 210. videsis etiam *Hierolex.* Macri verbo *Vates*.

43. Virg. *Aen.* 8 557: *it timor.*

48. *pectore curas* Virg. *Aen.* 1 227, 4 248, 5 711.

54. *concurrere* Virg. *Aen.* 1 493 et 10 8.

55. an *infestas?* Virg. *Aen.* 11 899: *ingruere infensos hostes.* alii tamen ibi legunt *infestos.*

60. Virg. *Georg.* 4 522: *discerptum latos iuvenem sparsere per agros.* reposui *Nitsibis*, ut est mox infra v. 65. ea est urbs clara Mesopotamiae in confiniis Persiae, alias vocata *Nisibis* vel *Nesibis*, ut observat Cellarius in *Not. orbis antiqui* 3 15 t. 2 p. 734 edit. Lips. 1705, et Le Quien in *Oriente Christiano* t. 2 p. 995—6. cum autem posterior hic scriptor asserat quod *nomen eius Hebraice et Syriace praesidiariam stationem significat*, videtur Corippus propius accessisse ad Orientalium pronuntiationem in scribendo eodem nomine. Hebraice etenim *Netzib* idem est ac *statio, praesidium, castra*, in *Lexico Hebraico* Zanolini p. 294; *statio, stationarii milites, praesidium militum in uno quodam peculiari loco positorum*, in *Lexico linguae Hebraicae* Iac. Gussetii p. 1005 edit. secundae Lips. 1743; item *statio et praesidium militum* in Io. Christ. Clodii *Lexico Hebraico selecto in Supplementum lexici Gussetiani* Lips. 1744 p. 343. imo in *Lexico Heptaglotto* Castelli col. 2376 Chaldaice Netzibin vocatur eadem urbs Mesopotamiae, atque Arabice *Natzibin.* confer etiam Giggei *Thesaur. linguae Arabicae* vol. 4 col. 646; et Greg. Abul-Pharag. *Hist. dynastiarum* edit. ab Edu. Pocockio Oxoniae 1663 p. 223 et alibi, ut ex Indice. item in Ioh. Simonis *Onomastico Veteris Testamenti* Sect. 2 c. 6 p. 64 haec leguntur: *Netzibh statio militum, praesidium, urbs in tribu Iuda, Ios.* 15 43. *eiusdem sensus est profanorum Nisibis*, id est Netzibin, *stationes militares, praesidia; vid. doctiss. Schultensii index ad vitam Saladini sub voce Nisibis.* de iis quae ibidem gesta sunt sub Iustiniano iuvat audire Procopium *Hist. Arc.* c. 2 et *de bello Pers.* 2 18. hic tamen Iohannem potius victum ad Nisibin quam victorem nobis repraesentat. sed eidem cordi fuisse ea narrare quae gessit Belisarius, cuius a secretis fuerat quique praeerat tunc illi expeditioni, est dicendum, nec omnia singillatim prosecutum fuisse quae duces inferiores praestiterunt, nisi mavis et hic Procopium incusare de fide Graeca vel de negligentia in historiis suis texendis, ut fecit Oltrocchius in *Hist. Ligust. ecclesiae Mediolan.* p. 296 et seqq., item p. 304 nota (*), p. 308 et seqq., et p. 329. nos alibi videbimus ex hoc poëmate plura suppleri posse ad Procopii historias.

70. ms *Theodosio ypolin*, sed prius pro postrema littera *n* erat *m*. imitatus est Corippus Claudianum, apud quem *Theodosius* vel *Theudosius* (unde est *Theodosiopolis* vel *Theudosiopolis*) est quadrisyllabus incipiens a diphthongo *Theo* vel *Theu.* vide Claudiani Carmen 3 52, 15 216, 22 52 et 422, et 29 98.

nota quod a Procopio aliisque Graecis scriptoribus nomen illius urbis est Θεοδοσίου πόλις. vide et apud Le Quien, ut et Ἰουστίνου πόλις, Κωνσταντίνου πόλις, Φιλίππου πόλις, et alia plura huiusmodi urbium nomina. duplicem Theodosiopolin memorat Procopius: unam nempe dicit *de Aedif.* 2 2 opp. t. 2 p. 32, parum distantem ab urbe Dara in Mesopotamia, et c. 5 p. 37 ad flumen Aborrham sitam; alteram vero in Armenia fuisse monstrat ib. 3 c. 1 p. 52 et c. 5 p. 58 et seq.; utramque autem Iustinianum munivisse muris contra incursiones Persarum. imo *de bello Pers.* 1 10 ait Daram in Mesopotamia et Theodosiopolin in Armenia ad Persarmeniae fines fuisse duo propugnacula ad Persas infestandos commodissima. saepe memorat Procopius praecipue hanc urbem in libris *de bello Persico,* sed obsidionem eius, quam nobis nunc aperit Corippus, praetermisit. fortasse eam tacite innuit 1 c. 15.

75. de hoc Persarum duce vide Procopium passim utroque in libro *de bello Pers.* et *de bello Goth.* 4, ubi Graece est Μερμερόης. eum obsedisse Martyropolin et Archaeopolin, et accepta clade utramque obsidionem solvisse, narrat Procopius *de bello Pers.* 1 21 et *de bello Goth.* 4 14, rursusque frustra obsedisse Archaeopolin legitur ib. c. 17 p. 614. sed de obsidione Theodosiopolis nihil reperitur apud Procopium, ut iam monui.

76. *cingebat moenia muro.* Virg. *Aen.* 6 499 et 4 88.

77. imperitus librarius ex *d* fecit *cl,* quod mendi genus saepe occurrit, ut monet Casaubonus in *Commentar. ad Theophrasti Charact.* 4 p. 71 ed. Lugd. 1603 vel p. 59 ed. Coburg. 1763. *Daras* est urbs munitissima prope Nisibin. vide Procopium *de bello Pers.* utroque in libro passim et alibi. apud eundem Graece semper est *Daras* nomen indeclinabile, etsi in versione sua Maltretus fecerit *Dara, Darae.* ib. 1 13 et seq. describitur praelium memorabile sub moenibus Darae cum ingenti Persarum clade. Romanis praeerat Belisarius, Persis autem non Mermeroës sed Peroze Mirrhanes.

84. Ovid. *Met.* 5 89 et 12 595: *concurrere comminus hosti.*

89. Sanavi, ut potui, hunc versum, et sensum: sed fortasse excidit hic pars duorum versuum, et utriusque versus pars tantum est servata. pro *perfusa* feci *effusa* secutus Virg. *Aen.* 6 305 et 7 812—3.

91. Virg. *Aen.* 9 463: *aeratasque acies in proelia cogit quisque suas.* ubi alii tamen legunt *suos.*

92. *indecus.* sic in codice; ubi, nisi malueris corrigere *indicus,* erit *indecus* vox addenda lexicis Latinis, et eadem fortasse ac *indecor,* nempe *inglorius,* ut apud Stat. Theb. 9 108 *patuitque inglorius ensis.*

ib. harenis. saepe adspirationem admittit haec vox in nostro codice, et ego eam retinui ubicunque exstat, etsi sciam

reiici a Cellario fulto auctoritate Servii, a quibus tamen dissentit Manutius cum Charisio.

93. ms *aste*, absque spiritu, ut frequenter in hoc codice et etiam in aliquibus inscriptionibus apud Reinesium et Gruterum teste Forcellino. hanc tamen rationem scribendi eam vocem non duxi sequendam esse: nam Italo homini seculi 14, qui fere omnes diphthongos etiam omisit, facilius fuit negligere literam *h* quam illam addere. re vera videbimus infra omissam fuisse pluribus aliis in vocibus, quae absque adspiratione nusquam reperiuntur.

98. Mermeroën victum bis a Romanis non longe a Theodosiopoli narrat Procopius *de bello Pers.* 1 15; et alibi describit clades, quas accepit exercitus eius a Romanis duobus in libris *de bello Pers.*, et 4 *de bello Goth.* sed de illius captivitate nihil reperi ibidem.

99. verbo *benedico* cum accusativo usus est Apuleius, quem citat Forcellinus, et Corippus noster etiam *de Laud. Iust.* 2 161.

100. Plautus *Mil. glor.* 4 2 64: *urbicape, occisor regum.* ita πολιορκητὴς apud Athen. 6 c. 13 p. 252 ed. Lugd. 1652 vocatur Demetrius Antigoni filius, Macedoniae rex, ob multas urbes a se expugnatas.

ib. maximus orbis. etiam *de Laud. Iust.* 1 214 et 2 145 desinunt pariter.

101. *de Laud. Iust.* 1 355: *Iustinianus apex;* et Ammian. Marcell. 21 16 (al. 32) *imperiale culmen.*

103. *discrimina belli.* sic desinit *de Laud. Iust.* 3 95.

108. *post tempora de Laud. Iust.* 2 352.

112. sic desinit Virg. *Aen.* 5 381.

114. *finis ... hostis.* saepe occurrit in codice nostro huiusmodi terminatio accusativi pluralis tertiae; de qua Priscianus ita tradit: *quorum primus et secundus casus singulari numero sint similes, eorum quartum plurali plerumque veteres in is longum, non in es, qui suetus exitus est, formasse.* e. c. *Sallustii principium: omnis homines niti decet. Aen.* 4 427: *cinerem manisve revelli.* et 9 60: *nervos perpessus et imbris.* et sic ubique apud *Virgilium.*

115. *occiduas* dicit auctor, quia Cpolis, etsi nobis est ad orientem, redeunti Iohanni e Perside erat ad occidentem.

117. sic *de Laud. Iust.* 3 244 *Romana palatia* vocat auctor ea quae Cpoli exstabant, quam urbem iisdem in libris semper appellat *Novam Romam.*

119—20. ita *de Laud. Iust.* 1 158. v. in hunc versum Barth. et ib. Rittershusium, qui plura congesserunt de ritu osculandi pedes imperatorum. vide etiam Indicem v. *oscula.*

123. v. supra ad v. 101.

139. ex *Canticis Canticorum* 2 14 videtur petita haec phrasis, ubi legitur: *sonet vox tua in auribus meis.*

144. ms hic habet *Languentanque*, infra 467 *Laguantan*, 4 48 *Laguantaque*, 85 et 7 474 *Lauguantan*, item 4 629 *Languatan* in textu et *languantan* in margine, 797 *ilaguaten*, 815 et 7 434 et 501 *languatan*, 5 166 *illaguatensis*, 6 535 *laguantan*, et 7 501 *lauguatan*. quare rectius puto esse *Languantan*: sic enim est etiam in margine ad 4 629, ut supra iam monui. hi procul dubio sunt illi barbari Mauri conterminі Tripolitanae provinciae, quos Procopius vocat modo *Λευαθαὶ Leuathae*, ut *Hist. Arc.* c. 5 Opp. t. 2 p. 18, modo *Λευκαθαὶ Leucathae*, ut *de Aedif.* 6 4 p. 112 et *de bello Vand.* 2 21, item c. 28, modo autem *Λεβάνθαι Lebanthae* vel potius *Leuanthae*, ex *Lenguantan* vel *Languantan* derivatum; nam Iustiniani aevo iam *β* Graecorum sonabat ut *v* Latinum consonans, vel etiam ut *gu* aut duplex *vv* barbararum nationum. ideo apud eundem Procopium *Vandali* semper per *β* hoc modo exprimuntur *βάνδιλοι*. Maltretus in *indice ad* Procopii *libros de bellis* verbo *Lebanthae* nos admonet *fortasse eosdem esse eos cum Leucathis*. causam eorum defectionis a Romanis, quibuscum prius se adiunxerant ob delendum regnum Vandalorum, nobis aperit idem Procopius fuse *de bello Vand.* 2 21, et perstringit l. cit. *Historiae Arcanae*. haec autem contigerunt anno 17 imperii Iustiniani, ut notat idem auctor *de bello Vand.* 2 21, qui annus respondet anno Christi 543.

145. in *Dedic. Laud. Iust.* 34 desinit: *subiectaque ponere colla.*

149. feci *domitare*, ut versus complerem mensuram non sine exemplo auctoris nostri, qui *de laud. Iust.* 3 140 finit: *duros domitare tyrannos.* hoc loci et alibi persaepe prae oculis habet noster poëta celebrem illum Virg. *Aen.* 6 853. v. infra 2 368.

152. recole Psalm. 90 2: *in manibus portabunt te.* fortasse pro *gubernet*, ut est in codice, legendum erit *gubernans.*

153. fortasse legendum erit *ut titulis.* nota hic *prosperitatem* esse pro *favore*, quem sensum non exponunt lexicographi Latini, etsi iidem adnotarunt *prosper* vel *prosperus* idem esse ac *favorevole* Italice, id est *favens*, ut est apud Forcellinum; unde sicut ex *faveo* provenit *favor*, ita ex *prospero* vel *prosper* potuit effici *prosperitas* pro *favore*. v. etiam infra 406, ubi rursus occurrit *prosperitate dei* pro *dei favore.*

154. etiam *videamus* non satis clare expressum est in codice. adverbio *rite* usus est auctor etiam *de laud. Iust.* 1 338.

155. v. supra ad 119.

159. *hortatur ovantes* Virg. *Aen.* 11 13.

161. Virg. *Aen.* 7 28: *in lento luctantur marmore tonsae.*

162. *urguent.* sic legebatur prius in codice, hic ut alibi, sed inde effectum fuit *urgent.*

165. *alta* Virg. *Georg.* 1 142, *Aen.* 2 203 et 10 687.

168. Virg. *Aen.* 9 122: *aeratae steterant ad litora prorae.*

178. Virg. *Aen.* 2 300: *arboribusque obtecta recessit.*

180. *Demoleum* Virg. *Aen.* 5 260.

181. fortasse est legendum *profugus,* ut habet Ioh. L. de Bonis exscriptor codicis in sua *Ecloga* 10, quae inscribitur *Mors,* v. 106, ubi plures ex hisce versibus intulit. a Virgilio etiam *profugus* dicitur Aeneas *Aen.* 1 2.

186. Virg. *Aen.* 1 493: *nigri Memnonis arma.*

188. *bellatrix Penthesilea* Virg. *Aen.* 1 495.

189. *Rhesus* Virg. *Aen.* 1 473.

190. in *Ecl.* 10 Ioh. L. de Bonis sic etiam incipit hic versus ibi 120. *Troilusque usque* Virg. *Aen.* 1 478.

191. *victor* dicitur *Achilles* a Virg. *Aen.* 6 168, et ab Horatio 4 6 3—4. de illius morte Virg. *Aen.* 6 56—8.

193. sic etiam legitur apud Ioh. L. de Bonis *Ecl.* 10 123 in utroque codice. an *exustae?* Virg. *Aen.* 2 555 dixit *Troiam incensam,* et 7 295: *num incensa cremavit Troia viros?* imo quinque aliis in locis *incensam* eandem urbem dixit.

196. *per vada caerula* Virg. *Aen.* 7 198.

197. ms *narrantis,* quod poteram tueri auctoritate Sosipatri Charisii 1, qui regulam a Prisciano traditam, quam vide paulo supra ad v. 114, transfert etiam ad alia nomina tertiae declinationis, quae crescunt genitivo.

198. *audiit* Virg. *Aen.* 8 516.

202—3. cf. Alemannum in notis ad Procopii *Historiam Arcanam* ed. Lugd. p. 69 vel Paris. p. 139, ubi *inter parentes Iustiniani imp.* n. 39 stemmatis eiusdem adest *Iohannes* (idem ac noster) *Vitaliani consulis nepos, Iustinae Germani filiae maritus.* haec autem Iustina vocari merito potuit *filia regis* a nostro poëta, utpote Germani filia, qui fuit Iustiniani Augusti ex fratre nepos: iuxta illud Servii ad Virgilii *Ecl.* 3 106: *regum nomina, non quoniam ipsi* (Hyacinthus et Aiax) *reges fuerunt, sed quia regum filii, ut "magnum reginae sed enim miseratus amorem," cum de Ariadne diceret Pasiphaës reginae filia.* confer etiam praefationem nostram, ubi de Iohanne poëmatis heroë disseruimus. videatur praeterea *Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis auctore Du Cange* ex ed. monach. S. Mauri, et *Glossar. novum* Carpentier verbo: *Rex, Reges filii regum.*

204. *pertentant gaudia mentem* Virg. *Aen.* 5 828 et 1 506.

206. *mare velivolum* Virg. *Aen.* 1 228.

207. *spes altera* Virg. *Aen.* 12 168.

208. *labitur* Virg. *Aen.* 8 91.

209. mare Adriacum etiam Ionium ab antiquis vocabatur, vel hoc pars erat illius: unde intelligimus quomodo divus Paulus ex Creta *navigans in Adria* (*Act.* 27 27) appulit Melitam insulam prope Siciliam, non vero, ut aliqui volunt, Melitam alteram vulgo nunc *Meleda* in sinu Adriatico sitam. imo Procopius ipse *de bello Vand.* 1 14 Adriaticum mare usque ad Tyrrhenum extendit. videndi sunt circa hanc quaestionem diu agitatam Christoph. Cellarius *Dissert. de amoenitatibus historicis et geographicis ex itineribus D. Pauli Ap. collectis* n. 26. in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* Ugolini t. 7 p. 1197; Car. Iosephus a S. Floriano *Navigazione dell' Apostolo Paolo da Cesarea a Malta* in *Raccolta Milanese dell' anno* 1756 fo. 25 26 et 27, iterumque edita Mediolani 1757 in calce ad eiusdem auctoris *Fondazione della Chiesa d' Aquileja;* et Agius de Soldanis *Discorso apologetico contro la dissertazione descritta dal Ladvocat intorno il naufragio di S. Paolo con una lettera contra le opere composte dal Sig. Ab. Sciuliaga* Venetiis 1758, ubi p. 2 et 3 recensentur plures alii auctores, qui pugnarunt pro Melita Sicula. quibus adiiciendus est etiam liber Venetiis editus anno 1763, sic inscriptus: *Critica de' critici moderni, che dall' anno* 1730 *infino al* 1760 *scrissero sulla controversia del naufragio di S. Paolo Apostolo, descritto ne' capi* 27 *e* 28 *degli Atti Apostolici: diretta a Filalete Epifane da Nonio Catiniano Gravanti.* pro Melita autem Illyrici scripserunt, praeter citatum Ladvocat, Ign. Georgius opus, cui titulus: *D. Paulus Apostolus in mari, quod nunc Venetus sinus dicitur, naufragus, et Melitae Dalmatensis insulae post naufragium hospes. Venetiis* 1730. et Steph. Sciuliaga citatus pluribus opusculis tum Italice tum Latine editis.

210. *alta secat* Virg. *Aen.* 10 687.

ib. Virg. *Aen.* 3 410: *Siculae se admoverit orae.* cf. Corippus *de laud. Iust.* 1 197, 3 1, 4 248. haec congessi auctoris nostri exempla eiusdem vocis, quia in codice nostro vox *contigit* non est adeo clara. fortasse prius erat *attigit,* quod correctum videtur fuisse ab ipso exscriptore codicis in *contigit.*

211. *omne.* scias oportet hanc vocem non satis claram apparere in codice, ubi saltem de postrema littera *e* nequit dubitari.

213. *Scyllaeque biformis* Virg. *Aen.* 6 286.

216. ms. *alterne,* quia semper negligit diphthongos. puto hic esse *alternae* poëtice pro *utriusque,* ut apud Statium Silv. 1 3 25: *nec te mitissimus amnis dividit: alternas servant praetoria ripas.*

218. Virg. *Aen.* 3 420: *implacata Charybdis.*

219. Virg. *Aen.* 3 422 de Charybdi agens subiungit: *sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras erigit alternos.*

225. v. supra 159 et notam in eundem.

229. de portu *Caucana* in Sicilia vide Procopium *de bello Vand.* 1 14, ubi narrat eodem in portu stetisse etiam classem Belisarii, cum in Africam proficisceretur. confer etiam *Historiam Miscellam* 16 ap. Murator. *Rerum Italic. Scriptores* t. 1 p. 105, et Cluverii *Siciliam antiq.* 1 14 p. 190 et seq. ed. vet. et p. 223 ed. novae in *Thesauro Antiquit. et Histor. Siciliae* Graevii et Burmani t. 1. in quantitate vocis *Sicana* secutus est Corippus Ausonium, qui in *Gripho* v. 46 priores syllabas produxit.

231. de aquilae rostro Claudianus ait *de bello Gildon.*, 470, *morsu partitur obunco*.

232. Virg. *Aen.* 3 285: *hiems aquilonibus asperat undas.*

233. poteram corrigere *tetra*, ut dixit Cic. *pro lege Agrar.* Or. 2 c. 17: *tetrae tenebrae et caligo.* sed pro *tetram* est Lucanus 4 172: *tetra nimborum nocte coorta.*

257. v. supra ad v. 233.

258. S. Cyprianus fortasse est ille, qui hic apparet Iohanni, cum de eodem S. antistite Carthaginiensi et martyre haec etiam Prudentius cecinerit *Peristeph.* Hymn. 12 99: *tenet ille regna caeli, nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe.* imo Procopius ipse *de bello Vand.* 1 21 narrat profanatione templi eidem martyri sacro per Arianos Vandalos peracta (versione utor Claudii Maltreti) *maestis et animi dubiis Afris Cyprianum saepe visum in somnis dixisse, ne sua causa Christianos haberet solicitos: futurum enim tempus, cum ipse factam sibi iniuriam ulcisceretur.* de variis apparitionibus huiusce sancti vide *Acta Sanctorum Septembris* t. 4 p. 334 et seqq. fateor tamen potuisse poëtam innuere S. Laetum episcopum Neptitanum et martyrem, de quo Victor Tunonensis in *Chronico* ad ann. Christi 534 haec reliquit: *Iustiniano IV cos. Iustinianus imp. visitatione Laeti episcopi ab Hunerico Vandalorum rege martyris facti, exercitum in Africam, Belisario magistro militum duce, contra Vandalos mittit.* Iohannes autem Limpenus de eodem sancto agens int. *Acta Sanct. Sept.* t. 2 p. 682, sub die 6 eiusdem mensis, post relata verba Tunonensis eam apparitionem refellit, haec subdens: *similia ex eiusdem Victoris chronico haud dubie accepta leguntur apud S. Isidorum Hispalensem in Historia Vandalorum. at utroque antiquior Procopius Caesariensis, qui Cpoli degebat, cum bellum adversus Vandalos Iustinianus anno Christi 533 susciperet, episcopum quendam dei monitu ex Oriente illum advenisse asserit, cuius exhortatione incitatus imperator bellum istud decreverit.* subinde recitat quae Procopius narrat hac super re *de bello Vand.* 1 10, et concludit: *sed imperatorem istum ad Vandalos debellandos inductum fuisse visitatione Laeti episcopi, ut Victor Tunonensis scribit, tuto credi nequit, nisi Procopii adversantis gravior auctoritas elevetur.* equi-

dem hoc in casu Procopii auctoritas praeferri debet illi Victoris, cuius etiam fidem suspectam merito reddit mihi Oltrocchius in *Hist. ecclesiae Mediolan. Ligust.* p. 329, ubi illum Graecae hunc Punicae fidei scriptorem vocat.

262. *haec* addidi ex Virg. *Aen.* 2 593 et 7 451.

266. *virque dei.* sic vocantur tum Angelus, qui apparuit matri Sampsonis *Iud.* 13 6 et 8, tum Samuel *Reg.* 1 9 6 et seqq., nec non alii prophetae vel sancti passim in sacris Bibliis et apud scriptores ecclesiasticos.

267. *mente benigna.* sic erat prius etiam in codice; sed a prima manu factum est postmodum *benignus.* pro lectione, quam praetuli, est Virg. *Aen.* 1 308.

270. ms *lampadis ignis*, quam lectionem tueri potes sumendo *ignis* pro *ignes*; sed *lampades ignis* habent etiam sacra Biblia, ut *Cant.* 13 6 et *Mac.* 1 6 39, nusquam vero reperi *lampadis ignes.* rursus post hunc versum, cum hic etiam periisset folium respondens alteri, de quo iam supra memini ad v. 22, desunt circiter alii 62 versus, vel paulo plures; nam folia antecedentia totidem constant versibus, et subsequens continet versus 65, nempe 32 in priori pagina, et 33 pagina versa.

279. Virg. *Aen.* 1 512: *sorte trahebat.*

289. Claudianus *de* 3 *consul. Honorii* carm. 7 97: *cui militat aether.*

290. Virg. *Georg.* 1 324: *ruit arduus aether.* *Aen.* 8 239 iuxta aliquos: *maximus intonat aether* et 10 102: *silet arduus aether.*

291. Lucret. 5 77: *ruet moles et machina mundi.*

300. clare est in codice *tu*, sed sequens vox, quae fuit a prima manu correcta, est valde dubia. fortasse ex *scis* effectum est *sum.*

301. an *parens?* sed pro lectione codicis est Virg. *Georg.* 1 18: *adsis, o Tegeaee, favens.*

302. *succurre.* Virg. *Aen.* 9 290 et 404. imo auctor noster infra 6 108.

306. Virg. *Aen.* 2 774 et 3 48: *vox faucibus haesit.* item 4 280 et 12 868.

309. *ad sidera tollit* Virg. *Aen.* 2 222.

310. *de laud. Iust.* 1 154: *talibus orabat* cet.

311. an *suscipiens?* v. 6 108.

ib. apud Gell. 16 11 *validus* vocatur *ventus*, ut et in sacris litteris Matth. *evang.* 14 30: *videns vero ventum validum*, et Iac. *epist.* 3 4: *ecce et naves, cum magnae sint et a validis ventis minentur.*

312. Matth. 8 26: *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna*; et Luc. 8 25: *et ventis et mari imperat, et obediunt ei.*

312. adieci *frangi* ad complementum versus ex Claud. *de raptu Proserp.* 1 75: *et fractae redeunt in claustra procellae.*

313. Virg. *Georg.* 1 397: *tenuia nec lanae per caelum vellera ferri.* quod Forcellinus in *Lexico* explicat: *hoc est nubes vellerum instar.* sic Lucan. 4 124: *et par Phoebus aquis densas in vellera nubes sparserat.*

324. puto poëtam *Martis harenas* vocavisse *Africam* vel propter bella fere continua ibi habita a Romanis, vel propter bellicosum populum Africam incolentem. idcirco narrant, qui de origine Carthaginis scripserunt, inventum fuisse caput equi, qui Marti est sacer, in eius fundamentis. idem caput exhibent antiqui nummi illius urbis, quorum plures aurei argentei et aerei exstant etiam in museo Trivultio.

336. nota quod Virgilius octies incipit versum ex hisce vocibus *haud aliter*, nempe *Aen.* 4 256, 5 592, 9 554 et 797, 10 360 et 716, 11 757, et 12 723.

338. Iuvencus *Prooem.* 23: *flammivoma descendens nube coruscans iudex.*

ib. Claudian. *de magnete* carm. 48 52: *tu magnum superas fulmen.* ibi Pyrrhus interpres ait: *tu vincis summum fulmen.*

348. Virg. *Aen.* 6 3: *obvertunt pelago proras.* et 7 35: *terraeque advertere proras imperat, et laetus fluvio succedit opaco.*

349. Virg. *Aen.* 5 34: *et tandem laeti notae advertuntur arenae.*

350. v. Procop. *de bello Vand.* 2 28.

352. fortasse compendium ē fuit scriptum pro consimili c̄. illud autem usurpatum semper fuit pro *est*, istud vero pro *con*. Virg. *Georg.* 1 360: *iam sibi tum curvis male temperat unda carinis. Aen.* 2 23: *et statio malefida carinis.* et 179: *et curvis secum advexere carinis.*

353. *vada salsa* Virg. *Aen.* 5 158.

367. Belisarium Africam appulisse nos docet Paulus diaconus libro 18 superaddito *Historiae* Eutropii, ubi ait quod Iustinianus per Belisarium *Vandalorum gentem, capto eorum rege Gilimere, usque ad internecionem delevit, Africamque totam post annos* 96 *imperio Romano restituit.* sed res praeclare gestas annis 533 et 34 a Belisario fusius descripsit Procopius (qui eum secutus fuerat in illa expeditione, utpote illius a secretis) libris duobus *de bello Vandalico* inscriptis.

369. *Caput Vadorum.* Procopio *de bello Vand.* 1 14. *Capuduada.*

373. *ancora morsu* Virg. *Aen.* 1 173.

381. Procopius, qui huius postremi regis Vandalorum hi-

storiam fuse narrat *de bello Vand.* 1 9—2 9, Graece eius nomen scribit *Γελίμερ*. apud Paulum diaconum vocatur *Gilimeres*, et *Gelimeres* passim apud alios scriptores; sed *Geilimer* est in *Chronico* Victoris Tunonensis ad annum 534. in nostro autem codice semper est *Geilamir*, quod rectius puto: nam etiam eius numus argenteus parvi moduli (quinarium vocant) exstat cum epigraphe *D. N. R.* vel *Rex Geilamir* circa eius caput diademate cinctum, cum paludamento ad pectus. vide Mionnet opere Gallice inscripto *De la rareté et du prix des médailles Romaines*, p. 499. de eodem Geilamir vide etiam infra 3 17. is per vim regnum Vandalicum in Africa occupavit exauctorato Hilderico et in custodiam tradito anno 530, ac postmodum vita orbato anno 533, cum Belisarius in Vandalos bellum gereret, a quo tandem superatus et captivus ductus fuit Cpolim anno 534.

383. Ovid. *Met.* 1 13: *nec brachia longo margine porrexit Amphitrite.* Stat. *Theb.* 3 407: *solverat Hesperii devexo margine ponti.* cf. Procop. *de bello Vand.* 1 15.

390. Ammian. Marcell. 25 3 (al. 11): *Anatolium quaesivit officiorum magistrum; quem cum beatum fuisse Sallustius respondisset, praefectus intellexit occisum.* hic germanus Iohannis vocatur Pappus a Procopio, qui eiusdem meminit non semel in libris *de bello Vand.*, nempe 1 11, 2 3 et 17 et 28. hinc constat Iohannem Pappi fratrem eundem esse ac Iohannem Dyrrachinum, atque virum Iustinae filiae Germani, ut innui ad v. 203 huiusce libri.

399. *genitoris imago* Virg. *Aen.* 2 560.

400. ms *lampus*, unde feci *Pampus*, ut magis accederem ad Procopium, qui eum vocat *Pappum*. in expeditione Africana Belisarii fuit ille Pappus, Iohannis nostri frater, unus ex ductoribus equitum Romanorum, ut constat ex locis relatis in nota ad v. 390; ubi tamen de extremo eius fato nihil reperi.

401. Virg. *Aen.* 7 773: *Stygias detrusit ad undas.*

406. v. supra ad v. 153, ubi innui *prosperitatem* sumi a nostro poëta pro *favore*.

412. Virg. *Aen.* 4 525: *tacet omnis ager.*

415. *Tyrios muros*, nempe Carthaginis, ut Virg. *Aen.* 1 24 *Tyrias arces* et 344 393 et 572 *Tyriam urbem* dixit Carthaginem. imo 4 224 aperte legitur *Tyria Carthagine*.

420. *incitat iram* Virg. *Aen.* 11 728.

422. *excita iuventus* Lucan. 1 239.

424. Virg. *Aen.* 7 513: *cornuque recurvo.*

425. Lucretius 2 623: *raucisonoque minantur cornua cantu*, et 5 1084: *raucisonos cantus.*

426. *erumpunt portis* Virg. *Georg.* 4 78.

429. *mille viis* Virg. *Aen.* 5 590.

ib. ms *cursuque*, quod non congruit cum iis quae sunt in

superiori versu: *peditum pars lenta movetur.* quare correxi ex Virg. *Aen.* 7 722 et 12 445.

433. *concitus ira* Virg. *Aen.* 9 694.

434. Virg. *Georg.* 4 168 et *Aen.* 1 435: *ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.*

437. Virg. *Aen.* 12 590: *magnisque acuunt stridoribus iras.* cf. ib. v. 108: *Aeneas acuit Martem.*

438. *haud secus*: sic Virgilius incipit *Aen.* 2 382, 4 447, 8 414, 11 814 et 12 9 et 124.

440. Virg. *Aen.* 7 703 et 9 463 dixit *aeratas acies.* Poteram corrigere *armatis*, ut feci infra 2 33; sed hoc loci praetuli *aeratis* ob subsequens *horrescit*, ut Virg. *Aen.* 7 526: *horrescit strictis seges ensibus aeraque fulgent.*

441—2. Virg. *Aen.* 4 149: *tela sonant humeris*, et 9 725: *obnixus latis humeris.*

443. in citato poëmate Ioh. L. De Bonis 1 170 legitur sic hic versus immutatus: *et galee summoque micant in vertice criste.* cf. Virg. *Aen.* 3 467, 6 779, et 12 88 et 431.

444. citato in poëmate 1 171 sic legitur: *volvitur obscurus densa caligine pulvis.* cf. Virg. *Aen.* 11 876.

445. quinquies usus est etiam Virg. adverbio *assidue.*

447. Virg. *Aen.* 2 479, 7 783 et 12 579 incipit pariter: *ipse inter primos.* Plin. *H. N.* 2 107: *milites ad ultionem exhortanti.*

449. de pugnis in Perside gestis a Iohanne vide supra v. 58 et seqq. et notas in eadem loca.

450. Silius 1 55: *iuvenum facta ad mavortia flammat.*

451. *Martis opus* Virg. *Aen.* 8 516.

452. Prud. *in Symmach.* 1 576: *gentilesque nugae.*

454. Virg. *Aen.* 5 709: *quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.*

461. *Antonia castra* ignota fuere vel ipsi Cellario, qui tantum recenset in Africa *castra Cornelia* prope Carthaginem p. 153, et *castra Germanorum* in Mauretania Caesariensi p. 194. in *Africa* quoque *Christiana* nuper edita a Morcellio, ubi inveni *castra Galbae*, *castra Severi* et *castra nova*, frustra quaesivi *castra Antonia*, nisi eadem sint ac illud *forum Antonianum* provinciae Byzacenae, de quo vide ib. t. 1 p. 161. utrum nomen traxerint ea castra a M. Antonio IIIviro, aut ab eius legionibus in Africa degentibus sub praefecto Pinario Scarpo anno Christi 31 secundum computum vulgarem, vel potius, quod probabilius videtur, ab utroque M. Antonio Gordiano, viderint eruditi. hic tantum addam quod in *Thesauro eruditionis scholasticae* Basil. Fabri aucto a Cellario (col. 467 ed. Lips. 1681, vel col. 431 ed. pariter Lipsiensis 1696) verbo *castra* legitur: *Hierosolymis quoque urbana castra* (praetoria, ubi praetorianus miles continebа-

tur) *habita recipiendo praesidio D. Lucas indicat Act. Apost.* 21 34 et 37. *ubi castrorum nomine procul dubio Antonia intelligenda; quibus pro arce usos Romanos Iosephus auctor est.* de militia Antonii IIIviri in Africa videndus Cassius Dio 51 5 et Orosius 6 19. confer etiam Eckhel *Doctrina numorum veterum* vol. 5 p. 272 et vol. 6 p. 48 et 51, nec non Havercampum in *Thesauro Morelliano* p. 28 et 322, item tab. 9 familiae Antoniae n. 7. pro Gordianis vero Augustis consulendus est Capitolinus in eorum *vitis*.

464. I. L. De Bonis *de laud. Galeazii* habet *egregius*.

468. Antalae enim pater fuit Guenfan, ut patet ex libro 8 66 77 et 107.

469. Antalas, de quo plura occurrunt in hoc poëmate, praecipue libro 3, ubi fere totam eius vitam reperies, fuit princeps Maurorum Byzacenorum: nam Procopius *de bello Vand.* 1 9 ait: *regnante Ilderico Mauri Byzaceni, qui parebant Antallae* (duplici *ll* hic tantum occurrit), *proelio fudere Vandalos.* postquam narravit idem Procopius duplicem cladem Mauris inlatam a Salomone, subdit 2 12: *Maurorum solos retinuit Byzacium subditos Antalae; qui in data Romanis fide id temporis manens expers damni cum suis exstitit.* offensus autem Antalas a Salomone rebellavit, ut est ib. c. 21.

470. ms *massila.* sic semper in nostro codice, ubi fere nusquam apparet *y*, est hoc nomen cum affinibus suis. sunt *Massyli* gens Africae, quae in Numidia ab aliis, ab aliis in Libya ponitur prope Gaetulos, de qua vide Livium 24 48 et Plinium 5 4. aliquando autem a poëtis confunduntur cum Mauritanis, et pro Afris etiam universim ponuntur, ut apud Virg. *Aen.* 4 132 et 6 60.

ib. in nostro codice sic more Graecorum est *Solomon*, ut scribitur hoc nomen a Procopio in libris suis *de bello Vand.* ac *Goth.* atque in *Historia Arcana*, quanquam in prioribus interpres Maltretus, Latinorum morem secutus, idem nomen reddiderit *Salomon*, quod non fecerat Alemannus in convertenda praedicta *Historia*, ubi c. 4 legitur *Solomon*, ut Corippus noster videtur fecisse. de Solomone autem hic aliqua perstringam ex Procopio. is enim *de bello Vand.* 1 11 narrat quod in expeditione Africana anni 532 *Foederatis praeerant Dorotheus numerorum militarium Armeniae dux, et Salomon, quem Belisarius magisterii militiae administrum habebat: domesticum Romani vocant. erat hic spado, non consilio sed casu ei quondam in cunis excisa virilitate . . . : erat patria Salomonis in Oriente, ad ipsum imperii Romani limitem, ubi nunc urbs Dara colitur.* postquam Belisarius victor de Vandalis ingressus est Carthaginem, *Salomon* (ib. c. 24) *rerum gestarum nuntius ad imperatorem destinatus est;* qui eum (2 8) ad Belisarium remisit. cum

hic autem Cpolim remeare decrevisset cum Geilimere captivo, *Salomoni tegendam Africam tradidit, et partem maximam praetorianorum suorum reliquit, ut eo duce quamprimum magno animo ultum irent nefaria in Romanos ausa Maurorum rebellium.* post proelia inter Romanos et Mauros vario Marte transacta, ut legere est c. 11 et seqq., Salomon exorta seditione militum in Africa Syracusas aufugit (c. 14), ubi expositis Africae rebus Belisario, qui ibidem bellum susceperat contra Gothos, cum eo petiit denuo Carthaginem (c. 15) anno 537 ad comprimendos rebelles. Salomon vero videtur sub finem anni remeasse Cpolim: nam subinde Africam moderatus est Germanus. quo revocato (c. 19) *imperator res omnes Africae iterum Salomoni commisit anno imperii sui* 13, qui respondet anno Christiano 539. tunc Salomon res Africae optime composuit, et suscepta expeditione in Mauros eis plura castra eripuit. sed exorta Leucatharum vel Lebantharum seu Languantan seditione, de qua vide supra ad v. 144, post bellum vario Marte gestum, tandem, ut ait Procopius c. 21, *Mauri numero longe superiores Romanorum maximam partem disiecerunt in fugam. telorum grandini restitit aliquamdiu Salomon cum parva suorum manu; qui hostibus tandem praevalentibus coacti cedere, cum ad rivi proximi praecipitem alucum contentissime fugientes venissent, succidens in crura equus Salomonem excussit. ille protectorum manibus confestim erectus et in equum sublatus, cum prae dolore nimio iam tractare frenum nequiret, comprehensus a barbaris trucidatur una cum stipatorum non paucis. hunc Salomon vitae exitum habuit* anno 543.

478. varie scriptum est hoc nomen in nostro codice. infra enim 2 87, 96, 107, 210 et 345 est cum adspiratione *hilaguas*; sed rursus ea abiicitur 4 374. libro autem 5, ubi octies occurrit idem nomen, et 7, ubi bis legitur, nec non in Periochis ad 2 345, est *Ilasguas* absque aspiratione et addita *s* in medio. sic igitur rectius duxi scriptum fuisse hoc nomen populi Africae hucusque ignoti, vel saltem, de quo nulla mentio est apud Cellarium et alios quos consului auctores.

479. an: *Marte, tibi est notum?*

480. ex historicis constat anno Christi 298 Maximianum Herculeum in Africa debellavisse Mauros Quinquegentianos asperitate locorum confidentes, atque, ne rebellionem denuo molirentur, in plana deduxisse. Eutrop. 9, Oros. 7 25, et hic infra 4 823, ubi rursus haec iactat Bruten ad confirmandos Languantan, quorum dux erat, in bello contra Iohannem. attamen historici silent de gente hac, quam noster poëta vocat Ilasguas, quamque Maximianus ipse domare nequivit.

488. *mittere* hic est pro *committere*, ut 7 225. attamen

praepositio *con*, quae ibidem omnino deest, hoc loci fortasse suppletur versu antecedenti in voce *tecum*.

488. *iuvat ire sub umbras* Virg. *Aen.* 4 660.

493. *animo.* pro hac voce est *domino* apud I. L. De Bonis *de laud. Galeazii Vicecomitis* 1 215 iuxta cod. Trivult. A 274. sed sic retrahendum esset comma ante *domino*.

510. Claudian. *de raptu Proserp.* 2 sive carm. 35 189: *vetito se proluit Arctos aequore.* idem *Epist. ad Olybrium* sive carm. 41 16: *claraque se vetito proluet Ursa mari*, et alibi.

511. *phalangas.* sic Graeca desinentia utitur aliquando Corippus hac voce, ut infra 2 49. sed I. L. De Bonis habet *phalanges*.

512—3. Virg. *Aen.* 8 239: *dat signum specula Misenus ab alta aere cavo*, 7 519—20: *buccina signum dira dedit*, et 10 310 incipit: *signa canunt.*

516. *praesepibus altis* Virg. *Aen.* 7 274—6.

518. Virg. *Aen.* 11 599: *compositi numero in turmas.*

519. *victrices aquilas* Claud. 1 *in primo consulatu Stilichonis* seu carm. 21 170. adde Lucan. 1 339 et 5 238.

ib. Livius 29 7: *cum haud procul ad terrorem hostium aciem ostendisset.*

520. ms *ducem*, sed postrema syllaba immutata a secunda manu.

521. ms *docetque*, sed etiam haec vox est rescripta.

522. Virg. *Aen.* 2 281: *o lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum.*

534. cf. *de laud. Iust.* 3 65. nota etiam verbum *distendit* pro *implet*.

538. fortasse librarius noster, cum haec scriberet, respexit ad Virg. *Aen.* 4 571: *subitis exterritus umbris.*

543. *praefixo hastilia ferro* Virg. *Aen.* 5 557. attamen aliqui malunt ibidem legere *praefixa*, ut 12 489.

545. Silius absolute 7 684: *furvi iuga trahebant cornipedes.* Claudianus autem saepe utitur eadem voce pro equo; et ipse Corippus passim in hoc poëmate et *de laud. Iust.* 3 293.

546. *comptas*, nempe *coniunctas* vel *compositas*, ut apud Lucret. 4 31. Corippus autem saepissime utitur hac voce tum in iam editis suis carminibus tum in hoc poëmate.

547. cf. Corippus in praef. 8—9.

549. ms *maxax*, ut infra 5 600, sed 4 724 *marax*, et 1020 *mexax*, et 5 167 *marzax*. recte puto esse postremo loco, nempe 7 305, *mazax:* libro enim 6 450 non satis perspicue apparent litterae huius vocis. *sunt Mazaces*, ait Turnebus *Advers.* 27 18, *non populi Cappadociae, ut multi censent* (miror hosce secutum esse Forcellinum in aureo suo *Lexico*), *sed populi Africae.* Lucan. 4 680—1: *Marmaridae volucres, aequaturuque*

sagittas Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax. Nemesianus, equos Africanos laudans, haec habet in *Cynegetico* 261: *quemque coloratus Mazax deserta per arva pavit et assiduos docuit tolerare labores*, et Claudianus *in prim. cons. Stilich.* 1 356, varios enumerans populos Africae haec subdit: *pavidus proiectat missile Mazax.* scio tamen Salmasium in *Plinianis Exercitationibus ad Solinum* p. 226 asseruisse perperam legi tum apud Lucanum tum apud Nemesianum *Mazax*, et contendere veram esse lectionem *Mazux*, ut et apud Suetonium in *vita Neronis* c. 30 *armillata et phalerata Mazucum turba* pro *Mazacum*, ut habent editi libri passim: sed nullum habuit hucusque suae opinionis sectatorem.

551. non est mirum usum fuisse hic Corippum participio *conclausum* minus usitato quam *conclusum*: nam infra 3 118 habet *reclaudunt* et 164 *reclauso*, quae voces nusquam reperiuntur.

552. *effundit habenas* Virg. *Aen.* 5 818 et 12 499.

554. *metus acer* Virg. *Aen.* 1 366 et 8 682.

558—9. Virg. *Aen.* 11 622: *mollia colla reflectunt.* idem 9 686: *versi terga dedere*, et 756: *diffugiunt versi.*

560. Virg. *Aen.* 7 586: *immota resistit.*

561—2. hanc sententiam repetit auctor 4 203—4 et 5 711. Virg. *Aen.* 10 284: *audentes fortuna iuvat*, et 3 318: *aut quae digna satis fortuna revisit?*

564. *cautos* est in cod. A 274 v. 433 p. 220.

565. Virg. *Aen* 6 743: *quisque suos patimur manes.*

566. ms *lamor*, fortasse ex mala prolatione vocis: nam *b* et *m* saepe invicem a blaesis praesertim permutantur.

ib. Virg. *Aen.* 11 598: *equitumque exercitus omnis, compositi numero in turmas.*

568. *cautela.* hac voce utitur Corippus *de laud. Iust.* 1 207: *atque hominum cautela fuit.*

578. ms *veram sperare salutem.* at in poëmate Ioh. L. De Bonis *pro Galeatio Vicecomite* 1 418 legitur iuxta Cod. A. 275 *veram sperate salutem.* si non placet *veram*, legatur *vestram*, sed puto *veram* esse hic ut *certam* apud Virg. *Georg.* 4 294.

581. Virg. *Aen.* 4 595: *imperio laeti parent ac iussa facessunt.*

Lib. 2 v. 5. nondum videtur sanus hic versus.

8. *curva tenent* Virg. *Georg.* 2 12.

9. *frondea tecta* Virg. *Georg.* 4 61.

10. *ferarum omne genus* Virg. *Georg.* 3 242, Lucr. 1 164 et 5 1337.

15. *dulces nidos* Virg. *Georg.* 1 414.

16. Virg. Ecl. 1 69: *tuguri congestum cespite culmen.*

18. Virg. *Aen.* 4 250: *nix humeros infusa tegit.*

23. *quis mihi* Virg. *Aen.* 12 500.

26. nisi velis subintelligere *ut*, fortasse legendum erit: *tempera et insuetis.*

27. Cic. *de clar. Orator.* 15: *latrant iam quidam oratores, non loquuntur.*

31. in ms hic *Anitalas* et libro superiori v. 469 *Amitalas* vocatur. vide quae ibi adnotavi de eodem.

32. *furiale.* ritu adverbii, ut apud Claudianum *de bello Get.* Carm. 26 325: *leo incedit furiale.*

ib. *omnis* pro *omnes*, ut passim apud veteres scriptores.

33. supra, 1 440, pro *aratis maniplis* legi *aeratis maniplis*, cum ageretur de Romanis aciebus; hic autem legendum putavi potius *armatas*, cum de barbaris utcunque armatis agatur, et cum paulo infra, v. 29, rursus occurrat *armatas phalangas.* Virg. *Aen.* 11 541: *media inter proelia belli.*

34. Antalas fuit in fide Romanis data constans ab anno 533 ad annum usque 543, ut videre est apud Procopium *de bello Vand.* 2 21.

36. Sergius, filius Bacchi Solomonis fratris, fuit potissima causa rebellionis Maurorum, cum praeesset provinciae Tripolitanae, ut iam tetigi ad 1 144. ab eodem Procopio in *Hist. arc.* c. 5 p. 18 pingitur Sergius uti *imbellis et delicatus, ac ut aetate prorsus iuvenili, sic etiam moribus; invidia et petulantia in omnes homines effusissimus, molli fractoque cultu, et buccis ad superbiam inflatis.* cf. *de bello Vand.* 2 22.

38. Tacit. *Hist.* 4 35: *incerto Marte.*

39. Sergii perfidiam in necandis 80 legatis Languantan iam tetigi ad 1 144.

41. ter usus est Claudianus voce *caedibus* in penultima versus sede.

42. Claud. 2 *in Rufin.* carm. 5 237: *quid consanguineas acies.*

43. *Frexes.* de hac gente nil reperire potui apud geographos vel historicos.

44. Virg. *Aen.* 5 730: *gens dura atque aspera cultu.* v. infra v. 102.

45—6. Virg. *Aen.* 6 881—2: *seu cum pedes iret in hostem seu spumantis equi foderet calcaribus armos.* et 7 624: *pars pedes ire parat.*

48—9. Virg. *Aen.* 12 650: *medios volat ecce per hostes vectus equo spumante Saces.*

50. fortasse *Aor* est nomen proprium ducis Africani: secus erit corrigendum *acer.*

52. *saevus in armis* Virg. *Aen.* 12 107. de *Naufur* gente ignota Africae frequens est mentio in hoc poëmate.

53. Virg. *Aen.* 5 754: *sed bello vivida virtus*, et 10 609: *non vivida bello dextra viris.*

54. *conterritat.* vox addenda lexicis Latinis, quae tamen occurrit infra pluries, ut videre est ex Indice nostro.

55. *fraude loci* Virg. *Aen.* 9 397.

56. ms *Quigurubi* unico verbo; quod distinxi in duo: nam est *Gurubi* fortasse idem ac *Curubi*, quod distat ab Adrumeto 48 m. p. ex *Itinerario Antonini Augusti* p. 56 57 et 493 ed. Amstel. 1735 vide et Cellarii *Notiam orbis antiqui* 4 4 p. 146—7, ubi describitur provincia Zeugitana seu Proconsularis, in qua est *Curubi.* pro voce *montana* substantive sumpta vide Lucan. 4 52: *urebant montana nives*, Liv. 21 34: *ut inter montana*, et Plin. *H. N.* 6 19: *in montanis* absolute, ut et in Sacris Bibliis saepe, veluti Luc. 1 39: *abiit in montana*, et v. 65: *super omnia montana Iudaeae.* rursus offendes in hoc poëmate *montana*, ut ex Indice.

57. *Mercurios colles* puto esse in promontorio Mercurii, de quo vide Cellar. c. cit. imo in *Antonini Itinerario* lego: *ab Exploratione, quae ad Mercurios, Tingi usque m. p.* 174. non incongruum est *Mercurios* vocari *Mercurios colles.*

ib. *infera*, nempe loca, ut supra v. 56 *montana.* attamen nullum hucusque exstat exemplum huiusmodi in lexicis.

58. si postrema vox est nomen proprium, ut mihi videtur, erit, ni fallor, *Ausum* Mauritianae Caesareensis, quod puto rectius scriptum *Ausis*: nam in antiquo Graeco Ptolemaei *Geographiae* codice optimae notae in bibliotheca Ambrosiana adservato *αὐσων* legitur cum in textu tum in tabula 1 Africae, ubi utrobique libri editi habent *αὖσον.* v. ed. Pe. Bertii in *Thes. Geogr.* t. 1 p. 108.

62. hi populi omnino sunt ignoti. *Macares* fortasse prope desertas regiones Mauritianae Sitifensis incolebant, ubi aderat oppidum Macri. v. Wesselingium in notis ad *Antonini Aug. Itinerarium* p. 30, et Morcelli *Africam Christ.* t. 1 p. 207.

66. an *Silzactae* a Salisa flumine traxerunt nomen? exstat namque illud in Tingitana provincia prope Atlantem minorem in Ptolemaei *Geogr.* 4 tab. 1 Africae. ibidem secus illud flumen sunt *Cauni* populi secundum versionem Montani in ed. Amstel. 1605, pro quibus in textu Graeco legitur *Καυσῖνοι*, unde in editione anni 1619 etiam Latine sunt *Causini.* in tabula autem exstat adhuc *Cauni*, cum eaedem tabulae adhibitae fuerint pro utraque editione. apud Cellarium est lectio antiquior Latina 4 7 p. 213, nempe *Cauni*; ut et in cod. Graeco Ambrosiano mox citato legitur *Καῦνοι.* hinc *Caunes* erunt forsitan iidem ac *Cauni.*

72. Virg. *Georg.* 1 111: *ne gravidis procumbat culmus aristis.*

72. Virg. *Georg.* 1 317: *et fragili iam stringeret ordea culmo.*

74. Silius 6 627: *remeans longis Tirynthius oris.*

75. *Astrices.* rursus occurrit infra 5 391 et 464 nomen huius gentis, quam frustra quaesivi apud geographos, sicut etiam nihil inveni de aliis populis qui hic nominantur.

76. ms *Zersilis*, sed infra v. 145 legitur *Zerquilis*. ea etiam est gens ignota hucusque geographis, nisi sint incolae *Zagylis*, cuius urbis meminit Ptolemaeus et Carolus a S. Paulo in *Geographia Sacra* p. 274. fuit ea sedes episcopalis sub patriarcha Alexandrino in Libya altera.

77. ms *mosis*. ea vox correcta fuit ita ut videatur legi posse *mons*; de quo tamen silent geographi.

79. an *Atlanteis?* sed Atlas mons est in Tingitana, longe a Tripolitana provincia, ubi est Tillibaris.

80. de *Tillibari* vel *Tillabari* mentio est apud Antoninum in *Itinerario*, ex quo constat fuisse in Tripolitana provincia. v. Wesselingium et alios in notis ad illud p. 80.

83. Claudianus *in Eutrop.* 2 461: *tandem fila tibi neverunt ultima Parcae.* Virg. *Aen.* 10 814: *extremaque Lauso Parcae fila legunt.*

89. ms hic et v. 91 *astur:* sed infra 209 et 345, item 6 283 legitur *austur*. quis autem sit hic populus, nondum reperi.

100. Lucan. 8 377: *non aries illis, non ulla est machina belli.* sic desinit Virg. *Aen.* 2 151, et Lucan. 6 37 et 10 481. inventum autem in Africa *arietem* constat cum ex Vitruvio 10 19, tum ex Tertulliano c. 1 *de Pallio.* huiusmodi machinam describit Athenaeus Mechanicus, commentumque dicit Pephasimeni cuiusdam Tyrii contra Gaditanos. confer Pitisci *Lexicon Antiquitatum Romanorum* verbo *Aries* ed. Leovard. 1713 p. 171—2. graphice eandem machinam describit Procop. *de bello Goth.* 1 21, ut in usu erat suo aevo.

102. Virg. *Aen.* 7 746: *horrida praecipue cui gens.* pro *dura viris* vide supra ad v. 44.

109. ms *Lerna;* sed infra 4 597 et 681 est *Ierna* rectius, ut puto.

ib. *Gurzil.* huius numinis barbararum gentium Africae nemo hucusque meminit, quod sciam. occurrit etiam infra v. 415 et pluries alibi, quibus ex locis colligo Gurzil esse Iovem: nam trecentos eos fuisse testatur Varro apud Tertullianum, qui in *Apologetico* sic ait c. 14: *et Romanus Cynicus Varro trecentos Ioves sive Iupiteres sine capitibus introducit.*

110. hoc loci vox *gentes* usurpatur, ut passim apud ecclesiasticos scriptores et in vulgata divinorum librorum versione, pro *gentiles* seu *idololatrae.*

ib. *corniger Ammon* Lucanus 3 292.

111. *bucula* un'co *c* est apud Virg. *Ecl.* 8 86, item *Georg.* 1 375 et 4 11. Claud. *de raptu Proserpinae* 1 127: *vitulam non blandius ambit torva parens.* item Virg. *Georg.* 3 51: *optima torvae forma bovis.*

113. v. infra 4 641 et 7 490 et 648, ex quibus constat *Ifarac* vel *Ifurac* quendam esse populum Africae nunc ignotum.

115. Virg. *Aen.* 1 585: *potens armis.*

116. ms *Mucamiana;* unde feci *Macumiana,* quia *Macuma* est vicus prope oram maris in Tripolitana provincia inter utramque Syrtim, sed propius maiori. v. Cellar. *Geogr. ant.* 4 3 p. 119. in *tabula Peutingeriana* vocatur idem vicus *Macomades Syrtis,* ut notat ipse Cellarius l. c. p. 138, ubi agit de *Macodama* Ptolemaei in Byzacena provincia; idem ac *Macomades* apud posteriores scriptores, vel *Macumades* Ravennatis geographi, vel etiam *Macomades minores tabulae Peutingerianae.* etiam in Numidia alios fuisse *Macomades* ex *Itinerario* Antonini notat Cellarius c. 5 p. 181. vide et Morcelli *Africae Christ.* t. 1 p. 206 et seq. fortasse Macumiani incolae erant montis *Macubii* supra memorati v. 72: nam *b* et *m* saepe inter se permutantur.

117. *Tripolis* est etiam infra 3 409. v. Procop. *de bello Vand.* 1 1, ubi Tripolim, *quae in Africa est,* regionem et passim ibidem in libris *de bello Vand.* commemorat, et *de aedificiis* 6 3 eius definit limites. confer Cellar. 4 3 p. 126.

119. in codice est potius *dicliga,* sed facillime potuit ex *d* discerpto exstare *cl,* ut factum est supra 1 77, ubi pro *Daras* in codice erat *claras.* praeterea in *Itinerario* Antonini invenitur p. 65 *dicdica* inter Leptim et Berenicem, vel *Digdica* iuxta exemplar Reg. Bland. v. Cellar. p. 120—1. animadvertendum est autem in *Peutingeriana tabula* non esse *Digida,* ut ibi et in veteribus editionis *tabulae* legitur, sed *Digdida municipium Seseonum,* ut videre est in accuratissimis editionibus Scheybii et Christianopuli segmento 8 E.

123. Virg. *Aen.* 4 42—3: *lateque furentes Barcaei.* de antiqua urbe *Barce* in Cyrenensi provincia, nunc *Barca,* vide Cellar. 4 2 p. 110 et 114, auctoresque ibidem citatos.

125. Virg. *Aen.* 1 154: *furor arma ministrat.*

126. *genus acre virum* Virg. *Georg.* 2 167.

127. cf. *de laud. Iust.* 3 169: *ense latus cincti,* et quae ibidem adnotavit Dempsterus de modo gestandi gladios.

131. *cingula bullis* Virg. *Aen.* 9 359 et 12 942. v. infra 4 496.

133. Virg. *Aen.* 1 317 et 12 165: *bina manu lato crispans hastilia ferro.* item 5 557: *cornua bina ferunt praefixo hastilia ferro.*

137. ad *cruda Maurica* subintellige *coria.* in Forcellini *lexico* et eius *appendice* deest *Mauricus,* etsi adsit *Maurice;*

attamen in *Novo linguae et eruditionis Romanae Thesauro* Io. Matth. Gesneri exstat cum exemplo Martial. 5 29.

140. *alternis.* v. supra ad 1 216.

145. ex Ptolemaeo feci *Geminam Petram:* is nempe *Petrae Magnae* et *Petrae parvae* portus designat in Libya Marmarica. confer Cellar. 4 2 p. 102—3.

148. Arzugitanae provinciae meminit S. Aurelius episcopus Carthaginiensis (*Concilior. Collect.* Mansi t. IV col. 447) in epistola anni 419 ab eo missa *episcopis per tractum provinciae Byzacenae et Arzugitanae constitutis;* unde constat *Arzugis tellurem* Byzacenae conterminam vel eius partem, ut putat Morcellus *Afr. Christ.* t. 1 p. 84, fuisse.

149. procul dubio *a celsis oris* montis Aurasii *descendit* ista *manus* barbarorum; de quo monte vide Procopium infra citatum ad 6 273.

153. ms *cetura sepe levis* vel *brevis:* nam vox est immutata et non satis clara in codice. *cetra* autem est *scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani,* ut ait Servius ad illud Virg. *Aen.* 7 732: *laevas cetra tegit.*

156. Virg. *Georg.* 1 289: *nocte arida prata tondentur.* in Numidia fuit Vada sedes episcopalis, ut apud Cellar. 4 5 p. 185, Car. a S. Paulo *Geogr. Sacr.* p. 96, et Morcelli *Afr. Christ.* t. 1 p. 343.

157. vide paulo supra ad v. 72.

158. *Phoebi candentis* Virg. *Aen.* 8 720.

159. Virg. *Aen.* 11 782: *praedae et spoliorum ardebat amore.*

161. *Martis amore* Virg. *Aen.* 7 550.

171. *tremulis ululatibus aethera* Virg. *Aen.* 7 395.

172. *trepido tumultu* Virg. *Aen.* 8 4—5.

185. Caes. *de bello Gall.* 7 36: *leve proelium.*

188. ms hic *Gersirit,* sed infra 4 489 *Geisirith,* et v. 970 rectius fortasse *Geisirich.* vide Wachter *Glossar. German.* p. 597, ubi haec ait: *Gizericus, Gesus potens. nomen genuinum regis Vandalorum in Africa. Gizericus Iornandi, Gaisericus Idatio. utrinque eodem sensu. Gensericus idem nomen et eiusdem regis, sed per epenthesin vitiatum.*

191. etiam *de laud. Iust.* 2 223: *ante pedes planate vias.* ibi notat Barthius phrasim desumptam esse ex evangelio. idem verbum occurrit ibidem v. 329.

195. ms *sternere* vel *scernere:* nam *c* et *t* post *s* simili ductu sunt efformatae. hinc dubium oritur num librarius scripserit, male repetita *s, quis scernere* pro *quis cernere.*

196. de multitudine ac frequentia locustarum in Africa haec profert Plinius *H. N.* 8 29: *M. Varro auctor est civitatem pulsam ab locustis in Africa.*

200. *horrescunt corda agricolis* Virg. *Aen.* 12 453.

202. Lucret. 1 19: *camposque virentes.*

210. v. supra ad v. 116.

213. *densum agmen* Virg. *Aen.* 5 833—4.

215. *ingenti tumultu* Virg. *Aen.* 11 447.

217. Virg. *Aen.* 1 59. de ventis: *illi indignantes magno cum murmure*, et de mari ib. 249: *vasto cum murmure montis it mare.* item v. 94: *et crebris micat ignibus aether*, et 11 209: *certatim crebris collucent ignibus agri.*

218. *procella adversa* Virg. *Aen.* 1 106.

219. *pondere vasto* Virg. *Aen.* 5 447.

221. *ora tristia* Virg. *Georg.* 2 246.

223. *tuta petens* Virg. *Aen.* 11 871.

226. *fortia facta* Virg. *Aen.* 1 645 et 10 369.

ib. cf. *de laud. Iust.* 1 309.

227. *spicula lenta* Virg. *Aen.* 7 164.

229. *sistere contra* Virg. *Aen.* 11 873.

230. Virg. *Aen.* 12 409: *it tristis ad aethera clamor.*

231. Stat. *Theb.* 5 38: *abiunctis regemunt tabulata cavernis*, et 8 17: *regemunt pigrique lacus ustaeque paludes.*

232. *scuta virum* Virg. *Aen.* 1 105 et 8 93.

233. *excedere pugna* Virg. *Aen.* 9 789; ut et 5 380 iuxta aliquot codices.

234. *reluctat.* apud Apuleium *Metam.* 4 et 7 activa positione occurrit idem verbum.

235. *placidas aures* Virg. *Aen.* 4 440.

236. Virg. *Aen.* 11 447: *nuntius ingenti per regia tecta tumultu.*

237. *silvis et montibus* Virg. *Ecl.* 2 5 et *Aen.* 3 675.

238. *implessem* Virg. *Aen.* 4 605.

242. *civilis amor:* nempe amor patriae, quem fortasse innuit etiam Ovidius *Tristium* 4 4 13, ubi ait: *ipse pater patriae, quid enim civilius illo?*

249. de voce *conterritat* vide supra ad libri huius v. 54. Virg. *Georg.* 4 71: *Martius ille aeris rauci canor increpat.*

252. *contristat* Virg. *Georg.* 3 280 et *Aen.* 10 275.

254. Virg. *Georg.* 2 106: *quam multae zephyro turbentur arenae.*

255. Virg. *Aen.* 1 109: *praeruptus aquae mons.*

256. quamquam potuissem corrigere *euri Aeolii*, quia Ovidius *Amorum* 3 12 29 habet *Aeolios Euros*, tamen ob retinendum *s* codicis feci *montibus Aeoliis*, fretus auctoritate etiam Virg. *Aen.* 8 454.

257. *litus arenosum* Virg. *Aen.* 4 257.

258. fortasse hic et superior versus sic erunt reformandi

litus harenosum; tunc tristia nubila turbant flatibus adversis scindentibus aëra flabris.

264. Caes. *de bello Civ.* 2 80: *censebant in castra Corneliana recedendum.*

268. *saevis periclis* Virg. *Aen.* 8 188. *et tristia bella* idem *Ecl.* 6 7 et *Aen.* 7 325.

269. Virg. *Aen.* 11 525: *angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.*

271. *protinus* congruit magis cum seq. *perficiunt praecepta citi.*

273. *niveis tentoria velis* Virg. *Aen.* 1 473.

274. Virg. *Georg.* 3 346: *Romanus positis stat in agmine castris.*

276. Ovid. *Met.* 2 419: *exuit hic humero pharetram, lentosque retendit arcus.* et Stat. Silv. 4 30: *et sontes operit pharetras arcumque retendit.*

278. Virg. *Georg.* 2 384: *mollibus in pratis.*

279. Virg. *Aen.* 12 130: *defigunt tellure hastas et scuta reclinant.*

282. Virg. *Georg.* 2 515: *meritosque iuvencos.*

285. Virg. *Ecl.* 10 42: *hic gelidi fontes;* et *Aen.* 12 119: *fontemque ignemque ferebant.* infra 3 230: *plenos portabant fontibus utres.*

287. saepe utitur auctor noster voce *comtus* sensu etiam latiore quam apud alios scriptores inveniatur, cum in hoc poëmate tum in illo *de laudibus Iustini,* ut ibidem 3 179—81. nota Iuvenalem dixisse 7 184 *fercula docte componere,* ex quo verbo grammatici asserunt derivare *comptus* per contractionem participii *compositus.*

288. Virg. *Aen.* 1 231: *atque illum tales iactantem pectore curas.* et 5 701: *nunc huc ingentes nunc illuc pectore curas mutabant versans.* item 3 34: *multa movens animo.*

292. *iterumque iterumque* Virg. *Aen.* 2 770 et 3 436.

303. nota auctorem in hac comparatione prae oculis habuisse dominicum effatum apud Matth. 13 29: *non; ne forte, colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.*

306. imitatus est poëta in hoc et superiori versu illos Virg. *Aen.* 12 725—7.

309. Seneca *Epist.* 5 ad finem: *pendens animus.*

311. *itque reditque viam* Virg. *Aen.* 6 122.

312. Virg. 6 159: *it comes, et paribus curis vestigia figit.* et 863: *quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?*

314. ms hic habet *ricinarius,* ut et infra 4 583 ac pluribus aliis in locis; in hoc autem libro 2 335 legitur *Aricinarius,* et alibi *ritinarius.* libro 4 tamen v. 716 et 946, item 6 50 et 7 134 et 597, sicut etiam in illis quibuscunque Periochis, quas in-

veni in nostro codice et huic poëmati subieci, legitur semper *Recinarius*. hunc scribendi modum retinui, quia ex lib. 6 28 et seqq. constat esse eundem Ῥεκινάριον, quem Procopius *de bello Pers.* 2 27 ait missum fuisse oratorem a Iustiniano ad Chosroën Chavodes filium Persarum regem. *Rhecinarius* etiam a Maltreto ibidem Latine vertitur.

315. v. supra ad v. 268.

320. *impar anhelis*. in memorato lib. 1 poëmatis I. L. De Bonis *in laudem Io. Gal. Vicecomitis*, in quo hi versus exscripti fuerunt, iuxta cod. Trivult. A 274 p. 209 et 216 v. 244 legitur *impiger aegris*.

330. *retollunt*. vox addenda lexicis linguae Latinae, quae tamen rursus occurrit 4 1154.

334. *moveat duri in discrimine*. sic in cod. Corippi, sed in cod. A 274 I. L. De Bonis *laud. Ioh. Gal. Vicecom.* p. 216 v. 255 legitur: *moveant diri discrimina*, et p. 209: *moveat duri in discrimina*.

336. Citatis locis cod. A 274 est: *esit. et in modico plana cum voce lucutus*. Virg. *Aen.* 7 194: *atque haec ingressis placido prior edidit ore*.

350. ms *rebellis*; sed huius vocis *s* transverso obelo eliminata fuit male, ut puto. Cic. *in Vatin.*: *inflato collo tumidis cervicibus intulisti*. Ioh. L. De Bonis in poëmate pro *Galeazio Vicecomite* hunc versum, qui ibi est 1 256, sic exprimit iuxta cod. A 275: *huc si fors tumidum faciet cervice rebelli*.

351. Ioh. L. De Bonis l. cit. v. 257: *nec penitet ultra*.

354. apud De Bonis l. c. v. 260 *certa*; sed *Cetta* est in cod. A 274.

360. De Bonis in cod. A 274 habet *haec monitis*, et in cod. 275 fortasse melius *et monitis*.

364. apud De Bonis l. c. v. 270 legitur *peniteat* in solo cod. A 275.

368. saepe auctor noster habet prae oculis celebre Virgilianum effatum de Romanis *Aen.* 6 853, supra citatum ad 1 149; ut etiam *de laud. Iust.* 2 283.

383. etiam Claudianus *Alanos* iungit cum *Unnis* vel *Hunnis in Rufin.* 2 270; etenim tam Unni quam Alani populi Scythiae fuerunt. scio autem productam fuisse secundam syllabam in voce *Alanus* cum a Martiali tum ab ipso Claudiano; sed in nominibus propriis praecipue barbaricis parum constantes inter se poëtas fuisse atque prosodiae observantes, omnes norunt.

385. *famulantur in aulis* Corippus ipse *praef. de laud. Iust.* 18.

400. de hoc tormento bellico vide adnotata ad 2 100.

403. ms *et bone*, sed non satis clare.

405. *Gurzil.* de hoc numine vide supra hoc libro v. 109 et seqq. et adnotata ibidem.

414. *vix ea fatus erat.* sexies Virgilius incipit versum hoc modo. pro *montana* vide supra ad v. 56 huius libri.

417. *humida nox caelo* Virg. *Aen.* 2 8.

418. *palantesque polo stellas* Virg. *Aen.* 9 21.

432. *insolite.* huius adverbii Forcellinus exemplum profert petitum ex S. Augustino, praeter aliud dubium A. Gellii.

435. Virg. *Aen.* 9 166: *noctem custodia ducit insomnem.*

442. fortasse in antiquiori codice, unde exscriptus fuit noster, erat *sīus* id est *sinus*. Virg. *Aen.* 7 347: *inque sinum praecordia ad intima subdit.*

446. Stat. *Theb.* 2 144: *cornu perfuderat omnia somnus,* et 5 198: *somnus et implacido fundit gravia otia cornu.*

466. *horridus ira* Ovid. *Met.* 6 685.

473. Virg. *Aen.* 9 326: *toto proflabat pectore somnum.*

477. *per devia* Val. Flacc. 3 49. Lucan. 4 161 et 5 132 et 8 209 *in devia.*

481. Virg. *Aen.* 5 460: *creber utraque manu pulsat* etc.

Lib. 3 v. 1. exscriptor codicis nostri fortasse prae oculis habebat Virg. *Aen.* 1 231: *iactantem pectore curas.*

2. *per membra soporem* Virg. *Aen.* 8 406.

3. Virg. *Aen.* 4 185: *nec dulci declinat lumina somno.*

5. etsi *circumquaque* non reperiatur apud veteres poëtas, ea tamen voce usus est Ant. Millieus in *Moyse viatore* versu qui incipit: *circumquaque patens,* ut videre est apud Ricciolium in *Prosodia reformata* versu 16962 t. 1 p. 340 ed. Bonon. 1655. Corippus ipse *de laud. Iust.* 1 275: *ireque contractas denso iubet agmine turbas.* Virg. *Aen.* 2 450, 9 788 et 12 443 desinunt: *agmine denso.*

6. Virg. *Aen.* 9 227: *consilium summis regni de rebus habebant.*

7. Quintil. 7 3: *nec uno modo definitur res, sed latiore varioque tractatu;* et Virg. *Aen.* 1 752: *vario noctem sermone trahebat.*

12. *canunt* pro *celebrant,* ut apud Martialem *de spectac.* epigr. 5: *quidquid fama canit.*

ib. pro *locutus* vide ad *praef.* 25. poteram tueri *forte* adducto Virg. exemplo *Aen.* 6 186, ubi aliquot libri habent: *sic forte precatur.* huic tamen lectioni communiter praefertur haec: *sic ore precatur.* imo Virg. ipse *Aen.* 9 319 dixit: *prior Hyrtacides sic ore locutus.* item 1 618 et 9 5: *sic ore locuta est.*

15. *Num.* 31 3: *ultionem domini expetere.* Isai. 34 8: *dies ultionis domini.* et Ierem. 50 15, 51 11: *ultio domini est.*

16. iuxta Procop. *de bello Vand.* 2 3 *per annos* 95 *Vandali in Africa regnarunt;* sed alii ad annos 97 eorum regnum

ibidem proferunt, ut passim legere est apud historicos et apud Barthium ad Corippi 3 124 *de laud. Iust.*; unde hic esset numerus integer et solidus pro fracto. cum autem ad annum 418 Muratorius in Annalibus Italiae et Morcellus *Afr. Christ.* t. 3 p. 123 et seq. in Africam traiecisse Vandalos statuerint; et anno 533 certo constet Belisarium victorem ingressum esse Carthaginem, nec non anno sequenti Geilamir ultimum Vandalorum regem captivum Cpolim duxisse, hinc annos plus quam 100 Vandali tenuerunt Africam. imo S. Isidorus Hispalensis (in *Historia Vandalorum* t. 3 *Hispaniae illustratae ex bibliotheca Ioh. Pistorii* Francof. 1606 p. 852) de Belisario asserit quod *Africam cepit* 117 *Vandalorum ingressionis anno.*

17. *Geilamir.* de hoc nomine vide supra ad 1 380.

19. Virg. *Aen.* 8 148: *quin omnem Hesperiam sua sub iuga mittant.* Lucan. 1 19: *sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes.* et Horat. carm. 1 33 11: *sub iuga ahenea.* Virg. *Aen.* 1 681 et 4 545 Carthaginem vocat *Sidoniam urbem.* cf. Procop. *de bello Vand.* 1 20.

20. de captivitate Geilamiri aliqua innuit Corippus etiam *de laud. Iust.* 3 124: vide in eumdem Ruizium, Dempsterum et Barthium. videndus hic omnino est Procopius *de bello Vand.* 2 7 et 9, ubi reperies etiam triumphum Belisarii, *postquam Byzantium cum Gelimere Vandalisque advenisset.* Victor Tunonensis in *Chronico* ad annum 534 haec etiam reliquit: *Iustiniano 4 cos. Iustinianus imperator .... exercitum in Africam, Belisario magistro militum duce, contra Vandalos mittit; quos idem Belisarius proelio superans, Gunthimer et Gebamundum Gadinges regis fratres perimit, ipsoque Gelimer rege in fugam converso Africam capit, nonagesimo septimo Vandalorum ingressionis anno. in ipso etiam ingressu, priusquam ingressio fieret, Geilimer tyrannus Hildericum regem cum quibusdam generis eius affinibus occidit. Belisarius magister militum ac patricius Geilimer tyrannum capit, et eum cum divitiis ex rapinis Africae Cpolim Iustiniano imperatori adducit.*

21. Virg. *Aen.* 3 318: *aut quae digna satis fortuna revisit?* 5 226 et 9 744: *summis adnixus viribus,* et ib. 531: *summis quam viribus omnes.* testis est Procopius *de bello Goth.* 3 1 *quod in ore omnium vigebat Belisarius, duas adeptus victorias* (nempe ex Vandalis et Gothis) *quales nemo unquam antea retulisset; quippe qui captivos reges duos* (Gelimerem et Vitigem) *advexisset Byzantium; praeter opinionem in Romanorum manus adduxisset progeniem ac thesauros Gizerici et Theoderici, quibus regibus inter barbaros nemo unquam fuit illustrior; receptas ex hostibus divitias rei publicae restituisset; atque exiguo tempore dimidium fere et terrae et maris partem imperio recuperasset.* cf. *de bello Vand.* 2 7. sic etiam Iohannes Nicetae filius apud Pro-

copiam *de bello Pers.* 2 19 Belisarium alloquitur: *equidem arbitror nullum fuisse ducem post homines natos, qui te, fortissime Belisari, cum fortuna tum virtute aequiparaverit.*

24. *rapidi solis* Virg. *Georg.* 1 92, et 424: *solem ad rapidum,* et 2 321: *rapidus sol.*

28. Virg. *Aen.* 5 587: *facta pariter nunc pace.*

30. ex hoc loco prius patet Iohannem fuisse in Africa cum Belisario ad debellandos Vandalos; rursusque Africam petiisse anno 537 cum Germano constat ex infra dicendis ad v. 317.

32. Virg. *Aen.* 2 683: *fundere lumen.*

34. Claud. *in prim. cons. Stilichonis* 2 287: *et Ianum pax alta ligat.* Virg. *Aen.* 2 42: *quae tanta insania, cives?* et 7 461: *et scelerata insania belli.*

36. *Bellona flagello* Virg. *Aen.* 8 703.

38. *Phaëthonteos ignes* Ovid. *Met.* 14 246.

43. vide Corippi *de laud. Iust.* 1 18.

47. ms *cecilides* absque diphthongo cum hic tum 6 375. sic etiam in *Actis Sanctorum* Bollandianis legitur: *Cecilus martyr in Africa,* et *Cecilia martyr,* ille ad diem 7 Maii p. 136, haec ad 8 Iulii p. 578. sed rectius mihi visum est adiicere diphthongum, quam habet Romanae gentis nomen *Caecilius,* ut videre est in eorum numis. *Caecilides* enim omnino derivatum videtur a *Caecilio,* vel potius eius patronymicum nomen.

53. Virg. *Georg.* 1 388: *tum cornix plena pluviam vocat improba voce.*

56. Virg. *Georg.* 2 484: *frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.*

57. voce *fabula* usus est auctor noster etiam *de laud. Iust.* 3 126 pro *sermone* vel *confabulatione,* ut iam animadverterat Rittershusius in nota ad eundem versum. Lucan. 4 200: *extulit insomnes bellorum fabula noctes.* vide etiam Barthium *Adversarior.* 35 14 p. 1611.

58. Virg. *Aen.* 12 635: *tantos voluit te ferre labores.*

60. Virg. *Aen.* 7 368: *Faunique premunt te iussa parentis.*

63. novies etiam apud Virgilium incipit voce *principio* versus et sententia, ut et apud Lucretium aliquando.

66. *Guenfan.* de hoc nomine patris Antalae altum silentium hucusque fuit apud scriptores. vide infra 107.

67. *Antala.* de hoc nomine vide ad 1 469.

72. in quamplurimis numis imperatoriis visitur parte aversa figura muliebris gestans dextera oleam, cum epigraphe PAX AUG.

73. ex hoc loco coniicere licet eum natum esse anno Christi 513, si iam trigesimum aetatis suae annum attigerat, quando secuta est eius defectio ab imperio Romano, quae a Procopio re-

fertur ad 17 annum imperii Iustiniani, nempe Chr. 543, *de bello Vand.* 2 21. v. et Morcelli *Afr. Christ.* t. 3 p. 295.

78. Virg. *Aen.* 5 533 incipit iuxta aliquot codices: *summe pater*, ubi tamen meliores libri habent *sume, pater;* et 8 484: *dii capiti ipsius generique reservent.*

80. *terribili monitu* Virg. *Aen.* 4 465.

81. *fama volat* Virg. *Aen.* 3 121 et 8 392 et 554.

ib. secundam in *Ammonis* corripit noster poëta, ut iam fecerat conterraneus eius Marcianus Capella *de nuptiis Philologiae* 2 illo versu qui incipit: *Ammon et arentis Libyae.*

83. Virg. *Aen.* 8 84: *tibi, maxima Iuno, mactat sacra ferens*, et 544: *mactat laetas de more bidentes.* vide et ib. 4 57 et 6 38. pro *aras* codex habet *iras.* forsitan exscriptoris memoriae occurrerunt illi Virgilii versus *Ecl.* 2 14 et *Aen.* 3 366, quorum primus desinit *tristes Amaryllidis iras*, et alter *et tristes denuntiat iras.*

85. Virg. *Aen.* 3 359: *qui numina Phoebi, qui tripodas, Clarii lauros.*

87. *vittata sacerdos* Lucan. 1 597. de re v. Procopius *de bello Vand.* 2 8.

88. Lucan. 1 617: *atque iram superum tantis quaesivit in extis.* Virg. *Aen.* 12 214: *iugulant pecudes et viscera vivis eripiunt.*

89. Virg. *Georg.* 1 484: *tristibus aut extis fibrae apparere minaces*, et *Aen.* 1 645: *series longissima rerum.*

90. Virg. *Aen.* 6 253: *et solida imponit taurorum viscera flammis.*

91. Virg. *Aen.* 4 697: *subitoque accensa furore.*

92. de hoc barbaro gentium ritu vide *Regum* 3 18 28, ubi legitur quod prophetae Baal *clamabant voce magna et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* confer etiam expositores huius loci, veluti Corn. a Lapide et Aug. Calmet, qui plures auctoritates ex profanis auctoribus potissimum congesserunt super hoc ritu.

94. Virg. *Georg.* 3 221: *vulneribus crebris.* Hor. 1 26 8 *geminant Corybantes aera*, et Claud. *de bello Get.* carm. 26 387: *et Trebium saevo geminassent funere Cannae.*

95. Virg. *Aen.* 7 448: *tum flammea torquens lumina.* *Georg.* 3 433: *et flammantia lumina torquens.*

97. *rubor igneus inficit ora* Lucan. 5 214.

98. Apuleius *Met.* 8: *cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum.* Ovid. *Met.* 12 396: *ex humeris medios coma descendebat in armos.* Colum. 8 2: *iubae variae vel ex auro per colla cervicesque in humeros diffusae.* Virg. *Aen.* 9 755: *humero ex utroque.*

100. Virg. *Aen.* 4 210: *inania murmura miscent.*

102. saepe Virgilius orditur comparationes ex illis verbis *non aliter*.

105. nondum fortasse sanati hi sunt versus.

109. Virg. *Aen.* 2 316: *furor iraque mentem praecipitant.*

111. Virg. *Georg.* 3 591: *saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris pallida Tisiphone.* et *Aen.* 10 761: *pallida Tisiphone media inter milia saevit.*

113. *aëra per vacuum* Virg. *Georg.* 3 109. et *Aen.* 4 514: *nigri cum lacte veneni.*

114. *linguis trisulcis* Virg. *Georg.* 3 439 et *Aen.* 2 475.

115. *temperiem*] ea voce usus est auctor etiam *de laud. Iust.* 3 106 et 156. Virg. *Aen.* 8 197: *ora virum tristi pendebant pallida tabo.*

116. Virg. *Aen.* 9 456: *plenos spumanti sanguine rivos.* Hor. carm. 4 2 5: *monte decurrens velut amnis.*

118. nota deesse apud Forcellinum nec non in *Appendice ad* eius *Lexicon* verbum *reclaudo* eiusque participium *reclausus*, quod occurrit hic infra v. 164, etsi adsint eorum derivata per contractionem diphthongi *recludo* et *reclusus.*

121. Virg. *Aen.* 10 55: *quid pestem evadere belli iuvit.*

124. fortasse erit corrigendum *en vario rapiuntur*, vel *et vario rapientur.*

125. saepe utitur auctor voce *factoris* pro creatore deo, ut *de laud. Iust.* 1 340 et 2 58.

130. *tremescit.* sic legitur in nostro codice, ut etiam Pierius testatur se legisse in pluribus antiquis manuscriptis libris Virg. *Aen.* 3 648 *tremesco* atque 11 403 *tremescunt.* infra tamen codex noster habet v. 142 *tremiscens.*

134. Liv. 30 7: *summa ope et ipsum reparantem bellum.*

137. Claud. *in Rufin.* 1 seu carm. 3 22: *tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant.*

140. Virg. *Aen.* 2 277: *concretos sanguine crines.* *Georg.* 1 481: *proluit insano contorquens vortice silvas fluviorum rex Eridanus camposque.*

141. Virg. *Aen.* 4 362: *talia dicentem.* Ovid. *Met.* 3 68: *ille dolore ferox caput in sua terga retorsit.*

143. Virg. *Aen.* 5 447: *ad terram pondere vasto concidit.* v. infra 255.

145. ex voce *Siculi* codicis nata est mala interpretatio huius loci in Periochis, quam videre poteris in calce poëmatis. *lymphiger* est vox addenda lexicis Latinis, rursusque occurrit infra 7 246. Lucan. 4 368: *continuus multis subitarum tractus aquarum.*

146. *aere cavo* Virg. *Aen.* 3 286. sed alio sensu ibi accipitur haec phrasis.

ib. *amnis rauca sonans* Virg. *Aen.* 9 124.

149. Claud. *Gigantom.* seu carm. 37 70: *et socias truncavit aquas.*

150. *refluit amnis* Virg. *Aen.* 8 240.

156. decimus septimus a nativitate Antalae annus respondet anno 580 Christiano, quia supra ad v. 74 vidimus illum natum esse anno 513. annus vero 530 postremus fuit regni Hilderici seu Hildemeri, ut eum vocat poëta noster, sicuti videbimus infra ad v. 198, et centesimus regni Vandalorum in Africa sumpto initio a primo ingressu Genserici in eam provinciam.

158. ipse Hercules apud Ovid. *Met.* 9 197 sic ait: *his elisa iacet moles Nemeaea lacertis.*

164. Virg. *Aen.* 12 57: *spes tu nunc una senectae,* et 9 423: *simul ense recluso.* pro voce inusitata *reclauso* vide suprà ad v. 118. item Virg. *Aen.* 10 414: *Strymonio dextram fulgenti diripit ense,* et 3 49: *auri cum pondere magno.*

167. Virg. *Aen.* 1 215: *tergora diripiunt costis et viscera nudant; pars in frusta secant verubusque trementia figunt.*

168. Virg. *Aen.* 6 550: *flammis ambit torrentibus.*

171. *tempore iam ex illo* Virg. *Aen.* 1 627.

178. Virg. *Ecl.* 2 40: *tuta mihi valle reperti.*

181. Virg. *Aen.* 8 647: *ingentique urbem obsidione premebat.*

182. *perverso numine* Virg. *Aen.* 7 584.

183. *latis campis* Virg. *Aen.* 11 465.

184. Virg. *Aen.* 11 587: *fatis urgetur acerbis.* etiam in codice quo usus est Ruizius, ut publici iuris faceret reliqua Corippi carmina, semper *urgeo* verbum cum *u,* litera liquida, invenitur sic *urgueo;* qua de re monendum esse lectorem visum est ipsi editori ad v. 33 *praef.* Rittershusio autem placuit haec constans orthographia veterum verbi *urgeo* cum littera *u urgueo,* ut ad cit. versum testatur. hinc ego veritus sum codicis nostri antiquam scripturam immutare, ubicunque eam inveni. de ratione scribendi eandem vocem videsis Cellar. *Orthogr. Lat.* p. 117 ed. Patav. 1724.

185. regnum Vandalorum in Africa innuit hic poëta, quod annis circiter 100 viguit; qua de re vide supra ad v. 16 huius libri. anno nempe 428 a Bonifacio comite vocatus fuerat Gensericus in auxilium contra Aëtium, et anno 430 iam totam fere Africam sibi subiecerat. hinc constat hic loqui auctorem de iis quae ibidem acciderant centeno post anno, scilicet 530 Christi.

189. post *vires* vocem *validas* adieci, quia mancus in codice erat hic versus; eamque accersivi ex Virg. *Aen.* 6 833: *neu patriae validas in viscera vertite vires.* feci *Naufur,* quia etiam infra 6 384 est *Naufur anhelus.* attamen fateor hunc et sequentem versum adhuc indigere medica manu.

194. *acti fatis* Virg. *Aen.* 1 36. *fatis iniquis* idem 2 257, 3 17 et 10 380.

196. Virg. *Aen.* 11 264: *versosque penates.*

198. hic procul dubio est ille rex Vandalorum Humerici filius, quem passim historici vocant *Hildericum* vel absque aspiratione *Ildericum*, qui regnavit ab anno 523 ad 530 usque in Africa. exstat in museo Trivultio eius numus argenteus tertii moduli vel quinarius, caput regis imberbe repraesentans parte antica cum inscriptione D N HILDIRIX REX, et parte aversa mulierem stantem, coronam spicis contextam in capite habentem, et extensa utraque manu spicas gerentem, cum epigraphe FELIX KART. quem praestantissimum numum eundemque rarissimum praedicat Eckhel *D. N. V.* t. 4 p. 138. fortasse tam *Hildericus* quam *Hildimer* idem est ac *nobilis* vel *nobilissimus*, ex radicibus *Idel* vel *Adel, nobilitas*, et *Rich* vel *Reich, dives*, quod parum distat sensu a *Mehr*, *multus* vel *amplius*; ut sit quasi *nobilitate affluens.* qui Germanicam linguam callent, facilius me intelligent. sane Wachterus in *Glossario Germanico* t. 1 p. 45 interpretatur *Hilderich, nobilitate potens.* de hoc rege vide Procopium *de bello Vand.* 1 9.

200. Virg. *Aen.* 6 147: *non viribus ullis vincere, nec duro poteris.* qui vellent tueri *aut* codicis, dicere deberent de industria noluisse etiam hic Corippum elidere vocalem *e* ante *a*, ut fecit *de laud.* 3 238 et 4 28, de quibus vide Rittershusium ad priorem versum, et Fogginium ad posteriorem.

201. Lucan. 3 19 *rumpentes stamina Parcas.*

202. Virg. *Aen.* 6 475: *casu perculsus iniquo.*

203. Lucan. 3 448: *servat multos fortuna nocentes.*

206. *nec spes ulla fugae* Virg. *Aen.* 9 131 et 10 121.

207. *sistere contra.* v. ad 2 229.

209. Virg. *Georg.* 2 156: *praeruptis oppida saxis*, et 557: *impia quam caesis gens.*

210. Senec. *Troad.* 178: *tum scissa vallis.*

212. Virg. *Aen.* 8 233: *praecisis undique saxis.*

218. Tibull. 4 3 2: *devia montis*, et Lucan. 4 161: *terrarum in devia.* v. supra ad 2 277.

219. Ovid. *Met.* 13 212: *munimine cingere fossas.*

220. Virg. *Aen.* 2 460: *turrim in praecipiti stantem.*

223. Virg. *Aen.* 12 917: *qua vi tendat in hostes.*

226. Virg. *Aen.* 2 358: *faucibus exspectant siccis.*

230. Virg. *Aen.* 12 119: *fontemque ignemque ferebant.*

231. *haud procul inde* Virg. *Aen.* 8 642 et *Georg.* 2 391: *complentur vallesque cavae.*

234. Virg. *Aen.* 5 709: *quo fata trahunt.*

237. Virg. *Aen.* 11 765: *detorquet habenas*, et 12 471: *flectit habenas.* item 2 626: *summis antiquam in montibus or-*

num, 10 766: *summis referens annosam montibus ornum*, 11 886: *in montibus Opis alta sedet summis*. item 2 383: *densis et circumfundimur armis*, et 409: *densis incurrimus armis*.

239. Silius 4 306: *dumosa per invia*.

241. Virg. *Aen*. 3 655: *summo cum monte*. v. et supra ad 237.

243. *versa fuga* Virg. *Georg*. 4 85.

244. Virg. *Aen*. 1 67: *laxas sciret dare iussus habenas*. et 11 493: *tandem liber equus*.

245. *ardua montis* Virg. *Aen*. 11 513.

247. Virg. *Aen*. 10 375: *numina nulla premunt*.

249. Virg. *Aen*. 9 543: *confixique suis telis, et pectora duro transfossi ligno, veniunt*.

251. *pondus civile*. rursus occurrit 4 195. utrobique *pondus civile* est, ut puto, multitudo civium: nam Nonius Marcellus *De proprietate sermonum* c. 6 n. 102 (inter *Auctores linguae Latinae* Col. Allobr. 1622 p. 746) ait: *pondus pro numero*. Varro *De vita populi Rom*. 4: *e Graecia Asiaticas in villas comportasse magnum pondus omnium artificum*. Livius autem 3 28 *civilem clamorem* dixit *clamorem civium suorum;* et passim usurpatur *bellum civile*, id est *civium*.

252. Virg. *Aen*. 11 673: *pariterque ruunt*, et 4 164: *ruunt de montibus*. item *Georg*. 4 112 et *Aen*. 10 707. similiter desinunt, *de montibus altis*.

253. *vectator*. vox addenda lexicis Latinis.

254. Virg. *Aen*. 1 446: *iactati undis et turbine*, et 7 676: *cursu rapido*.

255. *confluit* fortasse retineri potest. v. supra ad v. 143. Virg. *Aen*. 5 447: *pondere vasto concidit*.

256. de epitheto *glaucam* iuncto cum *olivam* vide ad 1 534. Colum. 12 47: *olivam manu destringere*.

257. *concusso vertice* Virg. *Aen*. 2 629.

258. fortasse nondum sanus est sensus huius versus.

261. *perdere gentem* Virg. *Aen*. 7 304.

263. meam correctionem tuetur Virg. *Aen*. 2 596: *fessum aetate parentem liqueris Anchisen?* imo Hildericus, vel, ut eum noster poëta vocat, Hildimer rex *annorum numero fessus* vere dici hic potuit ab eo, quia natus erat ex Eudoxia filia Valentiniani 3 Aug. post annum 456, quo ea tradita fuit Hunerico nuptui a Genserico, ut testatur Morcellus *Afr. Christ*. t. 3 p. 168 n. 3, et ante annum 472, quo virum ceu Arianum aversa aufugit et Hierosolymae decessit. vide Theophanis *Chronographiam* ad annum 464 ed. Paris. 1655 p. 102, et Morcell. l. c. p. 185. hinc anno 530 fortasse septuagenarius iam erat Hildericus.

264. *deiicit.* quater Virgilius usus est illa voce, totidemque vicibus in capite versus. Procopius *de bello Vand.* 1 9 deditionem Hildimeri, quam innuit hisce versibus poëta, narrat.

265. infra v. 308 rursus legitur *dirupto foedere.* de re vide Procopium l. c.

268. Virg. *Aen.* 11 217: *dirum execrantur bellum.*

269. Virg. *Aen.* 12 845: *dicuntur geminae pestes.* quae hic raptim tangit poëta, fuse descripta leguntur a Procopio libris binis *de bello Vandalico.*

276. *puppes* pro *puppis* in singulari tuentur Vossius *de analogia* 1 p. 751 apud Ricciol. *Prosod. Reform.* t. 2, et Probus apud Lancellot. *Nouv. Méth.*

277. Virg. *Aen.* 7 357: *solito matrum de more.*

280. nota quod auctor Periocharum perperam putavit mentionem hic fieri a poëta de patre Iohannis, quem infra vocatum fuisse *Evantum* constat; quanquam manifeste hi *Sidonii patres* sint patres Carthaginiensis senatus.

290. Virg. *Aen.* 7 53: *iam plenis nubilis annis.*

293. vox *inops* abest a codice, in quo sic versus et sensus claudicabant. eam mutuatus sum a Claudiano *de bello Gildon.* carm. 26 521; *si non mentis inops.* Liv. 8 6: *consensit et senatus bellum.*

295. Virg. *Georg.* 1 491: *sanguine nostro Aemathiam et latos Haemi pinguescere campos.*

296. Virg. *Aen.* 12 39: *campique ingentes ossibus albent.*

302. de binis victoriis, quas Solomon retulit anno 535 contra Mauros rebelles in Africa, consulendus est Procopius *de bello Vand.* 2 11 et 12. ex *iuda* codicis feci *Iauda:* nam de eo hic loqui poëtam nullus dubito. is *Iaudas Iabdas* vocatur a Maltreto in versione *Historiae Vandalicae* Procopii: nam Graece est Ἰάβδας, quod apud Graecos a tempore usque Iustiniani idem erat ac Ἰαύδας. fuit is *princeps Maurorum Aurasium montem incolentium,* ut nos docet Procopius c. 12 et 13. capite autem 19 addit anno 13 imperii Iustiniani vel Christi 539 Africae iterum praefectum fuisse Solomonem, qui suscepta in Mauros montis Aurasii incolas expeditione Zerbulum castellum in eodem monte a Iabda conditum oppugnavit et cepit; et c. 20 subdit Iabdam fugisse *sauciatum spiculo in femore;* nec non c. 25 narrat quod Gontharis tyrannidem affectans Mauros in Romanos commovit, ut Carthaginem peterent, sicut re vera fecerunt Numidae et Byzaceni. istis Antalas imperabat, illis autem Cutzina et Iabdas.

305. secundas curas exspectat hic versus.

307. hic innuit poëta seditionem militum contra Solomonem, quam fuse narrat Procopius *de bello Vand.* 2 14; quae accidit anno Chr. 536.

309. Virg. *Aen.* 7 540: *ea per campos aequo dum Marte geruntur.* cf. Procop. l. c.

310. ms *sed tamen hic celeri,* nullo sensu. imitatus est auctor Virgilii *Aen.* 5 445, qui desinit: *celerique elapsus corpore cessit.* a nostro poëta *Stutias* vocatur seditionis caput, ut videbimus pluries infra, qui *Stozas* est apud Procopium *de bello Vand.* 2 15. rectius a nostro poëta *Stutias* vocatur, ut mihi videtur, quia idem fortasse erat apud Vandalos ac apud Germanos nunc *Stutzer,* nempe *strenuus,* vel, ut placet Wachtero in *Glossario Germanico* p. 1642, *iuvenis superbe incedens.*

311. urbs ea erat Africae proconsularis seu Zeugitanae provinciae, nota praecipue in historia ecclesiastica: habebat enim sedem episcopalem, et distabat a Carthagine tantum 50 m. p. vide Cellar. *Not. Orbis ant.* 4 p. 162, *Vetera Roman. Itinera* curante Wesselingio Amstel. 1735 p. 45, Car. a S. Paulo *Geogr. Sacr.* p. 89 ed. Amstel. 1704, et Morcelli *Afr. Christ.* t. 1 p. 228. cf. Procopium narrantem, quae hic tangit poëta, l. cit.

317. fuit hic Germanus filius fratris Iustiniani imperatoris, et ille cuius filia Iustina nupsit Iohanni nostro. v. supra ad 1 202. missus autem fuit in Africam a Iustiniano anno 537, ut Solomoni succederet et praetorii praefectura fungeretur. de eo Procopius agit integris capitibus 16 et 17 citati libri 2 *de bello Vand.* Iohannem etiam nostrum interfuisse tunc una cum Germano in proelio contra Stutiam constat ex c. 17 p. 278 *).

318. fortasse *Vatarus* est idem ac amnis *Vadara,* de quo vide 2 68. imo videtur esse illud flumen quod Procopius, paulo supra citatus, vocat *Bagrada,* Graece *Βαγϱάδας,* nempe *Vagradas.* in *tab. Peuting.* autem est *Vatari* locus Africae. v. eandem *tab.* iuxta ed. Aesinam 1809 segm. 3 lit. F.

320. voces *nostrae* et *terrae* in codice rescriptae apparent, et pro postrema prius aderat *tellus.* sed etiam Iohannes L. de Bonis exscriptor codicis, qui in sua *Romulea* 2 inseruit hunc et sequentes 15 versus, a v. nempe 222 ad 237, habet: *nostre requies pinguissima terre.*

323. ms *pluuie* praemisso puncto. ita etiam Ioh. L. de Bonis *Romuleae* 2 225. attamen qui plures eiusdem libri versus exscripsit in eodem membranaceo codice, qui continet *Eclogas* et *Romuleam,* fecit *totum,* quam vocem reciperem, quia Virgilius et Ovidius eam iungunt cum orbe; nempe ille Ecl. 1 67: *et penitus toto divisos orbe Britannos,* et alter *Fast.* 1 85: *Iuppiter arce sua totum cum spectet in orbem.* sed *Libyae* legendum puto tum quia accedit magis ad *pluuie,* tum quia *orbis* usur-

*) Nunc mihi videtur non proprium sed potius appellativum hoc nomen esse, et loqui Caecilides de Pampo germano, id est fratre, Iohannis. *Mazzuchellius* in Corrig. p. 443.

patur etiam de parte terrae seu regione, ut notat Forcellinus ex Plin. 12 12.

325. *gemmiferis.* huius vocis desiderabatur exemplum, quod ad gemmas arborum spectaret.

327. *novellas,* id est vineas vel vites, ut Virg. Ecl. 3 11: *vites incidere falce novellas.* nisi mavis intelligere quascunque plantas teneras, ut Psalmo 127 3: *filii tui sicut novellae olivarum.*

328. *ad aratra iuvencos* Virg. *Georg.* 3 50.

335. ms *musis;* sed Ioh. L. de Bonis in poëmate cui titulus *Romulea;* 2 237, habet eundem versum, ubi in codice Trivultiano A 273 bis melius legitur *curis.* in codice autem A 275 est *musis.* sane et apud Cic. *Catil.* 1 13 est *relevare aliquem cura et metu.*

337. Propert. 4 7 51: *fatorum nulli revocabile stamen.*

339. ms *tenes;* pro quo Ioh. L. de Bonis habet *rotans.* ille hunc cum versu antecedenti sic intulit in sua *Romulea* 2 119: *cur quis es hominum tenui pendentia filo fata rotans leviter pellis quoque rumpitur orbis.* veruntamen hic et plures sequentes versus indigent secundis curis vel meliori codice, ut restituantur ad veram lectionem. forsan aliquis versus deest.

343. ms *labentem,* quam lectionem fortasse tueri possem: nam in hymno S. Ambrosii qui incipit "*aeterne rerum conditor,*" correpta est prior syllaba vocis *labentes* in versu "*Iesu labentes respice,*" iuxta omnes codices cum mss tum impressos librorum, quibus utitur Mediolanensis clerus pro recitandis quotidianis precibus, vulgo Breviariis. in nova autem recensione eiusdem libri anni 1760, in qua etiam aliquot alii versus eiusdem hymni immutati fuerunt, pro *labentes* impressum fuit *labantes,* fortasse quia sic legitur in editione operum illius S. Doctoris curante P. Nouri Parisiis 1690. in antiquioribus editionibus retentum semper fuerat vetus et fortasse vera lectio *labentes.*

345. in margine legitur haec nota: *hic describitur mortalitas quasi sicut fuit* 1348. idem legitur in Periochis. pestifer autem illius anni morbus omnibus innotuit potissimum ex Ioh. Boccaccio. Virg. *Aen.* 6 695: *tristis imago,* et 2 369: *et plurima mortis imago.*

346. in prima parte huius versus innuit poëta diluvium universale descriptum a Moise in Genesi, in altero autem illud Thessaliae, quod cecinit Ovidius *Met.* 1.

347. *letifer annus* Virg. *Aen.* 3 139.

349. feci *hausisse:* nam clare hic sermo est de *sagittis divinis,* nempe Apollinis, quae mortem inferebant Graecis, ut legitur apud Homerum *Iliad.* 1 43 et seqq.

356. Ovid. *Trist.* 1 3 21: *luctus gemitusque sonabant.*

363. Virg. *Aen.* 1 122: *apparent rari nantes in gurgite vasto,* et Lucan. 1 27: *rarus et antiquis habitator in urbibus errat.*

368. *prelia* habet etiam Ioh. L. de Bonis Ecloga 10 *de Morte* v. 47, qui cum aliis pluribus exscriptus ibidem est ex hoc Corippi loco.

369. sic autem Ioh. L. de Bonis citata Ecl. v. 48 expressit hunc versum uno in loco: *insaturus magnis,* et alio: *insatur et magnus cumulata est arca sacellis.* vox *insaturus* ignota fuit vel ipsi Forcellino, ut et *facella.* haec tamen vox derivata a *facula* translate hic sumpta est pro *numis aureis;* et in hoc sensu non invenitur exemplum ullum apud Ducangium in *Lexico mediae et infimae Latinitatis,* qui eandem vocem refert ex *Actis S. Tharaci et sociorum M. M,* seculo 4 fortasse conscriptis; in quibus haec leguntur: *et mox tres facellae apparuerunt supra ipsorum corpora.* v. eadem Acta apud Baronium in *Annal. Ecclesiast.* ad ann. 290 n. 32 t. 2 ed. Luc. p. 261, atque ea quae ipse historiae ecclesiasticae parens ibidem paulo infra, et superius n. 2 p. 256, affert pro tuenda sinceritate atque antiquitate *Actorum* eorundem; et apud Rosweydum in calce ad *Fastos Sanctorum* Antverpiae 1607 p. 91 c. 10. etsi ex Graeco eadem *Acta* conversa fuerint, tamen videtur satis antiqua illorum versio a Baronio et Rosweydo allata, et forsan antiquior illa quam ediderunt Surius Ruinartus et Bollandistae. apud Surium nempe *de probatis Sanctorum historiis* t. 5 Colon. Agripp. 1580 p. 778 legitur: *stella lucidissima e caelo terram illustrans et stans super unumquodque corpus* etc. apud Ruinartum autem in *Actis Martyrum* Veronae 1731 p. 393 n. 11, nec non apud Bueum in *Actis Sanctorum Octobris* t. 5 p. 583 c. 4 n. 45: *subito misericors deus stellam splendidam de caelo misit, quae sedebat super singula corpora sanctorum.* quamvis autem *facela,* olusculum, scribatur aliquando duplici *l facella,* non puto eam vocem huc pertinere ullo modo.

370. in citata Ecl. 10 Ioh. L. de Bonis v. 49 sic legitur: *et tamen ardet inops, numquam saturatur avarus.* feci *ardor opum,* ut apud Ovid. *Met.* 8 828: *furit ardor edendi.*

373. *defuncti* est apud de Bonis cit. Ecl. 10 53.

383. bis in lib. 2 *de laud. Iust.,* et quinquies in operibus Virgilii, apud quem plerumque initio versus, reperitur *erigit,* sed nusquam apud eosdem reperi *eriget.*

384. rem narrat Procopius *de bello Vand.* 2 21, ut iam retuli ad 1 469. v. et 2 28 et seqq. praeterea ipse Antalas producit causas suae defectionis a Romano imperio in epistola ad Iustinianum, quam recitat idem Procopius lib. cit. c. 22.

393. *Libyae sitientis arenas* Lucan. 1 368.

394. Ovid. *Met.* 5 484: *et modo sol nimius.*

401. *consurgere bellum* Virg. *Aen.* 8 637.

402. Virg. *Aen.* 10 707: *de montibus altis actus aper.*

403. Virg. *Aen.* 12 149: *nunc iuvenem imparibus video concurrere fatis.*

404. Barthius *Advers.* 42 13 col. 1891 animadvertit *apud Sidonium aliosque eius aevi et generis scriptores paginam* (ut hoc loci) *epistolam designare.* sed puto etiam ipsum Ciceronem usurpasse paginam pro epistola *Epist. Fam.* 16 4, ubi ait: *varie sum affectus tuis litteris, valde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus;* et *Attic.* 6 2: *quoniam respondi postremae tuae paginae prima mea, nunc ad primam revertar tuam.* haec tamen exempla Forcellinus refert ad probandum quodcumque scriptum dictum fuisse paginam.

408. ms *Cosina,* sed infra 4 510, 6 245 et 7 371, 439, 458, 465 et 475 legitur *Cusina.* a Procopio autem vocatur *Cuzinas de bello Vand.* 2 10 et *Cutzinas* c. 25 et 28, item *de bello Goth.* 4 17. a Ioh. Malala in *Iustiniano* p. 84 ed. Ven. 1733 vocatur *Cutzines.* in *Historia* autem *Miscell.* apud Murator. *Rer. Italic. Scriptores* t. 1 p. 110 vocatur *Chutinas;* et ibidem in nota 37 subiungitur: *aliter Cuatinas, al. Cutzinus.* in priori ex citatis locis Procopii is narrat anno 534 fuisse Cusinam barbarorum Maurorum ducem rebellium in Romanos contra Solomonem; et in secundo ex citatis locis Procopii legitur quod *Numidis Cutzinas et Iabdas imperabant, Byzacenis Antallas sub Gonthari.* de *Mastracianis* populis fortasse Numidiae, quos secum adduxit Cusinas, nihil invenire potui apud geographos. plura de eodem atque de eius fide in Romanos habes ex hoc Corippi poëmate; illius autem infelicem exitum narrat Malala l. c.

410. primam in *Pelagius* producit etiam S. Prosper apud Ricciolium in *Prosodia reformata,* qui recitat hunc illius versum: *quid prodest verbis commentum Pelagianum.* sed Baptista Mantuanus, quem propterea reprehendit idem Ricciolius ibidem, corripuit in hoc versu: *armipotens sumptis audere Pelagius armis.*

411. Val. Flacc. 2 69: *Cereris munere fessas restituunt vires.*

412. prius legebatur in codice *infauces;* sed postmodum in pluribus litteris intermediis haec vox adeo fuit immutata ut nescias quid legas.

415. *versis fatis* Virg. *Aen.* 11 287.

417. *pervenerat oras.* exempla ex Ovidio et Claudiano huius verbi cum solo accusativo vide apud Forcellinum, quibus addere potes aliud Claudiani exemplum ex carm. 15 326: *Hesperiam pervenit avus.*

426. in codice est p̄mas, ita ut legere quisque possit *premas;* sed fortasse in antiquiori codice erat p̄lmas, id est *palmas.*

428. infra pluries *Guntarich.* is *Gontharis* vocatur a Procopio, qui *de bello Vand.* 2 a c. 19 usque ad libri eiusdem finem saepe eius meminit. citato capite p. 282 dicitur *Gontharis e stipatorum Solomonis* (post eius reditum in Africam, qui contigit anno 539) *numero, bellator egregius.* a Paulo diacono *Hist. Miscell.* 17 ed. Aldinae 1521 p. 304 vocatur *Guntarith;* ubi *Vintarith* legitur in editione Muratoriana inter *Rer. Italicar. Scriptores* t. 1 p. 107, ubi liber citatus est 16. nescio qua auctoritate nisus Morcellus *Afr. Christ.* t. 3 p. 298 eum dicat *Armenum:* nam Armenicae linguae ignarum fuisse patet ex eo quod narrat Procopius *de bello Vand.* 2 28, ubi exponit quomodo ab Armenis ad mensam occisus fuerit, inter alia haec referens: *incepto convivio rem aggredi destinans Artasires manum acinacis capulo iam admovebat: sed Gregorius eum tenuit, lingua monens Armenia nondum sat bene potum Gontharin, mentis compotem adhuc esse.* imo nomen ipsum eum Vandalum fuisse monstrat: nam iuxta Wachteri *Glossarium Germanicum* a *Gund* (p. 644) *voce Francisca et Vandalica,* quae *bellum* vel *proelium* significat, *Gontharis* (p. 625), *Guntharis* est idem ac *pugnax* vel *bellicosus,* et *Gundericus* interpretatur *bellipotens,* qui fuit *rex Vandalorum in Hispania, apud Isidorum in Chronico.* Grotius tamen, *quoties Gund offendit in nominibus propriis, benevolum aut benevolentiam interpretatur,* ut refert idem Wachterus cit. p. 625, qui eum refellit. a poëta nostro hic *infelix* vocatur Guntarich fortasse propter infelicem exitum cuiusdam expeditionis contra Mauros a Solomone iussae, vel quia, ut videbimus infra, anno 545, die tricesimo sexto post occupatam ab eo tyrannidem, ipse confossus gladiis Armenorum misere interiit.

430. potes etiam legere pro *minax minans.*

431. *metus acer agens* Virg. *Aen.* 1 366 et 3 682.

432. correxi ex Virg. *Aen.* 12 252: *convertunt clamore fugam.* sed ex eiusdem 9 378, qui incipit *sed celerare fugam,* poteris fortasse supplere *celerare* pro *clamore.*

438. vide supra ad v. 238.

439. Virg. *Georg.* 3 149: *acerba sonans,* et *Aen.* 12 398: *acerba fremens.* Ovid. *Heroid.* 8 107: *acerba gemens,* et Lucr. 5 34: *acerba tuens.*

440. *transfixo pectore* Virg. *Aen.* 1 48.

441. Virg. *Aen.* 3 1: *evertere gentem immeritam visum superis,* et 376: *is vertitur ordo.* *Solomonis* mortem descripsit Procopius, ut retuli ad 1 470.

444. *tristis arator* Virg. *Georg.* 3 517.

458. *Stutias*. de eo vide supra ad v. 810; et his quae ibidem retuli ex Procopio, iunge haec alia ex Iornande *de regnorum successione* apud Murator. *Rer. Italic. Scriptor*. t. 1 p. 240: *Stozas pene ultimus militum et Martini clientulus magistri militum, tyrannidem arripiens auctorque seditiosorum effectus, Cyrillo Marcello Fara aliisque diversis iudicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem saeviebat totamque Africam tyrannico ritu vastabat.*

Lib. 4 v. 1. *dum placet*, id est *dum volo*.

8. hic est ille dux de quo nonnulla tradit Procopius *de bello Vand*. 2 23, quae tamen non congruunt cum iis quae noster poëta canit. in libro autem 3 *de bello Goth*. Procopius narrat c. 37 Rhegium Calabriae Himerium propugnasse, et c. 39 Gothis se dedisse.

12. Plin. *Epist*. 4 11: *non paginas tantum epistolae, sed etiam versus syllabasque numerabis.*

14. hic Iohannes fuit Sisinnioli filius, de quo plura narrat Procopius *de bello Vand*. 2 19. recole hic etiam quae retuli supra ad 2 36 ex c. 22; iisque iunge haec pauca ex c. 23: *Iohannes, quem in aliquo numero ponebant Mauri, offensus Sergio plane cessabat.* fere eadem habentur in *Historia Arcana* c. 5. alia de eodem Iohanne ex Procopio paulo supra allata fuerunt ad v. 8, et reliqua proferentur infra.

24. Martianus Capella *de nuptiis Philologiae* 9 p. 304, de Iride: *quae vias vestigia exitusque ignivagae denuntiationis agnoscit.*

28. Virg. *Aen*. 9 125: *revocatque pedem*. item vide ad 2 229.

30. Virg. *Aen*. 6 96: *via prima salutis*.

32. *mors erat ante oculos* Lucan. 9 763.

39. *sonat ungula cornu* Virg. *Georg*. 3 88.

40. hic et mox infra codex habet *urget*, non vero, ut alibi, *urguet*. Virg. *Ecl*. 5 28: *montesque feri*.

41. *Cebar*. de hoc loco, si tamen est nomen proprium loci, nullam mentionem reperi apud geographos. Ptolemaeus meminit cuiusdam oppidi *Chobat* Mauritaniae Caesariensis, et *Coba* municipium est in *Itinerario* Antonini. vide Cellar. 4 6 p. 192.

43. urbs clara in Numidia fuit *Mileu*, ubi episcopus sedit S. Optatus, sic vocata in *tabula Peutingeriana* et ab Aethico. ab aliis ea *Mileum* sive *Milevum* aut *Milevi* etiam nuncupatur. v. Cellar. 4 5 p. 181.

46. Virgilii *Aen*. 12 595 prae oculis habebat exscriptor codicis, ubi legitur *tectis venientem prospicit hostem*.

49. Lucillius lib. 30 apud Nonium Marcellum *de proprietate sermonum* c. 4 v. 413 (inter *Auctores Latinae linguae* Dion. Go-

thofredi Coloniae Allobr. 1622 p. 703): *et saevo ac duro in bello multo optimus hostis.*

50. *in medias acies* Virg. *Aen.* 12 224 et 227. item v. 175: *stricto sic ense precatur,* et 11 746: *volat igneus aequore Tarchon.*

55. *et urget* Virg. *Aen.* 10 433.

56. *hortaturque viros* Virg. *Aen.* 5 177.

64. plures urbes sub Iustiniano imperatore sortitae sunt eius nomen, quas enumerat Procopius in libris *de aedificiis Iustiniani.* in Africa Carthago et Hadrumetus Byzacii metropolis vocabatur utraque *Iustiniana,* ut legitur ibidem 5 5 p. 115, quia utramque post debellatos Vandolos ille Augustus muris cinxit. de posteriori hic loquitur poëta procul dubio, cuius cives saepe Mauri appetebant armis, ut narrat idem Procopius loco mox citato. videatur etiam Nic. Alemannus in *Notis historicis ad* illius *Hist. Arc.* c. 11 p. 125, ubi decem et octo recensentur urbes de Iustiniani nomine vocatas. confer Procopii locum citatum ad huius libri v. 8.

66 et 73. ms *maturius,* sed infra vv. 201 et 503 est *marturius.*

76. rem narrat Procopius *de bello Vand.* 2 23.

79. Virg. *Georg.* 2 280: *et campo stetit agmen aperto.* item *Aen.* 10 540: *quem congressus agit campo.* 11 493: *campoque potitus aperto,* et 12 353: *hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto,* et 450: *campoque atrum rapit agmen aperto.*

83. ms *Ariob indis.* hinc auctor Periocharum, qui videtur fuisse idem exscriptor codicis, putavit *Ariob* quendam venisse *ab India* usque. a Procopio, qui saepe in libris suis eius meminit, idem vocatur *Areobindus, de bello Pers.* 1 8 et seq. et alibi. fuit ille Olybrii gener, Proiectae, Vigilantiae Iustiniani sororis filiae, maritus, et magister militum Orientis. eius adventum in Africam nuntiat Procopius *de bello Vand.* 2 24. confer Alemannum in *notis ad Hist. Arc.* 5 p. 13, 12 p. 69 et 21 p. 97 ed. Lugd., vel p. 98, 139 et 161 ed. Paris. 1663, ubi legitur tum *Areobynthus* tum *Areobyndus,* et is asseritur utramque gessisse praefecturam, urbanam et praetorianam.

84. quater usus est Virgilius voce *territus,* semperque ut hic in quinta sede versus.

85. *Languantan.* v. ad 1 144.

88. *utrumque ducem.* nempe Sergium et Ariobindum, de quibus Procopius *de bello Vand.* l. c.

88—90. eandem sententiam habet Lucan. 1 92—3.

94. innuit poëta invidiam Caini adversus Abel.

95. Virg. *Aen.* 7 602: *nunc maxima rerum Roma colit.* Lucan. 1 95: *fraterno primi maduerunt sanguine muri.* Cic. *post reditum ad Quirites* c. 5: *cum omnia cum omnibus foedera san-*

guine meo sancirentur. Servius ad Virg. *Aen.* 12 200 scribit *sancire proprium esse sanctum aliquid, id est consecratum, facere fuso sanguine hostiae, et dictum sanctum quasi sanguine consecratum.*

100. Virg. *Aen.* 6 743: *quisque suos patimur manes.*

ib. superbiam Sergii praedicat Procopius pluribus in locis supra citatis ad v. 14 et 88.

101. Ariobindus, ut Sergius, erat et ipse magister militum in Africa.

104. Cic. *Act.* 4 in Verr. c. 21: *hostis ferus et immanis.* Virg. *Aen.* 9 754: *atque illi partibus aequis.*

107. Virg. *Georg.* 3 236 incipit: *signa movet,* et *Aen.* 2 511 desinit: *densos fertur moriturus in hostes.*

109. Claud. *de bello Get.* carm. 26 202 incipit: *secum cuncta trahens.*

117. *mortis honestae* Lucan. 10 540.

119. Virg. *Aen.* 9 38: *hostis adest, eia.*

122. Virg. *Aen.* 10 469: *hoc virtutis opus.*

124. Virg. *Aen.* 1 527: *gentes frenare superbas.* et 12 49: *pro laude pacisci.*

126. alii fortasse corrigent: *hanc nos velle fugam?*

133. Virg. *Aen.* 9 580: *spiramenta animae letali vulnere rupit.*

137. Virg. *Aen.* 4 132: *Massylique ruunt equites.*

138. *de laud. Iust.* 2 280: *tunc ordine longo,* et 4 67: *staret in ordine longo.* Virg. septies habet *ordine longo.*

139. Virg. *Aen.* 12 415: *volucres haesere sagittae.*

140. Plin. *H. N.* 34 14 agit *de ferro pennato,* id est pennis munito, ut aërem facilius penetret, quemadmodum in telis et sagittis videmus. *ut ocius,* subdit ille, *mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus pennasque ferro dedimus.*

149. Virg. *Georg.* 4 522: *discerptum latos iuvenem sparsere per agros.*

152. Virg. *Aen.* 7 710: *una ingens Amiterna cohors,* et 11 500 de Camilla ait: *quam tota cohors imitata.* de orthographia verbi *perurguet* vide quae adnotavi ad *urguebat* 3 184.

153. Virg. *Aen.* 11 746: *volat igneus aequore Tarchon.*

155. *victor ovans* Virg. *Aen.* 5 331. Lucan. 7 448: *calet omne nocens a Caesare ferrum.* Claud. *de raptu Proserp.* 2 202: *sanguine frena calent.*

158. Virg. *Aen.* 2 184: *nefas quae triste piaret.*

162. Lucan. 5 59: *Fortunae, Ptolemaee, pudor crimenque deorum.*

165. Virg. *Georg.* 1 489: *paribus concurrere telis.*

166. ius *latum* contra leges versus. Cic. *Philipp.* 11 8: *Sertorianum bellum a senatu privato datum est.*

169. Virg. *Aen.* 12 938: *stetit acer in armis.*

173. Virg. *Aen.* 7 499: *perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.* fere idem de morte Stutiae legitur apud Procopium *de bello Vand.* 2 24. Victor Tunonensis in *Chronico* pluries edito, et postremo in *Bibliotheca Patrum studio Andr. Gallandi* t. 12 p. 230, sic ait: *post consulatum Basilii V. C. anno 5 Stuza tyrannus apud Africam, portu Taceae congressione facta, Iohannis Romanae militiae ducis iaculo percussus est, parique vice Iohannes Stuzae; qui confestim alterutro utrique gladio ceciderunt, et dominico die, quo pugna facta est, moriuntur.* Marcellinus Comes autem in *Chronico* p. 73 ed. Lut. Paris. 1619 haec habet: *Ind.* 8 *post consulatum Basilii anno* 4. *in Africa Iohannes inruens super tyrannum Stotzam interimit eum, et ipse ab eius occiditur armigero.* hoc Morcellus *Afr. Christ.* t. 3 p. 298 refert ad annum Christi 544, ad cuius exitum spectat indictio 8, quam iungit cum anno 4 P. C. Basilii Marcellinus; attamen hic videtur ad sequentem annum reducere 545, cum quo concordat Victor: hic enim 5 annum notat post consulatum initum Basilii, et ille 4 annum post consulatum exactum, ut observat Phil. a Turre in sua *Dissert. Apolog.* edita Patavii 1713 p. 112 et seq. Iornandes *De regnorum successione* (apud Murator. *Rer. Italic. Scriptor.* t. 1 p. 142) *in Africa,* ait, *a Mauris dudum perempto Salomone Stozas et Iohannes invicem singulari certamine corruunt.* tot testes arcessivi, quia poëta noster mortem Iohannis non describit, etsi illum cecidisse in hoc conflictu cum Stutia, vel potius paulo post, ut scripsit Procopius, coniicere facile quisque potest ex iis quae sequuntur, et maxime ex v. 382, ubi Antalas dicit "*Primi post fata Iohannis.*" confer v. 168—9, ubi hic pariter vocatur *Iohannes Primus;* unde puto Iohannem, quem Sisinnioli filium vocat Procopius, nuncupatum fuisse etiam *Primum,* ut alter *Iohannes* cognominatur *Felix* 5 520 huius poëmatis.

177. v. supra ad v. 183.

178. Virg. *Aen.* 11 805: *dominamque ruentem suscipiunt.*

181. Virg. *Aen.* 9 66: *et duris dolor ossibus ardet.*

186. *quo ruitis?* Virg. *Aen.* 12 313.

191. hic amnis fortasse erat Tusca, qui dividit Numidiam a provincia proconsulari.

195. vide ad 8 251. etiam Iustinus 12 in fine opponit *civilem hostili,* ubi ait: *victus erat non virtute civili sed fraude hostili.*

197. Virg. *Aen.* 9 543: *confixique suis telis et pectora duro transfossi ligno veniunt.*

199. *immani pondere* Virg. *Aen.* 5 401.

200. *miseranda manus* Virg. *Aen.* 11 259. hic videtur innuere poëta etiam mortem Iohannis Primi, ut narrat Procopius

loco paulo ante citato. fortasse etiam aliquis versus omissus fuit ab exscriptore codicis, in quo ea exprimebatur. haec suspicio vim acquirit ex sphalmate sequentis versus.

201. hic versus sic truncus legitur in codice: *dux simul marturius illis.* cum autem in margine paulo infra exstent haec verba: *postquam medio,* suspicatus sum ea spectare ad eundem versum, quem, ut potui, restitui.

202. *moriturus in hostes* Virg. *Aen.* 2 511 et 9 400 et 559. et 12 484: *fugam cursu tentavit.*

203—4. v. supra ad 1 561—2 et infra ad 5 711. Virg. *Aen.* 10 791: *hic mortis durae.*

205. *anima fugiente* Virg. *Georg.* 4 526.

206. Ovid. *Met.* 10 402: *suspiria duxit ab imo pectore.*

207. Virg. *Georg.* 3 223 incipit pariter. sic et *Aen.* 3 577 et 4 687.

208. in cit. cod. poëmatis de Bonis v. 896: *fuerat tam dira voluntas?*

209. Virg. *Aen.* 1 286: *Romanos rerum dominos.*

210. Plaut. *Stich.* 1 1 50: *et me quidem haec concitio nunc non poenitet.*

211. de Bonis l. cit. v. 900 habet *trahit.* Sallust. *Iugurth.* c. 17: *ut ille impietatis in parentem nostrum graves poenas reddat.* Virg. *Aen.* 4 386: *dabis, improbe, poenas.*

212—4. Ioh. L. de Bonis l. c. v. 831—2 iuxta cod. A 275: *que merui patior video iam tartara mestus flammarumque globos et dira incendia volvi.* sed in cod. A 274 legitur: *quas merui, furens sotius catellina furentis* et cet., ut in cod. Corippi. Virg. *Aen.* 3 331: *et scelerum Furiis agitatus Orestes. Georg.* 1 472—3: *vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam flammarumque globos.* item *Aen.* 9 77: *saeva incendia.*

215. Virg. *Aen.* 6 430 desinit: *crimine mortis,* et 10 791 incipit: *hic mortis durae* cet.

218. Tacit. *Ann.* 6 c. penult.: *interclusa anima* (Tiberius) *creditus est mortalitatem explevisse.*

220. nempe morte Iohannis Primi. de utriusque interitu lege quae retuli ad v. 173.

223. *adulter* vocatur Guntarich, quia cupiebat sociare sibi Proiectam neptem imperatoris Iustiniani et uxorem Ariobindi, quem contra fidem datam et iuramento firmatam occiderat. v. Procop. *de bello Vand.* 2 25 et seq.

225. *ductorem incautum,* nempe Ariobindum, de quo vide Procop. l. c. c. 26.

226. Virg. *Aen.* 9 397—8: *fraude loci et noctis, subito turbante tumultu, oppressum rapit.*

231. Iob 17 1: *dies mei breviabuntur.* Matth. 24 22: *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed*

propter electos breviabuntur dies illi. Marc. 13 20: *et nisi breviasset dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.* Corippus innuit hic brevitatem regni Guntarich, de quo ait Procopius *de bello Vand.* 2 28 et Victor in *Chronico* ad annum 546, perdurasse tantum 36 dies.

232. Procopius Athanasii consilium, quod memorat hic poëta, non innuit. huius viri tamen pluries mentionem facit, scilicet *de bello Goth.* 1 6, ubi eum dicit *fratrem Alexandri senatoris et legatum* Iustiniani ad Theodatum Italiae regem; et 2 22, in quo narrat dimissum fuisse a Vittigi et ornatum praefectura praetorii Italiae; et c. 29. libro autem 3 c. 32 vocat eum Leontii socerum. deinde fuit, ut legitur *de bello Vand.* 2 24, ad praefecturam Africae translatus, ubi Guntarich tyranno adulatus est; ab eoque vita donatus, cum ipso epulatus est in extrema illius cena, ut videbimus infra.

242. Marcellinus Comes p. 75 in *Chronico* ad ann. Christi 547 haec scripsit: *Ind.* 10 *P. C. Basilii* 6. *eodem anno de Africa neptis imperatoris revertitur vidua, occiso Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stotza iuniore tractans eum occiderat. sed Artabanes utrosque comprehensos Guntharium occidit, Iohannem idem Stotzam iuniorem vinctum transmisit ad principem.* Victor Tunonensis in *Chronico* haec refert: *Post C. Basilii* 5 *C. anno* 6 (Chr. 546) *Guntarith magister militum Ariobindum patricium principemque Romanae apud Africam militiae, eo tempore ab imperatore missum, Carthagine intra palatium nocte perimit, et regnum cum tyrannide assumit. hunc Carthaginis dux Artabanus, trigesimo sexto regni sui die prandentem interfecit.* Iornandes *de regnorum successione* int. *Rer. Italic. Scriptores* t. 1 p. 282: *alius Iohannes, qui Stozas iunior dicebatur, suscepta tyrannide Guntharim magistrum militum secum esse suadet. qui interficiens Ariobindam, iugalem eius neptem imperatoris sibi cupiens sociare, praevenitur ab Artabane, qui eo in convivio trucidato neptem imperatoris ereptam ad urbem principi dirigit cum honore, simulque ferreis vinculis colligatum ei tyrannum destinavit Iohannem, qui Stoza perempto in eadem successerat tyrannide; quem in urbem discussum manibusque truncatis ad exemplum ceterorum in patibulo fixit.* sed praestat totam tragoediam apud Procopium legere, qui fuse eam exponit 2 *de bello Vand.*

255. auctor *de laud. Iust.* 2 94 de sole cecinit: *ardentes radios mittit iubar.* hic autem lunam apte vocat *tardum iubar.*

259. Virg. *Aen.* 3 588: *postera namque dies primo surgebat eoo.*

263. Virg. *Aen.* 11 18: *arma parate.*

264. *gaudentque tuentes* Virg. *Aen.* 5 575. 6 198: *quae signa ferant.* 7 628 et 8 498: *signaque ferre.*

268. Virg. *Aen.* 1 97: *duplices tendens ad sidera palmas.*

269. pro *canens* bis scripsit *ciens* Ioh. L. de Bonis in cod. A 274. sed lectioni codicis Corippi favet Virg. *Aen.* 3 373: *haec deinde canit divino ex ore.*

272. *de laud. Iust.* 4 300 vocatur Christus *factorque et conditor orbis.*

273. Ps. 45 10: *arcum conteret, et confringet arma.*

274. Virg. *Aen.* 11 335: *rebus succurrite fessis.*

275. Virg. *Aen.* 5 730: *gens dura.*

278. vide an pro *noctibus* codicis legendum sit *nexibus.* poëta noster *de laud.* 4 62: *et ferri nexibus artant.* Virg. *Ecl.* 6 23: *quo vincula nectitis?* et *Ecl.* 8 78: *vincula necto.*

279. Virg. *Aen.* 2 57: *manus iuvenem interea post terga revinctum.* hinc pro *palmis,* ut habet codex Corippi et I. L. de Bonis p. 209 et 218 cod. A 274 in poëmate *pro I. G. Vicecomite* v. 364, fortasse erit legendum *palmas.*

281. Ps. 46 4: *subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* pro *sterne* codex Corippi habet *externa;* sed in cod. A 274 I. L. de Bonis p. 209 et 218 v. 368 rectius est: *sub nostris pedibus Gallorum sterne catervas.* imo legitur apud Virg. *Aen.* 7 426: *Tyrrhenas, i, sterne acies.*

283. *solite*] perpende sensum huius adverbii non prorsus eundem ac illum quem adnotavit Forcellinus apud Plautum.

284. Ier. 31 13: *convertam luctum eorum in gaudium.*

285. Virg. *Georg.* 1 389: *in sicca spatiatur arena.*

286. *quippe dolor* Virg. *Aen.* 12 422, et 1 308: *mentemque benignam.*

288. codex Corippi, et etiam I. L. de Bonis in ms A 274 p. 209 et 219, scripsit *consumans* unico *m,* ita ut parum differat scriptura a *confirmans.* quare suspicor hanc fuisse lectionem codicis antiquioris, ex quo descriptus fuit Trivultianus. nam apud Virg. legitur *Aen.* 12 212: *firmabant foedera dictis.*

292. Virg. *Aen.* 6 754: *et tumulum capit* et 12 562: *tumulumque capit.*

293. Corippus in *Dedic.* 29: *iudiciis relevare piis.* et Virg. *Aen.* 7 246: *cum iura vocatis more daret populis.*

294. Virg. *Aen.* 8 119: *dicite lectos Dardaniae venisse duces.* poteram etiam legere *laetique,* ut Virg. *Aen.* 2 260: *laetique cavo sub robore promunt Tisandrus Sthenelusque duces.* sed hoc epitheton, quod quammaxime congruit huic Virgilii loco, non bene aptatur, ut puto, loco Corippi, ubi forsan alii legent *utrinque;* quod tamen non mihi videtur convenire, ubi agitur de ducibus tantum qui suberant Iohanni. *de laud. Iust.* 3 356 desinit similiter: *fortesque tribuni.*

295. praepositionem supplevi ex Virg. *Aen.* 5 378. scio Ruizium dixisse aliquando a Corippo vitari elisionem vocalium, ut *de laud.* 4 28, ubi ipse edidit *more apum:* sed eum redarguit Dempsterus, et *more apium* contendit esse ibidem veram lectionem. ter apud Virg. legitur *agmine denso,* nempe *Aen.* 2 450, 9 788 et 12 442; et Lucr. 1 586: *agmine condenso.*

296. *stipante caterva* Virg. *Aen.* 1 501 et 4 136.

298. pro *efficiunt* in codice est *effigiunt,* ut et *secuntur,* quod postremum retinui, etsi critici id improbent, ut ait Forcellinus verbo *sequor.* Virg. *Aen.* 7 66 de apibus pariter ait: *pedibus per mutua nexis, examen subitum ramo frondente pependit.*

302. *densis exercitus alis* Virg. *Georg.* 1 382.

304. *de montibus altis* Virg. *Georg.* 4 112 et *Aen.* 10 707.

305. *ecce volat* Virg. *Aen.* 5 324.

306. Virg. *Aen.* 8 604: *celsoque omnis de colle videri.*

308. Virg. *Aen.* 7 808: *per summa volaret gramina,* et 5 833: *densum Palinurus agebat agmen.*

310. an *flexit equum?* ut apud Caesarem *de bello Gall.* 4 33: *equos sustinere et brevi moderari ac flectere.* at hic videtur idem esse ac *equo descendit* vel *ab equo desiluit,* ut apud Virg. *Aen.* 11 499: *quam tota cohors imitata relictis ad terram defluxit equis.* imo suspicor pro *flexit* esse legendum *fluxit.* de voce *more* vide supra ad v. 293.

311. Ovid. *Her.* 2 94: *oscula per longas iungere pressa moras,* et *de laud. Iust.* noster 1 158 Virg. *Aen.* 9 801: *manus e castris propere coit omnis in unum,* et 10 410: *socium virtus coit omnis in unum.*

312. Virg. *Georg.* 2 490: *felix qui potuit rerum cognoscere causas.*

314. Virg. *Aen.* 10 80: *pacem orare,* 11 110: *pacemne oratis?* et 414: *oremus pacem.*

315. adieci *sic coepit,* quia mancus est hic versus in codice, illudque arcessivi ex lib. 3 *de laud.* v. 270. item 2 10: *supplex lacrimis ita coepit abortis.* imo Virg. *Aen.* 1 525: *maximus Ilioneus placido sic pectore coepit.*

317. Virg. *Aen.* 2 512: *aedibus in mediis,* et 10 682—3: *catervis vertitur in mediis.* item 9 312: *multa patri portanda dabat mandata.*

320. recole Virg. *Aen.* 6 165: *aere ciere viros;* nisi malis legere: *voce ciens,* ut *Aen.* 3 68: *voce ciemus.* ib. 7 676 invenies etiam *cursu rapido.*

322. *ut quondam Ditem*] hac de re vide Claud. *de raptu Proserp.* 1 32 et seqq.

325. Virg. *Aen.* 6 304 *senior* vocatur Charon, et eius *cymba* memoratur ib. 303 et 413.

329. *ex circonstitit* potuissem facere etiam *circumstitit*, ut habet Cellarius in *Libro memoriali Latinitatis probatae* verbo *sto*; quamquam Forcellinus tantum habeat *circumsteti*, et *circumstetit* legatur in pluribus praecipuisque editionibus Virgilii *Georg.* 4 361 et *Aen.* 2 559 et 8 300, ubi occurrit idem verbum in penultima sede versus.

332. *intonat ore* Virg. *Aen.* 6 607.

337. Virg. *Aen.* 10 378: *pelago Troiamne petemus?*

338. *de laud.* 1 123: *ora premens digito, dextraque silentia fecit.* Virg. *Aen.* 11 241: *tunc facta silentia linguis.*

340. cf. *de laud.* 1 168—9 et 4 195—7.

341. Cic. *Phil.* 14 5: *creberrimum fuisse sermonem;* et Virg. *Aen.* 12 222—3: *crebescere vidit sermonem.*

345. ms *depetrisse*, quod versus mensura reiicit, etsi eodem verbo usus sit Corippus *de laud.* 2 69.

347. Virg. *Aen.* 10 912: *proelia tentent.*

350—1. *illi inter sese* Virg. *Georg.* 4 174 et *Aen.* 10 146 et 12 720 per *furentes latratus* intellige *furiose edentes latratus*, ut Stat. *Theb.* 9 5: *praecipuum tunc caedis opus, Gradive, furebas.* in lexicis Latinis hucusque non fuit adnotatum quod *latratus* translate sumantur pro *voces barbarorum*. de verbo *latro* v. ad 2 27.

361. hic sermo est de Artabane, qui occidit ferro Guntarich, de quo vide supra ad v. 242. nota autem exemplum contra Diomedem et Priscianum, qui ita distinxerunt praeterita verbi Neco, ut Necavi sit quasi ferro occidi, Necui quasi suffocavi. inter Opera Tertulliani *incerti auctoris adversus Marcionem* 2 178: *sponsa virum necuit, genuit sed sponsa leonem: virgo viro nocuit, sed vir de virgine vicit.* hic agitur, ut patet, de morte illata ab Eva Adamo porrigendo ei noxiale pomum. Petrarcha fortasse poëma istud Corippi vidit: nam huius versus postremam partem imitatus est Ecl. 6 93, ubi legitur etiam in eodem nostro codice: *quos fingis amicos.*

362. *arte nova* Virg. *Aen.* 7 477.

363. *de laud.* 3 226 *fulmineus, cautus, vigilans* vocatur Narses.

365. *fida satis* Virg. *Aen.* 2 377.

366. hoc nomen fratris Antalae, iussu Solomonis morte multati, non prodit Procopius, qui *de bello Vand.* 2 22 Antalae recitat epistolam ad Iustinianum, in qua conqueritur de morte fratris. vide supra ad 1 469.

377—8. in margine sic legitur: *N. pro Flo.*, id est: *nota pro Florentinis.* fortasse hic auctor notulae huiusmodi innuit illam pacem, quam Florentini obtinuerunt a Pisanis quodam artificio, cuius meminit Ioh. Villanus 9 85, et Muratorius post eum in Annalibus Italiae ad annum 1317.

382. *Iohannis*, nempe Iohannis Sisinnioli filii, ut eum vocat Procopius, quique *Primus* vocatur etiam supra v. 169 huius libri. eius mortem innuit poëta tum hic tum versibus 219—20, eamque Procopius descripsit loco cit. ad v. 173.

385. Virg. *Aen.* 10 723: *leo si forte conspexit surgentem in cornua cervum.*

386. Virg. *Aen.* 12 753: *vividus Umber*, scilicet *canis*, ut explicat Erythraeus in *indice in Virgilium* et Ruaeus in nota ad hunc locum. item *Georg.* 3 410: *et canibus leporem, canibus venabere damas.*

387. Virg. *Aen.* 11 721: *quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto consequitur pennis sublimem in nube columbam.*

388—9. Virg. *Ecl.* 9 29: *cantantes cycni*, *Aen.* 5 255: *Iovis armiger*, 7 65: *liquidum trans aethera vectae*, 9 563—4: *cycnum sustulit, alta petens, pedibus Iovis armiger uncis.* et 12 247—50: *namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra .... cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.*

391. Virg. *Georg.* 1 489: *inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi.*

392. *et proelia tentent* Virg. *Aen.* 11 912.

393. imitatus est hoc loci auctor Virg. *Aen.* 11 296—9. item *Aen.* 12 318: *media inter talia verba.*

398. Virg. *Aen.* 11 299: *vicinaeque fremunt ripae*, et 5 150: *pulsati colles clamore resultant*, et 8 305: *collesque resultant.*

399. cf. *de laud.* 2 177 et 1 123. *Iudic.* 3 19: *et ille imperavit silentium.* item *Act. Apostol.* 13 16: *manu silentium indicens*, et 19 33: *manu silentio postulato.*

400. Virg. *Aen.* 2 1: *conticuere omnes, intentique ora tenebant.*

405. ms *movet*, quod fortasse mutandum non erat propter caesuram. Virg. *Aen.* 7 603: *prima movent in proelia Martem.*

406. Virg. *Aen.* 4 197: *incenditque animum dictis*, 5 719: *talibus incensus dictis*, 12 238: *talibus incensa est iuvenum sententia dictis*, et 426: *primusque animos accendit in hostes.*

408. quibus displicet *regnavit* cum accusativo uti activum verbum, legant: *toto regnavit publica mundo*, ut Sen. *Herc. fur.* 68: *vacuo volet regnare mundo*, et Ovid. *Met.* 14 223: *Aeolon ille refert Tusco regnare profundo.*

413. Virg. *Aen.* 12 827: *potens Itala virtute propago.*

421. Virg. *Aen.* 1 507: *talem se laeta ferebat*, et 3 318: *quae digna satis fortuna revisit.*

422. *numere* videtur exstare ex *munere*; sed pro *numine* est Virg. *Ecl.* 4 47: *concordes stabili fatorum numine Parcae.*

427. *festae mensae* Valer. Flacc. 3 159.

565—6: *quem Thracius albis portat equus bicolor maculis*, et 9 49—50: *maculis quem Thracius albis portat equus*.

524. Virg. *Aen.* 6 122: *itque reditque viam*.

525. ms *Fromenicth* et in margine *Frominich*. mihi videtur rectius hoc nomen Vandalicum scriptum fuisse 5 518 *Fronimuth*. etenim *fron* est idem ac *sacer*, *sanctus*, in *Glossario* Schilteri in t. 3 eiusdem *Thesauri Antiq. Teuton*. p. 331; vel etiam *pulcher*, *venustus*, *dominicus*, *illustris*, *magnificus*, *praestans*, *eximius*, in *Glossario Germanico* Wachteri col. 495 et seq., apud quem col. 1107 *Mut* est *mens*, *anima*, *spiritus* et *animus*.

526. habes hic alterum exemplum participii *socians*, quod addere poteris *lexico* Forcelliano. Virg. *Aen.* 9 25: *campis exercitus ibat apertis*.

532. *Marcentius*] hic est fortasse ille quem memorat Procopius *de bello Vand.* 2 27 ut Byzaceni *praesidii ducem*, et *de bello Goth.* 2 5 *numeris equestribus* praefectum.

534. Virg. *Aen.* 4 148: *fronde premit crinem*.

538. *arcumque sonantem* Virg. *Aen.* 5 521.

542. *Ulitan* in textu, et in margine *Utilitan*, quod non capit mensura versus. fortasse *Ulitan* est idem nomen Gothicum, ex quo fecit Procopius Οὐλίθεος (*Ulitheus*). ille enim meminit *Ulithei* patrui Vitigis *de bello Goth.* 2 10, et alterius *Ulithei* Gontharidi tyranno fidissimi *de bello Vand.* 2 25, qui illius iussu Areobindum occidit c. 26, et cum ipso Gontharide occisus fuit c. 28.

545. in textu est *ifisclaias*, et in margine *Ifiscaias*. v. infra v. 1104.

547. *vivida virtus* Virg. *Aen.* 5 754 et 11 386.

550. *praesumptior*. nota comparativum, cuius nullum adhuc exstat exemplum in lexicis Latinis.

551. *nec genitore minor* Virg. *Aen.* 10 129.

552. cur *teneras* vocet auctor *sagittas Persarum*, prorsus ignoro; unde suspicor adesse mendum et pro *teneras* corrigendum esse *celeres*. Virg. *Georg.* 4 313: *nervo pulsante sagitta*, et *Aen.* 12 856: *nervo per nubem impulsa sagitta*.

556. *vectus equo* Virg. *Aen.* 12 651.

561. Virg. *Aen.* 8 468: *et conum insignis galeae cristasque comantes*.

562—3. Virg. *Aen.* 11 601: *ferreus hastis horret ager*.

569. comparatio videtur petita a spectaculo illo adhuc in Hispania vigenti, pugna cum tauris, quae vulgo venatio taurorum (*la caccia del toro*) vocatur. imo Muratorius (in *Antiquit. Medii Aevi* dissert. 29 t. 2 col. 853 et seq.) testatur *saeculo etiam* 14 *in civitate Romana ludum taurorum*, *sive nobilium iuvenum cum tauris indomitis certamen*, *in amphitheatro Titi ce-*

lebrari consuevisse; et subdit *prudentiores certe fuisse* Romanorum *illorum posteros, imo et reliquos populos, qui periculosum adeo certamen, ab unis vilibus gladiatoribus olim usurpatum, totum dimisere agilitati dexteritatique Hispanicae gentis, quam nulla hactenus suorum funera ab huiusmodi spectaculo avertere potuerunt.* eundem vel fere similem ludum viguisse quoque Cremonae adhuc saeculo 16 narrat Ant. Campus lib. 2 historiae illius urbis ad annum 1250 p. 44 ed. anni 1575, ubi haec leguntur: *non tacerò quello che affermano alcuni, l' usanza di far correr il toro ogn' anno nel giorno dell' Assunzione di Maria Vergine haver havuto origine in questo tempo, per memoria della sopradetta vittoria* (quam Cremonenses retulerant de Parmensibus), *per esser quell' animale insegna de' Parmegiani. è durata quest' usanza, o più tosto abuso, sino all' anno* 1575, *nel qual anno essendo venuto in Cremona Carlo Borromeo Cardinale di Santa chiesa, arcivescovo di Milano e visitator Apostolico, per far la visita della chiesa Cremonese, fu per riverenza (mi credo) di tant' huomo intermessa et lasciata del tutto.*

577. comparatio desumpta est ab organo musico pneumatico. Claudianus *de consulatu Mall. Theod.* 316—9 organum musicum descripserat, sed hydraulicum: hoc autem de quo agit poëta noster, est, ut patet, pneumaticum; cuius iam meminerat S. Augustinus in *Enarr. in Ps.* 56 16. Opp. t. 4 ed. Paris. 1681 col. 538 *g*, et *in Ps.* 150 4 n. 7 col. 1697 *a.* hoc etiam organum describit Iulianus quidam in epigrammate Graeco inserto in *Anthologia* 1 164, quodque recitat Du Cange in *Glossario mediae et infimae Latinitatis* verbo *Organum.* cum autem de Iuliani aetate non constet, praestat huc referre Cassiodori, qui ante Corippum vixit, eiusdem instrumenti musici luculentam descriptionem, quam fecit in *Exposit. in* cit. *Ps.* 150 Opp. t. 2 ed. Rotomag. 1679 p. 501 et seq. *organum,* inquit, *est quasi turris quaedam diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur; et ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiori parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt et suavissimam cantilenam.* de eodem instrumento musico loquitur idem auctor etiam libro 1 *Variar.* epist. 45 Opp. t. 1 p. 21, et *de artibus* c. 5 *de musica* Opp. t. 2 p. 587 vel 579. hinc miror nullam adhuc specialem mentionem factam de organo pneumatico in lexicis linguae Latinae.

587. Virg. *Aen.* 11 658: *pacisque bonae bellique ministras.*

588. apud Matth. enim 11 29 ait Christus: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* quam sententiam Iuvencus *Hist. Evang.* 2 568 sic reddidit: *namque humili dulcem largibor corde salutem.* *Ps.* 33 19: *humiles spiritu* (dominus) *salv*

594. Virg. *Aen.* 9 269: *quo Turnus equo, quibus ibat in armis.*

610. Virg. *Aen.* 6 25: *mistumque genus prolesque biformis Minotaurus.*

613. *constricti* forsan poterat retineri.

617. Vegetius 3 24 ait *tribulos* esse illos stimulos ferreos, qui in bello adversus equitatum spargi solent, in quodcunque latus incubuerint, infestum semper aculeum protendentes. Virg. *Georg.* 1 264 et 2 379 pariter: *furcasque bicornes.*

619. Cic. de Orat.: *id quod dicit, spiritu, non arte determinat.*

624. Virg. *Aen.* 5 511: *tristemque hoc ipso in littore pugnam.*

626. cf. *de laud.* 3 381.

630. Virg. *Georg.* 2 411: *complentur vallesque cavae saltusque profundi.*

633. *multis cum milibus* Virg. *Aen.* 5 75 et 289. et 12 456: *in adversos ductor Rhoeteius hostes.*

634. fortasse *Hisdreasen* idem est ac ille *Esdilasan* vel *Isdilasan* Maurorum princeps in Romanos rebellis, cuius meminit Procopius *de bello Vand.* 2 10 et 12.

639. ms *Catarsan.* sed fortasse rectius est 5 143, 217, 551, et 6 295, 505, 513 et 517.

642. *Iutungun*] hoc nomen est valde dubium in codice, ubi legere possem etiam *iuctungun,* quod repugnaret metro, et *metungun.*

645. *iamque propinquabant* Virg. *Aen.* 5 159, 9 371 et 11 621.

646—7. Virg. *Aen.* 12 415: *volucres haesere sagittae,* et 5 501: *depromunt tela pharetris.*

651. Virg. *Aen.* 11 600: *et pressis pugnat habenis.* nisi malis legere *prensis* pro *pressis,* ut ib. 719: *frenisque adversa prehensis.*

655. *fertur equo* Virg. *Aen.* 11 730.

659. Virg. *Aen.* 1 410: *tali fugientem est voce secutus.*

665. Virg. *Aen.* 10 769: *seseque immiscuit armis.*

669. de quantitate *Ammonii* vide supra ad 3 81. pro *numine* codex habet *munine,* et de *Gurzil* vide notam ad 2 109.

674. vides me adiecisse *sub,* ut versum sanarem, exemplo auctoris nostri, qui hoc libro v. 759 in fine versus habet *confixa sub armo.*

676. Lucret. 5 1085: *raucisonos cantus.*

677. Virg. *Aen.* 9 566: *undique clamor tollitur,* et 11 745 atque 12 462: *tollitur in caelum clamor.*

681. *Sinifere* est nomen fortasse alicuius numinis Maurorum.

682. *Mastimanque*] vide et aliud fortasse nomen alterius numinis Maurorum; quod Martem fuisse coniicio ex epitheto *ferum*. sic porro eum vocat Ovid. *Heroid.* 7 160. idem *Met.* 3 587: *plangentibus adsonat echo*, et Pers. *Sat.* 1 102: *reparabilis adsonat echo.*

683. *cava saxa* Virg. *Aen.* 3 566. Lucan. 7 422: *Pangaeaque saxa resultant.*

692. ut Virg. *Aen.* 9 125: *rauca sonans.*

697. Virg. *Aen.* 6 539 et 8 369: *nox ruit.*

703. ms *montem*. sed recte est apud Iohannem L. de Bonis in cit. poëmate 1 576 vel 627 *mortem.*

704. *fortuna regit* Virg. *Aen.* 12 405.

708. Virg. *Aen.* 12 691: *sanguine terra madet, stridentque hastilibus aurae.*

710. Virg. *Aen.* 11 634: *permisti caede virorum semianimes volvuntur equi.*

711. Virg. *Aen.* 10 410: *socium virtus coit omnis in unum.*

712. Virg. *Aen.* 2 244: *caecique furore.*

713. Virg. *Aen.* 12 540: *dedit obvia ferro pectora.*

715. *dulces animas* Virg. *Georg.* 3 495 et *Aen.* 3 140.

718. Virg. *Georg.* 2 282—3: *horrida miscent proelia;* et 3 220, nec non *Aen.* 10 23: *proelia miscent.*

719. Virg. *Aen.* 5 499: *ausus et ipse manu iuvenum tentare laborem.*

720. Ioh. L. de Bonis l. c. 644 iuxta cod. A 274 *fixus.*

721. *excipit*] septem versus Virgilius incipit ex hoc verbo, nempe *Aen.* 3 318 et 322, 5 41, 9 258 et 763, 10 387, et 12 507.

727. *fatigat*] eodem verbo Virgilius desinit sequentes octo versus, nempe *Aen.* 1 284 et 320, 4 572, 5 253, 6 79 et 533, 10 304 et 11 714.

730. *flectit equos* Virg. *Aen.* 1 160 et 10 577.

732. *quaerit iter* Virg. *Aen.* 7 802. idem *Aen.* 5 226 et 9 744: *summis adnixus viribus.*

733. *dictis amicis* Virg. *Aen.* 2 147, 5 770, 8 126 et 10 466. idem *Aen.* 11 520: *dictis hortatur.*

735. exemplum verbi *portare* pro *ferre* vel *sustinere* adhuc desideratur etiam in novis accessionibus ad *lexicon* Forcellini.

736. *data copia pugnae* Virg. *Aen.* 9 720.

738. *summis viribus omnes* Virg. *Aen.* 9 531.

739. Virg. *Georg.* 4 184: *labor omnibus unus.*

743. Virgilius unica vice habet *dicit,* et 24 vicibus *dixit;* ut *Aen.* 2 376 et 11 561.

744. *magna voce* Virg. *Aen.* 12 580.

746. Virg. *Aen.* 12 284: *ferreus ingruit imber.*

747. Virg. *Georg.* 4 313: *nervo pulsante sagittae.*

749. Virg. *Aen.* 12 382: *abstulit ense caput.* et 11 823: *nunc vulnus acerbum.*

753. ms *corruit.* at libro 1 citati poëmatis Ioh. L. de Bonis, ubi plures ex hisce versibus inserti fuerunt, legitur v. 626 *currit* iuxta cod. A 275 tantum. Stat. Theb. 9 233: *ferro colla metens,* et Tertullian. *de anima* c. 53 p. 303 ed. Paris. 1675 *cervicum messis.*

754. *timpora*] sic legitur hic et infra pluries haec vox; ut et cit. loco Ioh. L. de Bonis v. 627 cod. A 275 et v. 778 cod. A 274, aliisque in locis in quibus occurrit haec eadem vox. ita enim veteres differentiae causa scribebant, cum significare vellent latera in capite dextrum et sinistrum. vide, praeter Forcellinum, Vossium in *Etymolog. linguae Latinae,* Basil. Fabrum in *Thesauro eruditionis scholasticae* ed. Lips. 1696, quam correxit Cellarius, col. 2301 d, ubi Florus citatur 4 12: *stricto ferro cruentat vulnere in timpore.*

755. Corippus hic imitatus est illos Virgilii *Aen.* 12 536—7: *occurrit, telumque aurata ad tempora torquet. olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.* pro *olli* autem ibi fortasse legit *molli.*

756. in ms Corippi *pellamque* vel *pollamque* vel *pallamque* legitur, cum prior vocalis non clare pateat: sed cod. A 274 v. 680 cit. poëmatis habet *pallamque.* Virgilius 15 vicibus posuit *secutus* in ultima versus sede.

759. Virg. *Aen.* 11 644: *latos huic hasta per armos acta tremit.*

761. v. infra v. 864: *fugientes conserit hastis;* et alibi, ut ex Indice.

762. Virg. *Aen.* 10 488: *corruit in vulnus.*

764. Virg. *Aen.* 12 304: *rigido latus ense ferit.*

766. ms *icirti.* feci *inertem* ob illud quod sequitur, *armatamque manum:* sed fortasse dicendum erat *inerte,* id referendo ad *iugulum.*

767. Virg. *Aen.* 7 694: *ferrumque retractat.*

771. ut Virg. *Aen.* 9 402: *adducto torquens hastile lacerto,* et 11 561: *adducto contortum hastile lacerto.*

744. Val. Flacc. 3 134: *pectus arundo per medium contenta furit.* notandum erit hoc exemplum verbi *devio* etiam active adhibiti; nam in lexicis est tantum ut neutrum.

775. Virgilius quater usus est voce *territus,* totidemque vicibus in penultima sede versus.

779. Virg. *Aen.* 2 447: *parant defendere telis.* sexies item legitur apud Virgilium *defendere,* semperque in quinta sede versus.

780. *ecce volat* Virg. *Aen.* 5 324.

781. *conscia virtus* Virg. *Aen.* 5 455, 10 872 et 12 668.

786. *hoc erat* Virg. *Aen.* 2 664.

787. *fratri comes ire* Virg. *Aen.* 12 881.

788. *en perfecta* Virg. *Aen.* 7 545.

791. Virg. *Aen.* 10 579: *adversaque ingens apparuit hasta.*

792. Virg. *Aen.* 12 463: *Rutuli dant terga per agros.*

794. Virg. *Aen.* 9 543: *confixique suis telis.* Cic. *Acad.* 4 28: *Hercules filios suos configebat sagittis.*

797. ms *terro ilaguaten,* ut infra 5 166 *ilaguatensis.* I. L. de Bonis habet in cod. A 274 v. 712 *terror.*

798. Virg. *Aen.* 2 228: *tremefacta novus per pectora cunctis insinuat pavor.*

801. Virg. *Aen.* 6 580: *hic genus antiquum terrae, Titania pubes, fulmine deiecti fundo volvuntur in imo.*

803. Virg. *Aen.* 6 491: *pars vertere terga.*

806. Virg. *Aen.* 8 603: *tuta tenebant castra.*

809. *talibus et dictis* Virg. *Aen.* 10 448.

810. *miseranda manus* Virg. *Aen.* 11 259. duodecies utitur Virgilius voce *recessit* et tantummodo in ultima sede versus.

812. *acer agit* Virg. *Aen.* 3 682.

815. *gens dura* Virg. 5 730.

816. *Astur equo fidens* Virg. *Aen.* 10 181.

817. *non pudet* Virg. *Aen.* 9 598 et 12 229.

818. *reverti*] sexies reperitur apud Virgilium hic infinitivus, totidemque vicibus, ut hic, in fine versus.

819. et hoc epitheton *calidas* addi potest aliis, quae congessit Forcellinus ad vocem *Syrtis.*

822—4. notum est ex historicis scriptoribus Maximianum Herculeum, ut iam adnotavi ad 1 480, subegisse in Africa Quinquegentianos; ignotum autem hucusque fuit quos populos nequiverit ibidem vincere, ut ait hic Bruten. vide etiam Eckhel *D. N. V.* t. 8 p. 4 et 25, et Tillemont *Histoire des Empereurs* t. 4 p. 20 et 26.

827. *talibus exarsit dictis* Virg. *Aen.* 11 376.

828. Virg. *Aen.* 5 454: *acrior ad pugnam redit.*

835. Virg. *Aen.* 10 246—7: *impulit altam, haud ignara modi, puppim.*

836. De Bonis hunc versum cum sequenti contraxit l. c. v. 684 iuxta cod. A 275: *bellaque sic placida promotus voce refecit.* sed in cod. A 274 legitur *prevettus,* non *promotus.* Virg. *Aen.* 3 683: *ventis intendere vela secundis.*

837. ms *prevettus.* vide not. ad superiorem versum. fortasse legendum erat *praevectus.*

840. Virg. *Aen.* 11 644: *latos huic hasta per armos acta tremit.*

843. *ense ferit* Virg. *Aen.* 6 251.

845. fortasse hic est ille Marcianus, qui sub Belisario Afri-

cam ingressus est in prima expeditione contra Vandalos. eius meminit Procopius *de bello Vand.* 1 11.

846. Virg. *Aen.* 9 744: *intorquet, summis adnixus viribus, hastam.*

848. Virg. *Aen.* 11 705: *forti fidis equo?* et 9 580: *letali vulnere rupit.*

852. *refulsit*] quinquies usus est Virgilius hac voce, semperque in fine versus.

853—4. *visu tremefactus* Virg. *Aen.* 2 382. idem 3 597: *aspectu conterritus haesit continuitque gradum.*

855—7. Virg. *Aen.* 12 306: *ense sequens nudo;* et 11 714: *quadrupedemque citum ferrata calce fatigat,* et 2 613: *sociumque furens a navibus agmen.*

858. *densis armis* Virg. *Aen.* 2 383 et 409.

859. *ut vero* Virg. *Aen.* 11 36. et 9 748: *neque enim is teli nec vulneris auctor.*

861. addere poteris lexicis Latinis vocem *supercelerem,* si tamen non distincte, ut est in codice, *super* a *celerem,* ea scribenda sit, et nisi adsit aliquod mendum in hoc versu.

864. Val. Flacc. 3 162: *socia sed disiicit agmina clava.* nota verbum *conserit* pro *configit,* cuius exempla adhuc desiderantur in lexicis Latinis.

868. Virg. *Aen.* 8 604: *celsoque omnis de colle videri iam poterat legio.*

876. Virg. *Aen.* 11 728: *suscitat, et stimulis haud mollibus incitat iras.* item 9 341 et 12 8: *fremit ore cruento.*

881. apud De Bonis iuxta cod. A 275 v. 716 *infessusque.*

882. Virg. *Aen.* 10 817: *transiit et parmam mucro.*

883. *lato ferro* Virg. *Aen.* 1 317, 4 131 et 12 165; cf. 12 374.

885. *crudescit pugna* Virg. *Aen.* 11 833.

888. puto hic Corippum imitatum esse Virg. *Aen.* 7 794. peius est apud De Bonis v. 721 et 781 iuxta cod. A 275: *agmina densantur omnes.* et in cod. A 274 pro *campis* est *cuncte* v. 778 et 846.

889. De Bonis in cod. A 274 v. 779 et 847: *collettis firmavit robore turmas.* hinc puto corrigendum esse: *collectas firmavit robore turmas.*

890. *quatiens hastam* Virg. *Aen.* 10 762.

891. Virg. *Aen.* 2 511: *densos fertur moriturus in hostes,* et 10 379: *medius densos prorumpit in hostes,* et 729: *ruit in densos alacer Mezentius hostes.*

892. *obvius ardenti sese obtulit* Virg. *Aen.* 10 552.

893. Ovid. *Fast.* 4 54: *Ilia cum Lauso de Numitore sati.*

897. *fatis iniquis* Virg. *Aen.* 2 257, 3 17, et 10 380.

898. Virg. *Aen.* 10 682: *crudum per costas exigat ensem.*

900. Virg. *Aen.* 4 64: *spirantia consulit exta.*

901. *conversa cuspide* Virg. *Aen.* 1 85.

903. *transadigit* Virg. *Aen.* 9 432 et 12 276.

905. Virg. *Aen.* 6 880: *cum pedes iret in hostem,* et 7 624: *pars pedes ire parat.*

910. *per vulnera* quater habet Virgilius in quinta sede.

915. *obvius ire parat* Virg. *Aen.* 10 770.

918. *iniectis undique telis* Virg. *Aen.* 9 807.

919. Virg. *Aen.* 6 163: *indigna morte peremptum.*

925. *de laud.* 4 366 vocatur *ensipotens* Narses; unde Fogginius ibidem adiecit hanc glossam: *nempe protospatharius.* non improbabile est etiam Iohannem hac dignitate donatum fuisse; sed Forcellinus, qui ad eandem vocem Corippum solum citat, eam explicat: *fortis, strenuus, qui ense valet,* absque ulla mentione *protospatharii.* Virg. *Aen.* 12 683: *media agmina rumpit.*

928. *toto corpore* Virgilius 13 vicibus habet *toto corpore,* nusquam *novo corpore:* nam *porpore* est manifestum mendum.

929. *detruncat* Val. Flacc. 3 145. dactylus est *Ariarith* hic, ut saepe apud Virgilium *ariete.* de illo autem nomine vide ad 5 535.

930. Lucan. 8 673: *nondum artis erat caput ense rotare.*

933—4. fortasse pro *vocabat* legendum est etiam *sonabat.* Virg. *Aen.* 9 414—5: *vomens calidum de pectore flumen frigidus, et longis singultibus ilia pulsat.* et Ovid. *Amor.* 3 9 12: *oraque singultu concutiente sonant.*

935. *haud procul inde* Virg. *Aen.* 8 642.

944. *sequitur tunc cetera pubes* Virg. *Aen.* 7 614.

947—8. adieci *media* ad complementum versus, qui in codice est imperfectus; et hoc feci auctoritate fultus Virgilii *Aen.* 12 683, ubi legitur *media agmina rumpit.* item pro *montes* posui *muris,* quia saepe idem Virgilius iungit *agmina* et *castra* cum *muris;* ut *Aen.* 5 805: *impingeret agmina muris,* et 8 800: *per muros agmina vertit.* sic pro *castris* faciunt eiusdem libri v. 43: *castra modo et tutos servarent aggere muros,* et 10 671: *Laurentesne iterum muros aut castra videbo.*

953—4. Virg. *Aen.* 10 554: *tum caput orantis deturbat terrae,* et v. 346: *et rigida Dryopen ferit eminus hasta.*

955. Virg. *Aen.* 4 620: *mediaque inhumatus arena.* et 5 423: *media consistit arena.*

956. *dominamque ruentem* Virg. *Aen.* 11 805.

958. *purpuream animam* Virg. *Aen.* 9 349. et 10 730—1: *et calcibus atram tundit humum exspirans.*

960. *invaserat hostes* Virg. *Aen.* 9 800.

977. *infelix alieno vulnere* Virg. *Aen.* 10 781.

994. *succedam castris* Virg. *Aen.* 8 507.

1008. hinc petere licebit exemplum *cultri* ad usus bellicos adhibiti, quod adhuc deerat in lexicis linguae Latinae.

1011. Virg. *Aen.* 9 456: *et plenos spumanti sanguine rivos.*

1024. Virg. *Georg.* 4 167: *agmine facto.*

1028. Stat. *Theb.* 5 386: *vastaeque sudes fractique molares.*

1038. *tremescunt.* sic invenit Pierius, ut testatur Forcellinus, apud Virgilium *Aen.* 3 648 et 12 403.

1047. Virg. *Aen.* 4 197: *incenditque animum dictis.*

1073. fortasse etiam *album* pro *alvum* poteram tueri.

1076. pro explicatione huius loci mirifice faciunt ea quae leguntur in diario mensis Novembris anni 1816, inscripto Gallice *Bibliothèque universelle rédigée à Genève;* unde non piget huc transcribere ex t. 3 eius partis quae titulum praefert *Littérature,* articulo *Géographie historique des États barbaresques, extrait du Quarterly Review num.* 29 p. 261, quae sequuntur: *Les femmes des Arabes ne sont pas soumises aux travaux des champs, mais elles sont chargées de moudre le grain, avec le moulin primitif, c'est-à-dire, une pierre qu'on fait tourner avec une manivelle, sur une autre qui est fixe* etc. *Un pére qui marie un de ses enfans lui donne une tente, un moulin à bras, un panier, une jatte de bois, deux plats de terre, et le nombre de chameaux, de vaches, de brebis et de chèvres dont les circonstances lui permettent de disposer.* ibidem p. 258 haec alia leguntur, quae ad rem nostram aliquo modo spectant: *Dans les marches les femmes se groupent ordinairement par trois sur le dos d'un chameau; les enfans, les agneaux et les chevreaux sont placés dans des paniers sur ces animaux.*

1088. Horat. *Serm.* 1 2 6: *duramque famem depellere possit.*

1096. Virg. *Aen.* 12 721; *et sanguine largo.*

1100. Virg. *Aen.* 9 524: *rescindit vallum.*

1101. Virg. *Aen.* 7 624: *pars arduus altis pulverulentus equis furit.*

1102. ad versus mensuram complendam et aliquem sensum eliciendum adieci *fixit;* sed hic locus adhuc indiget medica manu.

1104. hic rectius quam alibi scriptum esse videtur nomen *Ifidaias.* Virg. *Aen.* 9 531: *summis quam viribus omnes.*

1106. Virg. *Aen.* 11 646, iuxta magis receptam lectionem: *dant funera ferro.*

1110. Virg. *Aen.* 2 364: *plurima perque vias sternuntur inertia passim corpora.*

1114. *fit sonus* Virg. *Aen.* 9 752.

1116. *per latos campos* Virg. *Aen.* 10 408.

1117. Virg. *Aen.* 6 179: *itur in antiquam silvam.* fere eadem comparatio legitur apud Virg. *Aen.* 2 626 et seqq.

1118. bis etiam Virgilius posuit *plantas* in fine versus, id est *Ecl.* 10 49 et *Georg.* 2 300.

1120. Virg. *Aen.* 12 713—4: *ictus congeminant.* Stat. *Theb.* 5 389: *abiunctis regemunt tabulata cavernis,* et 8 17: *regemunt pigrique lacus ustaeque paludes.*

1123. *animas reddunt* Virg. *Georg.* 3 495. et 4 238: *animasque in vulnere ponunt.*

1135. Virg. *Georg.* 1 273: *tardi costas agitator aselli.* *Aen.* 1 85: *conversa cuspide montem.*

1136. Virg. *Aen.* 3 700: *satis nunquam concessa moveri.* et 6 256: *iuga coepta moveri.*

1137. pro *equus* facit epitheton *nudus,* id est absque ephippio et freno.

1149. Virg. *Aen.* 3 450: *fatis exterrita Dido.*

1154. Procopius *de bello Vand.* 2 28 refert Iohannem, ut Africam attigit, statim inito cum Antala ac Mauris Byzacenis proelio multos occidisse, et recepta ad unum omnia Salomonis signa imperatori misisse.

1160. Virg. *Aen.* 4 409: *quosve dabas gemitus?*

1168. mentionem hic iniicit poëta noster Christianus de eo quod accidit populo Hebraeo, cum pugnaret sub duce Iosue, ut legitur in huius libro 10 13—4.

Lib. 5 v. 1. ms *victoris.* quod tueri possem auctoritate Charisii 1 111, ut iam monui ad 1 197. Virg. *Aen.* 1 695: *placidam per membra quietem.*

2—3. Ovid. *Met.* 12 148: *vigil Phrygios servat custodia muros.*

7. *spes addita* Virg. *Aen.* 10 263.

9. Virg. *Aen.* 8 658: *defensi tenebris et dono noctis opacae.*

19. *nocte silente* Virg. *Aen.* 4 527 et 7 87; et v. 102—3: *silenti nocte.*

20. aliquo modo hoc loci imitatus est auctor Virg. *Aen.* 8 596 et 11 875.

22—3. Val. Flacc. 1 655: *emicuit reserata dies.* Virg. *Georg.* 1 250 et *Aen.* 5 739: *equis oriens afflavit anhelis.* item Ovid. *Met.* 15 417: *equi anheli solis.*

26. *Ps.* 23 10: *dominus virtutum, Ps.* 47 9: *in civitate domini virtutum, Ps.* 68 7: *domine, domine virtutum,* et *Ps.* 83 2 et 4 et 13: *domine virtutum.*

33. silent historici veteres, quo tempore quave occasione bellum inierit Iustinianus ad Albim; sed ex hoc loco constat saltem non iniuria se vocavisse *Alamannicum* et *Germanicum,* de quibus praecipue titulis disputat Guill. Henr. Brucknerus in

libello, quem nondum vidi, inscripto: *Iurene an iniuria Iustinianus illa nomina usurpaverit.* fateor tamen potuisse Iohannem cum *populis Albis* manus conserere non ad Albim sed alibi, praesertim cum iidem populi, fortasse cum Francis, quorum subditi facti fuerant a Theodeberto, pro Gothis puguantes, a Narsete caesi fuerunt. sed hoc evenit vel eodem tempore, quo Iohannes erat in Africa, vel paulo post. vide Inverniazi *de rebus gestis Iustiniani Magni* 11 13 et seq. p. 157 et seqq., et Eckhel *D. N. V.* t. 8 p. 209 et seq. imo hisce de titulis Iustiniani praestat audire Paulum diaconum lib. 1 *de Gestis Longobardorum* c. 25 ap. Murator. *Rer. Italic. Scriptor.* t. 1 p. 420. pro *Perside* in codice est *perfide;* sed recole quae de Iohanne supra auctor noster testatus est, 1 58. vide etiam ib. v. 449, ubi pariter pro *in Perside* male codex habebat *imperfide;* et 4 893 rursus occurrit in ms *perfida* pro *Persica.*

35. Ovid. *Met.* 13 478: *pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.*

37. phrasis frequens in libris sacris, ut *Sapient.* 7 25: *vapor est enim virtutis dei; Ecclesiastic.* 50 23: *volens ostendere virtutem dei; Machab.* 2 3 24: *ruentes dei virtute,* v. 28: *dei cognita virtute,* et v. 38: *dei quaedam virtus,* et c. 9 8: *manifestam dei virtutem;* Matth. 22 29: *nescientes scripturas neque virtutem dei;* et alibi passim in Novo Testamento, ubi saepe *virtus dei* etiam vocatur ipse *Christus,* veluti patet ex *epistola ad Corinthios* 1 1 24.

38. *fines custode tueri* Virg. *Aen.* 1 568.

41—3. Virg. *Aen.* 4 121: *saltusque indagine cingunt.*

47. Virg. *Aen.* 6 477: *arva tenebant ultima.*

52. v. infra v. 244.

53. *dicto parere fatetur* Virg. *Aen.* 7 433.

58. plures exstant numi cum epigraphe *Felix Carthago,* praecipue sub Maximiano Herculeo eiusque filio Maxentio, nec non sub Hilderico rege, signati.

59. *Iustiniana*] sic vocata fuit Carthago teste Procopio *de Aedificiis Iustiniani* c. 5. imo ipse imperator *Novella* 131 *Iustinianae Carthaginis* meminit sub anno 541. vide et Alemannum in *notis* ad Procopii *Hist. Arc.* c. 11 p. 49 ed. Lugdun. 1623, vel p. 125 ed. Paris. 1663.

63. Virg. *Aen.* 4 682 *patres Sidonios* vocat *senatum Carthaginis,* ut interpretatur Servius.

65—6. cf. Virg. *Aen.* 12 131—3.

67. phrasis *per gaudia* legitur etiam in epigrammate Romae insculpto in Ponte Salario, quem Narses victis Gothis collapsum vetustate restituit. edidit illud Bonada inter *Carmina ex antiquis lapidibus* t. 2 p. 528, sed satis corrupte; unde praestat idem petere ex Grutero p. 161 n. 2, et hic recitare, quia, si Co-

rippus noster eius auctor non est, certe est opus poëtae eiusdem aevi. *quam bene curbati directa est semita pontis, atque interruptum continuatur iter. calcamus rapidas subiecti fluminis undas, et libet iratae cernere murmur aquae. ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites, et Narsim resonans plausus ubique canat. qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes, hic docuit durum flumina ferre iugum.*

68. Val. Flacc. 7 173: *animum contingere cura.*

71. Sueton. *Caes* 4: *dubias civitates.*

79. mss *canos*, quam vocem mutavit de Bonis l. c. v. 895 in *fortes*; sed idem in cod. A 274 p. 234, ecloga cui titulus *Aretium*, habet *conos.*

80. Virg. *Aen.* 9 660: *pharetramque fuga sensere sonantem.*

83. Plinius *H. N.* 8 3 sub fin. *inscriptique vultus.*

87. ms *laborans*; unde fortasse legere poteris *labores.*

90. Cic. *Tuscul. Quaest.* 5 28: *sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere*; et *de Invent.* 2 13: *quaeri oportet utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse.* si autem non placet *malum*, ut habet codex, corrigi poterit *mali.*

95. *super* pro *desuper*, ut Virg. *Aen.* 9 168: *hae super e vallo prospectant Troes.* item Lucan. 6 291: *cum super e totis emisit collibus agmen.*

97. Virg. *Aen.* 8 413: *parvos educere natos.*

98. ms *lumina*; sed de Bonis in poëmate *de laud. Gal. Vicecom.* 1 975 iuxta cod. A 274 habet *limina.*

100. cf. *de laud.* 2 161.

106. *lacrimis obortis* Virg. *Aen.* 3 492, 4 30, 6 867, et 11 41.

117. *dolet* fortasse retineri poterat.

126. Virg. *Aen.* 11 335: *consulite in medium, et rebus succurrite fessis.*

139. *sine crimine vitam* Virg. *Aen.* 4 550.

140. Virg. *Aen.* 6 767: *Troianae gloria gentis. Iudith* 6 10: *tu gloria Ierusalem.*

141. Virg. *Aen.* 2 281: *spes o fidissima Teucrum.*

142. *clamore sequuntur* Virg. *Aen.* 9 466 et 10 799.

143. *omnibus unum* Virg. *Aen.* 3 435 et 10 201.

147. *corniger Ammon* Ovid. *de Arte amandi* 3 789. v. ad 2 110.

154. v. 3 91 et seqq.

157. *fervore*] sic legitur etiamnum in codice, etsi a posteriore manu deleta fuerit litera *f*, ita ut fere legas *cruore.*

160. *toto percepit pectore* Virg. *Aen.* 7 356.

169. Tibull. 1 11 67: *alma pax.* a Corippo autem hoc

loci posita est *quies* pro *pax*. Virgilius vero *Aen.* 6 522 dixit *alta quies*, quia ibi *quies* idem est ac *somnus*.

170. *portis apertis* Virg. *Aen.* 8 585.

176. postrema vox versus non satis clara est in priori syllaba, utpote paullulum immutata a recentiori manu. hinc pro *amabunt* legere poteris etiam *inibunt*, ut *de laud.* 1 142.

177. Virg. *Georg.* 4 300: *et spiritus oris multa reluctanti obstruitur.*

187. Virg. *Aen.* 10 346: *rigida Dryopen ferit eminus hasta.*

188. Virg. *Aen.* 4 300: *inops animi*; et Ovid. *Fast.* 4 457: *inops mentis.*

189. *horrida bella* Virg. *Aen.* 6 86 et 7 41.

198. nusquam reperitur *Namason*, sed *Nasamones* populi sunt Libyae ad Syrtim magnam, et alii in Marmarica finitimi Garamantibus. Lucan. 9 439: *Nasamon gens dura, qui proxima ponto nudus rura tenet; quam mundi barbara damnis Syrtis alit.* vide Cellar. *Not. Orbis antiqui* 4 2 p. 3 p. 115. de Garamantibus vero vide ibidem c. 8 p. 223 et seqq.

199. Virg. *Aen.* 9 31: *aut pingui flumine Nilus.*

205. *vere novo* Virg. *Ecl.* 10 74 et *Georg.* 1 43.

206. posui *acervum*, id est *exercitum male coactum*. fortasse alii melius sanabunt hunc versum.

210. comparatio est petita a congressu Antaei cum Hercule, quem fuse descripsit Lucanus 4 621 seqq.

213. v. ad 4 1104.

225. *Carthaginis altae* Virg. *Aen.* 4 97 et 265.

231. *Ecclesiastes* enim dixit c. 9 16 *meliorem esse sapientiam fortitudine*, et v. 18: *melior est sapientia quam arma bellica.* imo *Sap.* c. 6 1: *melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis.*

275. quia scilicet, tam profunde excavandis puteis aquae inveniendae causa, viderentur velle usque ad inferos penetrare, vel e Stygio flumine haurire unde sitim explerent.

278—9. mons *Abyla* est excelsus Africae in ora Mauretaniae Tingitanae prope urbem Tingin, hodie *Tanger*. ab Avieno in *Periegesi* dicitur *Maura Abyla*; quare dici potuit a nostro poëta etiam *Tingensis* a proxima urbe, quae nomen dedit provinciae Tingitanae. vide Cellar. *Orbis antiqui Not.* 4 7 P. 3 pag. 206 et seqq.

285. *Gadaias.* de hoc nomine nihil reperi apud antiquos geographos. fortasse Abylae proximi illi septem montes, appellati *Septem Fratres*, de quibus vide Cellar. l. c. p. 207, *Gadaiae* vocabantur lingua Punica. Procopius *de Aedif.* 6 4 ait: *Gadabitanos finitimos* (Lepti magnae) *barbaros, qui ad hanc aetatem Graecanicae impietati dediti fuerant, modo perpulit* (Iustinianus)

ut toto animo se Christo adiungerent. anne fuerunt isti incolae Gadaiae?

289. *fulminis ignes* Virg. *Aen.* 10 177.

308. quae hic tangit poëta, fusius descripsit Statius *Theb.* 4 651—738.

315. Virg. *Aen.* 1 102: *tuaque animam hanc effundere dextra.*

317. *longa sic morte* Virg. *Aen.* 8 488.

323. Quinct. *Declam.* 19 4: *mersis deiectisque luminibus.*

328. Virg. *Aen.* 2 650; *talia perstabat memorans.*

339. *zona rubens.* Virg. *Georg.* 1 233—4: *quinque tenent caelum zonae; quarum una corusco semper sole rubens.*

340. Porcium Catonem censorium constat adhuc iuvenem interfuisse secundo bello Punico sub Fabio Maximo, et postmodum in Africa fuisse quaestorem. fuit et alter Cato imperator in Africa, ubi sibi mortem conscivit Uticae, ex qua Uticensis vocatur. de priore autem hic puto mentionem facere poëtam; nam *magnum* eum dicit, uti fecerat Virg. *Aen.* 6 841.

341. Virg. *Aen.* 6 822—3: *utrumque ferent ea facta minores: vincet amor patriae.*

352. Virg. *Ecl.* 6 54: *pallentes ruminat herbas.* et Rutil. 1 480: *cum pallent herbae.*

353. Virg. *Georg.* 4 306: *ante novis rubeant quam prata coloribus.*

357. *mala gramina pastus* Virg. *Aen.* 2 471.

370. miror Forcellinum ad calcem sui *Lexici totius Latinitatis* inter *verba a se improbata et expulsa* reiecisse *Appropiare* t. 4 p. 589, quamvis *Propio, as,* minus usitatum ab antiquis scriptoribus, retinuerit, allato unico exemplo S. Paulini Nolani, cui adiici nunc potest alterum ex nostro auctore 4 589. sane antiquus interpres sacrorum librorum pluries usus est verbo ipso *Appropio,* in illis nempe omnibus fere locis ubi in Vulgata nova versione legitur *Appropinquo,* uti videre est apud Sabatier *Bibl. sacr. antq. Version.* tum in textu tum in notis, idem praeterea constat ex ipsa antiqua versione Psalmorum, qua utitur etiamnum clerus Mediolanensis. imo in ipsa Vulgata versione adhuc superest idem verbum duodecies, quod quisque videre potest ex *concordantiis* eius. hinc Io. Matth. Gesnerus in *Thesauro linguae Latinae et Romanae eruditionis* verbum ipsum *Appropio* receperat adiecto hoc exemplo: *Vulgat. Luc.* 10 34: *Appropians alligavit vulnera eius, id est accedens.*

371. *siccis faucibus* Virg. *Georg.* 4 427—8. item *Aen.* 2 358: *faucibus exspectant siccis.*

372. *impressant.* desideratur hoc verbum in lexicis Latinis, et rursus occurrit infra 6 347.

ib. *tinguunt.* de ratione scribendi hoc verbum

quos ex antiquis auctoribus eadem proferre possem quae iam retuli ad *urguebat* 3 184.

386. *vectantes.* hoc participium desideratur in lexicis linguae Latinae.

390. *Urceliana*] sic in codice, vel *Yrceliana.*

391. *Astrices.* v. ad 2 75.

392. scio apud Gellium 14 1 et 17 2 esse exempla Accii et Q. Claudii Quadrigarii, qui dixerunt *domus suas:* sed eorum aetas nimis distat ab illa Corippi. Iustin. 2 8: *gens laboribus et bellis aspera.*

411. v. ad 4 200 et 810.

418. hic videtur respexisse auctor ad illud Pauli *ad Philipp.* 3 19: *quorum deus venter est.*

426. *parcere subiectis* Virg. *Aen.* 6 853.

430—1. Plaut. *Captiv.* 2 2 28 iuxta editionem F. M. Avellini Neapoli 1807 p. 23: *quod genus illic est unum pollens atque honoratissumum.*

432. *haec fatus* Virg. *Aen.* 2 721 et 5 421. et 3 485: *textilibusque onerat donis, et talia fatur.*

434—5. Cic. *pro Planc.* c. 25: *virtus, probitas, integritas in candidato requiri solet.*

436. Virg. *Aen.* 1 253: *placida compostus pace quiescit.*

445. Virg. *Aen.* 3 653: *gentem effugisse nefandam.*

446. Virg. *Aen.* 11 110: *Martis sorte peremptis.*

457. Lucan. 7 2: *luctificus Titan nunquam magis aethera contra egit equos.*

459. Stat. *Theb.* 1 646: *squalente die.*

460. *sub nocte silenti* Virg. *Aen.* 4 527 et 7 87.

464. vide an pro *locis* legendum sit *focis.* Virg. *Aen.* 9 595: *digna atque indigna relatu.*

468. Virg. *Aen.* 1 501: *magna iuvenum stipante caterva,* 4 136: *magna stipante caterva.*

473. *facilis labor* Virg. *Georg.* 1 79. et *Aen.* 7 36: *fluvio succedit opaco.*

475. Virg. *Aen.* 8 95—6: *variisque teguntur arboribus.* et 10 205: *velatus arundine glauca Mincius.*

481. *sistere contra?* v. ad 2 229.

482—3. cf. *de laud.* 3 179—81. v. infra ad 6 137.

486. fortasse est mons *Gallida,* cuius mentio est supra 2 77.

489. hic *alternae* est pro *ambas* poëtice, ut videre est apud Forcellinum. pro sequenti *posuere* est notandum, locutionem fere similem inveniri in Vulgata *Gen.* 30 36: *et posuit spatium itineris trium dierum inter se et generum.*

494. Virg. *Georg.* 2 157: *fluminaque antiquos subter labentia muros,* et 4 366: *labentia flumina terra.*

497. *implessemque* Virg. *Aen.* 4 605.

508. poëta noster indiscriminatim et saepe utitur adiectivo *densus* et *condensus*.

509. de verbo *conserit* vide ad 4 864.

512. *munibat*] apud veteres exisse imperfectum quartae coniugationis verborum etiam in *ibam*, et futurum in *ibo*, ut *scibam scibo*, nos docent grammatici, et inter alios Christoph. Cellarius in sua *Grammatica Latina* aucta a Ioh. Matth. Gesnero § 101 p. 56 ed. Mersburgi 1746.

514. ms *tm* omissa lineola superiori, ex qua conficitur *tantum*. Virg. *Aen*. 3 389, 6 714 et 10 833 *ad fluminis undam*.

520. in codice hic evanuerunt aliquot verba inter *duc* et *felix*, ita ut nihil ibidem queat legi.

521. de hoc nomine vide supra ad 4 478.

522. ms *Grisirith*. v. supra ad 2 188.

ib. *inclitus armis* Virg. *Aen*. 6 479. si etiam displicet *celsis*, poteris facere *saevis*, ut ap. Virg. *Aen*. 12 890: *saevis certandum est comminus armis*.

535. ms *Ariarit;* sed infra v. 543 recipit *t* aspirationem, ut et supra 4 929. puto eum fuisse potius Gothum quam Vandalum, quia hoc nomen videtur ad Gothos spectare: etenim plura eorum nomina desinunt in *rith*, ut Vandalorum in *rich;* quae terminatio videtur fuisse eiusdem significationis.

ib. Virg. *Aen*. 6 842: *duo fulmina belli*.

548. *sic placitum* Virg. *Aen*. 1 287.

550. Virg. *Aen*. 6 93 et 11 480: *causa mali tanti*.

553. *talibus et dictis* Virg. *Aen*. 10 448. et alibi pluries habet *talibus dictis*, sed nusquam *talibus edictis*.

563. Virg. *Aen*. 11 296: *vix ea legati; variusque per ora cucurrit Ausonidum turbata fremor*.

566—7. Val. Flacc. 5 138: *utque securigeras stimulaverit ira catervas*. Virg. *Aen*. 8 703: *quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello*. Lucan. 7 508: *sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum*.

568. *rabie fera corda tument* Virg. *Aen*. 6 49.

569. *campumque tenebat* Virg. *Aen*. 11 903.

570. *an Massylumque dolis?* Virg. *Aen*. 6 60 habet *Massylum gentes*, et 11 522—3: *est curvo anfractu vallis, accommoda fraudi armorumque dolis*.

572. nota quam apte poëta noster *steriles* vocet *myricas:* nam Plinius *H. N*. 29 9 de myrica agens dicit: *vulgus infelicem arborem eam appellat, quoniam nihil ferat nec seratur unquam*. eiusdem sterilitatem etiam Virgilius innuit *Ecl*. 8 54.

573. *foliis oleaster amaris* Virg. *Georg*. 2 314 et *Aen*. 12 766.

576. Virg. *Aen*. 4 71 et 8 694: *volatile ferrum*, et Lucr. 1 971: *volatile telum*. v. infra ad 7 451.

577. Virg. *Ecl.* 6 8: *tenui meditabor arundine.*

578. Ovid. *Heroid.* 9 78: *praevalidae fusos comminuere manus,* nempe Herculis nentis. Virg. *Aen.* 1 160 et 10 577: *flectit equos.*

579. recte *longum* vocatur a Corippo *pilum;* fuit id enim telum Romanum, cuius hastile, teste Vegetio *de re militari* 2 15, *erat quinque pedum et semis, et ferrum trigonali figura novem unciarum.*

582. Liv. 8 24: *quamquan Romano bello fortuna eum abstinuit.*

583. *continuitque gradum* Virg. *Aen.* 8 598.

584. Virg. *Aen.* 5 331: *vestigia presso haud tenuit titubata solo.*

585. *ductor adit virtute locum.* cetera huius versus, ut et quinque sequentium, desunt in codice nostro Trivultiano, cum iidem integre ibi descripti non fuerint. fortasse vetus codex, unde ille exscriptus fuit, mancus hoc loci erat et vetustate vel situ corruptus.

598. Ovid. *Met.* 13 433: *consilium sapiens.* Ierem. 32 19: *magnus consilio.*

605. Virg. *Aen.* 4 665: *it clamor ad alta atria;* 5 451: *it clamor caelo.* cf. 8 595, 9 664, 11 192.

606. Virg. *Aen.* 4 156: *mediis in vallibus;* et 10 408: *per latos acies Vulcania campos.*

633. Virg. *Aen.* 9 667 et 11 635: *pugna aspera surgit.*

637. Virg. *Aen.* 9 349: *purpuream vomit ille animam.*

638. Virg. *Georg.* 2 149: *acerba sonans,* et *Aen.* 12 398: *acerba fremens.* item 2 358 et 527: *per tela, per hostes.*

642. Sen. *Herc. Oet.* 608: *cor attonitum salit, pavidumque trepidis palpitat venis iecur.*

643. *cava tempora ferro* Virg. *Aen.* 9 633.

644. legendum est *medium,* ut apud Virg. *Aen.* 12 926.

647. ms *predam,* contra rationem metri.

648. *molle pecus* Virg. *Georg.* 3 299 et *Aen.* 9 341.

649. *at parte ex alia* Virg. *Aen.* 10 362.

658. innuit fortasse hoc loci auctor *carmina* Ovidii *Met.* 1 151—62, ubi describitur Gigantum pugna cum Iove, de qua fit mentio in hac comparatione.

661. cum hic versus in codice descriptus bis reperiatur, nempe tum fine unius paginae tum initio alterius, secunda vice pro *nunc* est *tunc.*

663. voce *innumerosa* usus est etiam Plinius *H. N.* 10 65.

665. *stipitis hic gravidi* Virg. *Aen.* 7 507.

688. *pectus anhelum* Virg. *Aen.* 6 48.

690. Virg. *Aen.* 11 800: *convertere animos acres.*

697. ex v. 519—20 huius libri videtur fuisse huius ducis nomen *Felix Iohannes*.

705. *duris dolor ossibus arsit* Virg. *Aen*. 9 66.

711. ms *ardentes*. sed vidimus ad 1 561 hanc sententiam familiarem Corippo ex Virg. *Aen*. 10 284: *audentes fortuna iuvat*. utrum pro *fore prima* legendum sit *fortuna*, videant alii.

716. *ferrata calce fatigat* Virg. *Aen*. 11 714.

742. *subvendicat*. vox addenda lexicis Latinis.

747. Virg. *Aen*. 10 813: *saevae iamque altius irae*. Ovid. *ex Ponto* 4 14 41: *at malus interpres, populi mihi concitat iram*. in nota autem Burmanni legitur primam editionem habere ibidem perperam *concutit iram*.

754. Virg. *Georg*. 1 245: *in morem fluminis*.

762. Virg. *Aen*. 11 505: *tentare pericula belli*.

Lib. 6 v. 2. supra 1 460: *Byzacii carpebat iter*. Virg. *Georg*. 3 347: *viam cum carpit*, et *Aen*. 6 629: *carpe viam*. item Ovid. *Fast*. 3 604: *secretum nudo dum pede carpit iter*.

4—5. Virg. *Aen*. 1 455: *hic primum Aeneas sperare salutem ausus*.

10. *longo post tempore* Virg. *Ecl*. 1 30 et 68, *Aen*. 6 409.

11. v. ad 2 268. respexit auctor hoc loci ad *Iudic*. 9 13: *numquid possum deserere vinum meum, quod laetificat deum et homines; Ps*. 103 15: *et vinum laetificet* (vel *laetificat*, ut est in spalterio Mediolanensi) *cor hominis;* et *Eccles*. 40 20: *vinum et musica laetificant cor*. Lucret. 1 194: *laetificos nequeat fetus submittere tellus*.

20. Virg. *Aen*. 9 166: *noctem custodia ducit insomnem*.

21. Lucan. 1 272: *varias volventem pectore curas*. v. supra 2 288.

22. idem repetitur infra v. 105.

25. Dracontius in *elegia* cui titulus *Satisfactio ad Guntharium regem Vandalorum cum esset in vinculis*, v. 57—8 ed. Rom. 1791 p. 375: *sed diversa creans et discordantia, iunxit et bona mixta malis et mala mixta bonis*. vide fere eandem sententiam apud Ovid. *de remedio Amoris* v. 323, et Monosticha iambica in *Florilegio magno seu Polyanthea* Iani Gruteri verbo *Boni*, P. 1 ed. Venet. 1625 p. 288, item Monosticha trochaica v. *Mali*, P. 2 p. 30. item Lucan. 8 705—6: *qui nunquam mista videret laeta malis*.

28. Quinctil. *Inst. Orat*. 8 7: *vir Perses*. poteram tamen corrigere *Persa*, ut *de laud*. 3 277. ad Chosroën Persarum regem missum fuisse Recinarium, ut de pace ageret, narrat Procopius *de bello Pers*. 2 27 p. 157.

30. v. ad 1 451.

38—9. *Ps*. 126 1: *nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam;* vel iuxta Italam veterem ver-

a clero Mediolanensi adhuc retentam: *in vanum vigilant qui custodiunt eam.* sic etiam legitur apud S. Ambrosium *de Paradiso* c. 4, Operum t. 1 col. 154 ed. Maurinae. vide et Sabatier *Biblior. Sacr. antiq. Version.* t. 2 p. 255.

66. *caput obiectare periclis* Virg. *Aen.* 2 752.

82—3. Virg. *Aen.* 3 589 et 4 7: *humentemque aurora polo dimoverat umbram,* et 11 210: *tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram.* v. supra 1 242—3 et *de laud.* 2 1. Ovid. *de Arte* 3 180: *roscida luciferos cum dea iungit equos.*

85. Martial. 10 10: *et pariter geminas tendis in ora manus.*

86. Virg. *Ecl.* 5 15: *hesterno Iaccho.*

87. postrema pars huius vocis *supinis* abrasa fuit in codice, ubi visitur tantum *sup*. Virg. *Aen.* 3 176—7: *tendoque supinas ad caelum cum voce manus,* et 4 205: *multa Iovem manibus supplex orasse supinis.*

88. cf. *de laud.* 3 360 et 2 181.

89. *qui foedere certo* Virg. *Aen* 1 66.

91. Dan. 2 21: *et ipse mutat tempora et aetates.* *Ps.* 101 28: *tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* item S. Ambrosius in oratione vespertina sabbati iuxta *breviarium ecclesiae Mediolanensis: deus, qui super omnia mutabilia* (sic in omnibus antiquis codicibus tum mss cum impressis, non *mirabilia,* ut mendose habent recentiores editionis) *incommutabilis permanes.*

93. mos nempe antiquus dividendi tum hieme tum aestate duodenis partibus aequalibus diem, totidemque noctem, adhuc vigebat saeculo 6, et diu postmodum perduravit. imo saltem apud ecclesiasticos viros in usu fuisse in Italia saeculo 14 constat ex Dante Aligherio, qui in opere inscripto *Vita nuova* (Op. t. 4 p. 1 p. 7 ed. Ven. 1758) ait: *L' ora nella quale m' era questa visione apparita, era stata la quarta della notte; sicchè appare manifestamente ch' ella fu la prima ora delle nove ultime della notte.* imo clarius idem declaratur in alio eiusdem auctoris opere cui titulus *Il Convito,* in quo (p. 130 partis cit.) scripsit: *è da sapere che ora per due modi si prenda dagli Astrologi: l' uno si è, che del dì e la notte fanno ventiquattr' ore, cioè dodici del dì e dodici della notte, quanto che'l dì sia grande o piccolo. e queste ore si fanno picciole e grandi nel dì e nella notte, secondo che'l dì e la notte cresce e scema. e queste ore usa la chiesa, quando dice Prima, Terza, Sesta e Nona; e chiamansi così ore temporali. l' altro modo si è che facendo del dì e della notte ventiquattr' ore, talvolta ha il dì le quindici e la notte le nove, e talvolta ha la notte le sedici e il dì le otto, secondochè cresce e scema il dì e la notte; e chiamansi ore eguali. e nello equinozio sempre queste, e quelle che temporali si chiamano, sono una cosa, perocchè, essendo il dì eguale della notte, conviene così avvenire.*

95. *de laud.* 3 300 vocatur etiam dei filius *factorque et conditor orbis.*

96. Luc. 21 27: *et tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna et maiestate.*

102. in nostro codice saepe est *tellum* cum duplici *l*; sed hoc loci legendum esse *bella* nos docet *Ps.* 67 32: *dissipa gentes, quae bella volunt.*

106. *iterumque iterumque* Virg. *Aen.* 2 770 et 3 436.

108. pro *suscipiens* faciunt sequentes textus Sacrae Scripturae, nempe *Prov.* 4 4: *suscipiat verba mea cor tuum,* et ib. v. 10: *suscipe verba mea; Eccles.* 2 2: *suscipe verba intellectus; Act.* 17 11: *susceperunt verbum;* et Iac. *Epist.* 1 21: *suscipite insitum verbum.*

111. fortasse Corippus prae oculis habuit contrariam Virgilii sententiam *Aen.* 2 354: *una salus victis nullam sperare salutem.* poteris tamen versum corrigere alio modo, ita ut desinat ut infra v. 139: *pugnam sperare sequentem.*

114. ms *are ciens;* ideoque auctor Periocharum scriptum reliquit quod ductor *vadit ad Missam.* sed legendum esse *aere* suggerit Virg. *Aen.* 6 165, qui incipit: *aere ciere viros.* ib. 10 122: *rara muros cinxere corona.*

118. Claud. *in prim. consulatum Stilichonis* 2 69: *confringas animum.*

129. *iuvabit* quinquies Virgilius posuit in fine versus.

135. *curam sub corde premebat* Virg. *Aen.* 4 332.

136. Virg. *Georg.* 3 523: *campum petit.*

137. cf. *de laud.* 3 354—6 et Dempsteri in eum locum nota. inter alia testimonia illic allata praecipua observatione dignum est illud Sozomeni 1, qui haec habet: *Romanorum cohortes, qui nunc numeri dicuntur.* alia congessit Forcellinus in suo *lexico.* noster autem auctor utitur eadem voce alibi, ut ex Indice; et infra 7 641 rursus scripsit: *signa ducesque simul, numeri fortesque tribuni.*

138. *favendo,* nempe blanditiis, acclamationibus, applausu; nisi mavis legere *fovendo,* ut alibi in hoc poëmate: *fovit equos.*

139. *sequentem*] scilicet *obsequentem.* quod si non placet, lege *secundam,* ut apud Caesarem *de bello Gall.* 2 9: *secundiore equitum nostrorum proelio Caesar suos in castra reduxit;* et 7 62: *ut suae pristinae virtutis et tot secundissimorum proeliorum memoriam tenerent.*

143. bis memorat Procopius hanc urbem, *de bello Vand.* 2 22 et 28. posteriori hoc loco confirmat quod a nostro poëta hic narratur: hoc nomen Graece est ibidem ἐς Λαρίβους; estque, ut putat Morcellius *Afric. Christ.* t. 1 p. 199, idem ac civitas Larensis Victoris Vitensis, quam *Laribus coloniam* dicit *Itinera-*

rium Antonini p. 24 ed. Wesseling. Amstelaed. 1735, ubi in itinere a Carthagine Cirtam designatur. imo Hortensianus episcopus in conciliis Carthaginiensibus annorum 252 et 255 *a Laribus* appellatus est, ut et apud Augustinum 6 28 *contra Donatistas*. *de muris novis* eiusdem urbis, *quos condidit Iustinianus*, ut ait Corippus versibus subsequentibus, nullam fecit mentionem Procopius in libris *de aedificiis Iustiniani;* sed monet idem auctor, ib. 6 7, Opp. t. 2 p. 117, Iustinianum urbes in Numidia sitas (qua in provincia erat Laribus) firmissime communivisse, quin eas singillatim enumeret; et paulo infra fatetur de aedificiis Iustiniani scire se multa praetermisisse, sive magno abdita numero, sive prorsus incognita.

145. *Iustinianus apex de laud.* 1 355.

145—6. cf. *de laud.* 1 111 et 3 104.

154. de coniugis Iohannis Felicis luctu ob mortem eius viri hic loquitur auctor.

155. Fama *pinnata* dicitur a Corippo, ut a Prudentio in *Apotheosi* v. 679 iuxta ed. Hanov. 1613 p. 182: *quis tam pinnatus rapidoque simillimus Austro nuntius*. in ed. autem Arevali v. 611 p. 457 legitur *pennatus*.

156. Prudent. *Peristeph. hymn.* 1 92 p. 884 ed. Rom. 1788: *ac stupore oppalluit*. nota autem Arevalum postremum editorem operum Prudentii, in dissertatione *Prudentiana* n. 256, inter Prudentii imitatores recensere nostrum Corippum. vide et illius notas ad p. 428, 613, 727, 787 et 1130.

164. *obtutus*] in numero plurali iam usus erat Prudentius ea voce *Hamartig.* v. 907 p. 569: *nil intercurrens obtutibus*.

177. non mirandum est fecisse Corippum trisyllabum *miscuissem*, cum saepe sit monosyllabum *cui* apud poëtas.

178. Virg. *Aen.* 12 880: *possem misero fratri comes ire per umbras*.

180. Virg. *Aen.* 5 871: *ignota, Palinure, iacebis arena*.

184. Virg. *Aen.* 5 870: *o nimium caelo et pelago confise sereno*.

186. Virg. *Aen.* 12 777: *Faune, precor, miserere*.

193. in codice olim legebatur *fossa*, et nunc legitur *possa*.

195. Virg. de Carthagine *Aen.* 1 681: *ad urbem Sidoniam*.

197. Lucret. 1 921: *et lacrimis salsis humectant ora genasque*. *etsi quidam falsis falso legant*, ut ait Erythraeus in *Indice in Virgilium* verbo *salsusque sudor*.

199. ex Virgilio posui *omnes*, qui pluries iungit *omnes* cum *curas*, ut *Georg.* 3 123, *Aen.* 5 720 et 9 224.

203. *evigilanter*. adverbium addendum lexicis Latinis.

206. Virg. *Aen.* 10 213: *tot lecti proceres ter denis navibus ibant*. si non placet *proceres*, legatur *pedites* vel *gentes*, ut Virg. *Aen.* 9 132—3: *tot milia gentes arma ferunt Italae*.

220. *quique*] hanc vocem supplevi, quia versus claudicabat. fortasse melius erat *quisque*.

225. Virgilius novies incipit versum ab hac voce *quippe*. imo *Aen.* 12 422 pariter incipit: *quippe dolor*.

229. *secumque volutat* Virg. *Aen.* 4 533.

235. Cic. *pro lege agraria* c. 1: *cautus in periculis*, et *ad Quintum Fratrem* 3 ep. ult.: *cautum esse in scribendo*.

236. Ovid. *ex Ponto* 4 7 9—10: *ipse vides onerata ferox ut ducat Iazyx per medias Istri plaustra bubulcus aquas*.

241. Virg. *Aen.* 7 794: *agmina densantur*.

253—5. etiam Virg. iungit simul tigres leones et angues *Georg.* 2 151—4. pro *mansuescere* activo vide infra v. 484, et ut quadrisyllabo vide etiam Virg. *Georg.* 4 470.

258. *arte nova* Virg. *Aen.* 7 477.

264. confer 7 124.

273. in Numidia australi situs est mons *Aurasius*, cuius incolae erant Mauri sub principe Iauda, de quo mentio fit in sequentibus versibus, ut Procopius ait *de bello Vand.* 1 8. vide ibi 2 12 et seq., ubi plura narrat de Iabda (sic enim illud nomen vertit Maltretus ex Graeco Ἰάβδας, quod idem sonat ac *Iaudas*) principe Maurorum qui illic habitabant. confer etiam eiusdem libri 2 c. 19 et seq. et c. 25, item *de Aedificiis* 6 7, et Cellar. *Geogr. Ant.* 4 5 p. 186—7, qui tamen eundem montem *Austrasium* vocat, etsi in sua tabula geographica exstet *Aurasius*.

277. *Iaudas*] de eo vide nostram notam ad lib. 3 302, nec non Procopium locis nuper citatis, et *de bello Goth.* 4 17. hic narrat quod variis diversisque accidit temporibus: nam praepostere Antalae deditionem refert, de qua nihil reperitur apud Corippum nostrum, quia fortasse de ea egit tantum in libro 8 huius poëmatis, qui prorsus periit, cum non exstet in codice unico Trivultiano.

283. *Austur*. supra 2 89 et 91 occurrit in ms hoc nomen sic *Astur*, sed ibidem v. 209 et 345, ut hic, est *Austur*. ibidem ad priorem ex citatis versibus confessus sum me nescire quis populus Africae sit *Austur*. inveni autem ubi iaceant *campi Mammenses*, nempe in confiniis mediterraneis Byzacii, ut constat ex Procopio *de Aedif.* 6 6; cf. *de bello Vand.* 2 11.

288. Virg. *Aen.* 4 188 famam vocat *nuntiam*. Apuleius *de deo Socr.* dixit etiam: *aves aëra volitando transverberant*.

318. Virg. *Aen.* 5 462: *et saevire animis Entellum haud passus acerbis*.

320. v. 1 339—40 et Virg. *Georg.* 1 250.

322. conf. Ovid. *Met.* 3 58.

323. *ignivomus*] huius vocis unicum est exemplum etiam apud Forcellinum ex Lactantii vel Venantii *carmine de resurrectione domini*.

334. Hirt. *de bello Alexandr.* c. 8 et seq. *aqua dulcis*, et Cic. 6 *in Verrem* c. 53: *fons aquae dulcis.*

338. *sese e pastu referunt* Virg. *Aen.* 7 700. et *Ecl.* 8 101 desinit pariter: *rivoque fluenti.*

343. *undivagos*] hanc vocem ad calcem *lexici* sui reiecerat Forcellinus, qui pro eadem citat Eugenium Toletanum, sed in *Appendice* sua retulit Furlanetus ex Palladii *epigrammate de ortu solis*, quod legitur in *Anthologia* Burmanni t. 2 p. 303. etiam Ricciolius in *Prosodia reformata* pro eadem voce retulerat v. 9538 Lucani 1 414, sic: *Tethyos undivagae lunaribus aestuet horis.* sed eam lectionem merito improbant critici, etsi reperiatur in uno ms codice Vossiano, quem citat Oudendorpius ad eum locum; et rectius legunt *unda vagae.* Corippus autem rursus adhibet eandem vocem infra 7 344 et *de laud.* 1 110.

344—5. in margine haec leguntur: *nota etiam varios modos bibendi.* videntur autem iidem desumpti ex libro *Iudicum* 8 6: *fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiicientes lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.*

346. Hor. 3 15 16: *nec poti vetulam faece tenus cadi.* Virg. *Aen.* 5 775: *pateram tenet.*

347. de verbo *impressat* vide supra ad 5 372. poteris etiam legere *ipsis impressat arenis belliger ora:* in codice enim re vera est *ora.* etiam verbum *superfoedant,* si iunctim scribatur, addendum erit lexicis Latinis: sed disiunctim feci *super foedant,* ut est in codice ipso.

370. ante *bisseni* adiicere poteris in lexicis linguae Latinae etiam *bisquini.* hac voce usus est Ioh. L. de Bonis *epistola* 18 *ad regem Ungariae ut tollatur schisma* v. 39, ubi ait *bisquinis vicibus iam sol varieque vagatur.* Ioh. quoque Aloysius Guidobonus, de quo vide in Praef. nostra, v. 29 ait: *nec dum bisquinos aetas tua viderat annos.*

390. *fortia facta* Virg. *Aen.* 1 645.

391. infra 7 20 occurrunt *arva Vincensia.*

394. *per opaca* Virg. *Aen.* 2 725 et 6 633.

395. Cic. *pro lege agrar.* 1 8: *civitas sollicita suspicione.*

396. *medios per hostes* Virg. *Aen.* 3 283, et 12 477 et 650.

397. Virg. *Aen.* 2 91: *haud ignota loquor.*

417. *Tarincus*] non plane clarum est hoc nomen in codice, ubi scriptum videtur potius *tarincius.*

432. Virg. *Aen.* 9 793: *telis premit infensis.*

435. ordinem horum nominum immutavi, quia *Stephanus* habet priorem syllabam brevem apud Martialem et Aratorem, ut constat ex *Prosodia reformata* Ricciolii.

437. feci *Gregorius,* ut est supra 4 487, non *Georgius:* nam huius prima passim apud poëtas corripitur, ut videre est in

Prosodia reformata Ricciolii, ubi citatur pro eadem syllaba producta unicum exemplum Baptistae Mantuani, cuius auctoritas non magni est facienda.

442. Virg. *Georg.* 3 88: *solido graviter sonat ungula cornu.*

444. Virg. *Aen.* 6 881: *seu spumantis equi foderet calcaribus armos.*

448. Virg. *Aen.* 1 144: *illa se iactet in aula Aeolus.* non incongrue post Virgilium noster poëta ventorum domum *aulam* appellat: est enim *aula*, Graece αὐλή, ut scribit Athenaeus lib. 5, ὁ διαπνεόμενος τόπος, *locus* nempe *subdialis ac perflatilis*, ab ἄω, id est *flo.*

463. *Varinnum*] suspicor hunc esse eundem Maurum de quo est mentio supra 4 964, ubi reperi *Varrinnum* etiam duplici *rr.*

470. Val. Max. 8 10 3: *vultu remisso et languida voce.*

484. *mansuescit*] exempla huius verbi active sumpti, ut supra v. 253, rara sunt apud lexicographos Latinos.

494. ex verbo *humilio*, quo praeter scriptores ecclesiasticos omnis aevi, inde a Tertulliano, imo a primo saeculo Christiano in quo perfecta fuit antiqua versio Bibliorum Sacrorum, usus est etiam Ammianus Marcellinus, fecit noster poëta *humilo* ob metri gratiam tum hoc loci tum 7 464. desumpta est autem haec sententia ex Ps. 88 11: *tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuae* (vel, ut in psalt. Mediolan., *et in virtute brachii tui*) *dispersisti inimicos tuos.*

499. *lumine torvo* Virg. *Aen.* 3 677.

508. *ante tubam* id est *ante proelium*, ut interpretatur P. Pirrho eandem phrasim apud Claudian. lib. 1 *in pr. cons. Stilich.* seu *carm.* 21 192.

524. *valde*] fortasse tempore Corippi ultima adverbii *valde* corripiebatur.

530. *Maximianus*, nempe Herculeus, de quo vide 1 480.

536. pro *an* ex *aut* potest legi *haud;* sed tunc omittendum esset punctum interrogantis, quod visitur etiam in codice. fortasse illud *acrive*, quod legitur in codice ipso, et immutare non ausus sum, cum nesciam quid pro ea voce sit reponendum, est ex Graeco ἀκριβής, *exquisitus, accuratus, diligens.* sane in *Prosodia reformata* auctore I. B. Ricciolio, impressa Bononiae anno 1655, legitur *acrivia diligentia,* ἀκρίβεια, *prima communis, secunda et tertia longa.* item Du Cange in *Glossario mediae et infimae Latinitatis* habet: *acriviose accurate, ex Graeco* ἀκριβῶς, citatque *Isidorum Pacensem episcopum saeculi* 8, *qui ea usus est voce in Chronico.*

Lib. 7 v. 9. in textu legitur *praeceps*, sed additum est in margine *al. praepes.* hanc vero vocem requirit ratio versus prae

altera; et ter illa usus est Virgilius, cum de volucribus ageret, qui velociter, ut hirundines, discurrunt per aëra, ut *Aen.* 3 361, 5 254, et 6 14.

10. Virg. *Georg.* 1 377: *aut arguta lacus circumvolitavit hirundo.*

12. *itque reditque*] v. supra ad 4 524. Virg. *Aen.* 7 108: *corpora sub ramis deponunt arboris altae.*

16. *concurrere telis* Virg. *Georg.* 1 489.

20. *Vincensibus arvis.* sic est in codice. an *Vitensibus?* Vita enim est Africae urbs nota, exstans olim prope Tripolim, unde nomen sumpsit Victor Vitensis episcopus, qui *historiam* scripsit *Vandalicae persecutionis* sub Hunerico circa annum 487. sic corrigerem, nisi supra 6 391 legissem *Vinci populator iniquus.* Vincum vel Vincus est fortasse urbs Africae, quae fugit diligentiam geographorum; nisi legendum sit hic *Vicensibus* et supra *Vici.* tunc erit illud *provinciae Byzacenae oppidum,* ut ait Morcellus *Afr. Christ.* t. 1 p. 352, *quod Antoninus Vicum Augusti in Itinerario appellat, inter Adrumetum et Aquas Regias. idem in concilio Cypriani Vicus Caesaris dicitur, et ex collatione Vicus tantum quandoque nominatum videtur, quod ceteris antiquior esset.*

27. *perient.* de parum usitata hac forma futuri videndus est Forcellinus verbo *eo* in fine, ubi nullum tamen est additum exemplum pro verbo *pereo,* excepto eius composito *disperiet* ex *Sap.* 16 29. poterat autem afferri ex *Ecclesiastico* 23 7 et 41 9 *periet.* sic etiam in Vulgata plura sunt exempla huiusmodi pro aliis verbis compositis ex *eo.*

29. Virg. *Aen.* 3 367: *obscenamque famem.*

30. *tempore certo* Virg. *Georg.* 4 100.

33. *vix ea fatus erat* Virg. *Aen.* 1 590, 2 692, 3 655, 6 190, 8 520 et 12 650.

34. Virg. *Aen.* 7 624: *pars pedes ire parat campis, pars arduus altis pulverulentus equis furit.*

35. an *ardescit,* ut Virg. Aen. 11 607: *fremitusque ardescit equorum.*

37. Virg. *Aen.* 9 397: *subito turbante tumultu.*

40. in ms tam *iunxere* quam *vinxere* legi potest.

41. v. 3 238.

62. Virg. *Aen.* 9 793: *cum telis premit infensis.*

71. *Eccles.* 11 41: *a scintilla una augetur ignis.*

73. ms *furam.* prius tamen pro *furam* in codice erat vox longior, in cuius medio deletae fuerunt ad minus duae litterae; ideoque fortasse legebatur *funeram;* ex qua voce conieci legendum *funeream* pro *funestam* vel *atram;* ut Virg. *Aen.* 5 666: *respiciunt atram in nimbo volitare favillam.* potes etiam legere

furuam vel *fumum*, ut Terent. *Adelph.* 5 3 6: *psaltria favillae plena et fumi.*

86. poterat sic relinqui hic versus absque ulla correctione; sed eam suppeditavit mihi Virg. *Aen.* 1 154: *iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.*

88. Virg. *Aen.* 4 696: *merita nec morte peribat*, et 11 849: *morte luet merita.*

91. *mediis fervoribus* Virg. *Georg.* 3 154. ex hoc loco adcivi *mediis*, ut versum sanarem Corippi, cum is *in eius librorum lectione apprime versatum se prodat*, ut recte observavit Fogginius, praeter alios, in *praefatione* ad opera iam edita illius p. 8.

98. ms *tarsesis;* sed 4 553 et 1101, et 5 525 est *Tarasis.*

116. Lucr. 3 70: *sanguine civili rem conflant.*

117. fortasse *ensum* est per syncopen pro *ensium;* nisi mavis legere *extensum* pro *est ensum.*

123. sic ait Caesar ad milites suos seditiosos apud Lucan. 5 357—8: *discedite castris: tradite nostra viris ignavi signa Quirites.*

124. *vadite.* Caesar eodem verbo utitur apud Lucan. 5 325 in suis obiurgandis militibus.

126. supra 6 279 est *Bezina.*

135. ms *restringere.* scio apud anonymum auctorem *Panegyrici ad Constantinum* c. 6 n. 1 esse: *iratos incensosque ad ulciscendum animos restringere.* attamen fortasse mendosa est ea lectio, cum Cicero habeat *de Finibus* 1 13: *restinguere omnium cupiditatum ardorem; pro Rabirio* c. 6: *restinguere odium*, et *pro Sext.* c. 21: *animos hominum sensusque morte restingui;* item *de Orat.* 1 51: *eorum mentes qui audiunt, aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere*, et *de Divinatione* 1 30: *illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta.*

137. *furuisse.* unicum est fortasse exemplum praeteriti modi infinitivi huius verbi, de cuius praeterito etiam indicativi modi dubitant grammatici, num re vera exstiterit. Cellarius enim in *Latinitatis probatae et exercitae libro memoriali* affirmat sine praeterito esse *furo;* et Forcellinus in suo lexico refert praeteritum eius esse *paene incertum.*

149. est allusio ad celebrem seditionem ortam in castris Caesaris, quam illico sedavit una tantum voce usus in alloquendis militibus, videlicet *Quirites* eos appellans, non amplius *commilitones*, ut solebat. vide hac de re Sueton. *de C. Caesare* c. 70, Tacit. *Ann.* 1 42, et Lamprid. *de Alexandro Severo* c. 52 et seqq. sic etiam habet Lucan. 5 357.

166. fortasse hi *Campi Catonis* erant prope Uticam, nisi potius a Catone maiore, qui quaestor fuit in Africa, nomen sor-

titi sint. de iis autem *Campis* nullam mentionem inveni apud Cellarium aliosque geographos. Lucan. 8 119 desinit pariter: *et castra Catonis.*

187. *occurrere iussit* Virg. *Aen.* 12 854.

191. pro *cetra* poteram legere *scuta*, sed secutus sum Virg. *Aen.* 7 782. cf. quae adnotavi ad 2 153.

196. *dictis affatur amicis* Virg. *Aen.* 8 126 et 10 466.

208. prius erat *leto*, unde factum est *letus*.

290. *dextraque silentia iussit* Lucan. 1 298. cf. *de laud. Iust.* 1 123. item *Iudith.* 13 16: *iussit fieri silentium.* vide supra ad 4 899.

225. Corippus videtur hoc loci usus esse verbo *mittere* pro *committere*, ut 1 487. v. et ad 2 268.

234. *diversa in parte* Virg. *Aen.* 9 691 et 11 203.

235. Virg. *Aen.* 7 583: *infandum cuncti contra omnia bellum*, et 12 804: *infandum accendere bellum.*

239. *extrema iam in morte* Virg. *Aen.* 2 447 et 11 847. hinc fortasse erit adiicienda etiam in versu Corippi particula *in* ante *morte.*

245. Virg. *Aen.* 2 639: *solidaeque suo stant robore vires.*

246. *lymphiger*] v. ad 3 145.

270. oblique hic ambitionis accusatur Cusina, eoque nomine in invidiam vocatur, quod vana nempe magistri ambitone ductus malit pro Romanis quam pro Mauris seu patria militare. magister militum vel militiae tempore potissimum Iustiniani erat supremus dux exercitus in aliqua expeditione, ut pluries fuit Belisarius, et nunc Iohannes noster in Africana expeditione contra Mauros rebelles, quam hoc poëmate cecinit Corippus.

281. *placidam per membra quietem* Virg. *Aen.* 1 695. in margine autem adest sequens nota: [*vide*] *sonitium Petrarce: or che'l cielo la terra e'l vento tace.*

286. Virg. *Aen.* 9 166: *noctem custodia ducit insomnem.*

289. *horrida bella* Virg. *Aen.* 6 86 et 7 41.

290. Virg. *Aen.* 1 525: *placido sic pectore coepit.*

291. postrema vox in codice est dubia, ita ut nescias utrum legas *casus* vel *causas*. re vera *varias* requireret *causas*; sed praetuli *varios casus*, quia sensus videtur id requirere, et Virgilius *Aen.* 1 208 habet: *per varios casus.*

293. *fabula.* vide ad 3 57.

294. nescio quid voluerit hic innuere auctor. fortasse nondum sanus hic est versus. an legendum: *o quantas fudere preces?* Ps. 23 8: *dominus fortis et potens, dominus potens in proelio;* et Ps. 88 9: *potens es, domine.*

296. an *fudit?*

301. Virg. *Aen.* 1 670: *tua numina posco.*

305. fortasse postrema versus verba erunt hoc ordine legenda: *Martis quae numina Mazax.*

306. etiam Virgilius vocat Martem *belli potentem Aen.* 11 7.

308. Taenarius Iupiter vocatur hic Pluto a Corippo, sicuti est Stygius et Tartareus et niger Iupiter apud Ovidium, Val. Flaccum, et Senecám tragicum, nec non in Inscriptionibus apud Gruterum p. 23 v. 6 et 7.

310. *pro scelus* Virg. *Aen.* 5 793.

324. exemplum pro participio *distensus* protulit Furlanettus in *Appendice ad Lexicon* Forcellini. ex hoc autem loco alterum habes huiusmodi exemplum. Virg. *Aen.* 1 473 desinit pariter: *tentoria velis.*

327. iuxta Durandum *Rationarii divinorum Officiorum* 1 3 35 velum in ecclesia triplex suspendebatur, primum quod sacra operiret, secundum quod sacrarium a clero divideret, tertium quod clerum a populo secerneret.

328. *more patrum* Virg. *Georg.* 3 177.

335. Virg. *Aen.* 12 196: *suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram.*

343. pro miraculis est frequens haec vox *virtus* in sacris Bibliis, ut adnotavit Forcellinus. hinc Mazzolenus auctor hymni in *breviario Ambrosiano* recepti pro festo S. Philippi Nerii cecinit: *implevit hic virtutibus terras, et astra civibus.* v. et 1 143.

344. *undivagumque*] v. ad 6 343.

345. Virg. *Aen.* 4 26: *pallentes umbras Erebi,* et 242: *animas ille evocat Orco pallentes.*

346. Iudas *epist.* 25: *soli deo salvatori nostro gloria et magnificentia, imperium et potestas.*

347. *Paralip.* 1 29 11: *tua est, domine, magnificentia et potentia et gloria atque victoria, et tibi laus: cuncta enim, quae in caelo sunt et in terra, tua sunt. tuum, domine, regnum.*

348. ut oratio Moysis *Exod.* 33 13: *respice populum tuum, gentem hanc.*

351. Isa. 1 28: *conteret scelestos et peccatores simul.*

354. *haec memorans* Virg. *Aen.* 5 641 et 743, et 10 680; 6 699: *sic memorans, largo fletu simul ora rigabat.*

368. *acceptabile*] vox frequens in sacris Bibliis Latinis tum Italae veteris tum Vulgatae versionis, ut in *epist.* 1 Petri 2 5: *hostias acceptabiles deo.*

369. Ambrosius Calepinus in suo Dictionario verbo *sanctifico,* ubi recenset eius derivata, subiungit: *quae apud ecclesiasticos scriptores nusquam non occurrunt, classicis tamen linguae Latinae auctoribus parum recepta.* bis participium *sanctificans* occurrit in Vulgata editione sacrorum Bibliorum, nempe Ezech. 20 12 et *Rom.* 15 16. at verbum *sanctificare* centies illis in

libris usurpatur, veluti *Hebr.* 13 12: *ut sanctificaret per suum sanguinem populum.* reliqua pars citati versus Corippi desumpta videtur ex *epist. ad Titum* 2 14: *ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem.*

374. in codice non adeo clara est prior littera vocis *Contractis.* fateor tamen non plane sanatum fuisse a me hunc versum.

381. Virg. *Aen.* 7 793: *clipeataque totis agmina densantur campis.*

382. Virg. *Aen.* 11 605: *hastasque reductis protendunt longe dextris, et spicula vibrant.*

385. Lucan. 7 459: *ferro subtexitur aether.* Virg. *Aen.* 3 492: *caelum subtexere fumo;* 7 673; *densa inter tela feruntur,* 12 408—9: *et spicula castris, densa cadunt mediis;* et 923: *volat atri turbinis instar exitium dirum hasta ferens.* quinquies dixit Maro *hastam volantem,* et hic infra v. 494 occurrit: *lancea circum densa volat.*

389. *primusq. init bellum* Virg. *Aen.* 7 647.

392—3. *revolutus equo* Virg. *Aen.* 11 671; et 9 700: *reddit specus atri vulneris undam.*

394. Virg. *Aen.* 12 386: *longa nitentem cuspide,* et 510: *hunc venientem cuspide longa, hunc mucrone ferit;* item 10 382: *discrimina costis per medium qua spina dedit;* 11 691: *qua colla sedentis lucent.*

397. Virg. *Aen.* 12 293: *at fervidus advolat hasta.*

405. Virg. *Aen.* 7 665: *tereti pugnant mucrone.*

409. *et vasta ruina* Virg. *Aen.* 3 414.

416. *alta petens* Virg. *Aen.* 9 564.

423. *compulsit* pro *compulit,* absque exemplo in lexicis; attamen adnotaverat Forcellinus in *pello pulsi* pro *pepuli* rarum esse nec imitandum, et adiecit exemplum unicum Ammiani Marcellini, apud quem legitur 30 5 (al. 21) sub finem: *quae eum insilientem pulserat consueto.* si alicui autem non placet *compulsit,* faciat *compulsat.*

431. vide exempla allata ex Virgilio ad v. 196 huius libri, quibus adde ex *Aen.* 1 667 et 9 652.

433. *animos viresque secundas* Virg. *Aen.* 2 617.

450. vide supra ad v. 385.

451. *volatile ferrum spargitur* Virg. *Aen.* 8 694. cf. 4 71.

472. *sic ait et*] septem versus incipit Virgilius iisdem verbis.

477. *et mollia colla reflectunt* Virg. *Aen.* 11 622.

480. *ante volat.* sic divisim est in codice nostro tum hic tum infra v. 643, ut apud Virgilium rectius scribendum esse putat Forcellinus.

506. *Deciis*] tres hoc nomine cives Romani, pater filius et nepos, omnes consules, pro patria se devoverunt et telis hostium certaeque morti obtulerunt: P. Decius Mus pater bello Latino, P. Decius filius Etrusco; nepos eo quod cum Pyrrho gestum fuit. de prioribus duobus vide Liv. 7 9 et 10 28, de omnibus Cicer. *Tusc. Quaest.* 1 37 et *de Fin.* 2 19.

508. Virgilius bis habet *memorabile*, nempe *Aen.* 2 583 et 4 94, et utroque in loco in quinta sede; cui subiungit *nomen*, quamvis alii in posteriori loco legant *numen*.

509. Nic. Erythraeus ad *Aen.* 6 822, ubi legitur: *utcunque ferent ea fata minores*, adnotavit in margine *nepotes*; et in *Indice* Virgiliano ad eandem vocem adiecit: *Minores, sermo est poëticus, quo accipiendi sunt omnes quos posteriores Iurisprudentes appellant.* Lucr. 5 1197: *quas lacrimas peperere minoribus nostris?* Guidobonus quoque cit. ad 5 370 hunc habet versum 129: *atque velit nostros semper meminisse minores.*

513. *cava nubila* Virg. *Aen.* 9 671.

515. Virg. *Georg.* 1 448: *heu male tum mites defendet pampinus uvas!*

523. Virg. *Aen.* 12 121: *procedit legio Ausonidum, pilataque plenis agmina se fundunt portis.*

526. *dolor excitat iras* Virg. *Aen.* 2 594.

531—2. Virg. *Aen.* 3 377: *pauca e multis expediam dictis.*

538. *compressat*] hoc verbum omisit Forcellinus, quamvis ex Tertulliano recepit eius participium *compressatus*. attamen Gesnerus in *Novo linguae et eruditionis Latinae Thesauro* t. 1 col. 1092 admiserat *compresso*, atque Tertulliani ipsius *adv. Gnosticos* 3 textum adduxerat: *erat super illos in mala, et compressati sunt valde.*

547. adiiciendum erit hoc exemplum aliquando in lexicis Latinis post *rumpere vocem*.

549. Virg. *Aen.* 11 642: *deiicit Herminium.*

553. Virg. *Aen.* 11 640: *volvitur ille excussus humi*; et v. 888: *pars in praecipites fossas urgente ruina volvitur.*

556. Virg. *Aen.* 10 555: *deturbat terrae.*

558. Virg. *Georg.* 3 222: *versaque in obnixos urgentur cornua.*

568. *colla metit* Stat. *Theb.* 8 223.

569. ms *camulum*. puto eundem esse qui supra 4 632 dicitur *Camalus*. vide etiam 5 732.

572. *torquens hastile lacerto* Virg. *Aen.* 9 402.

576. fortasse erit scribendum *Evanthis* ex Graeco Εὐανθής, hoc est *florens*, vel aliter *Evanti* ex *Evantus*, quod est nomen duorum sanctorum Martyrum, ut in *Act. Sanct. Ian.* t. 1 p. 21

et *Apr.* t. 2 p. 80. de hoc patre Iohannis nihil reperi apud historicos.

591. patet omissum fuisse in hoc versu nomen Mauri cuiusdam occisi a Recinario; etsi nulla appareat lacuna.

596. fortasse adhuc medica indiget manu hic versus.

610. *equo fidens* Virg. *Aen.* 10 18.

622. ms *dorozis,* sed supra 4 972 et 5 650 est *Dorotis* Latinus. in fine versus est mancus.

623. cetera huius versus desunt in codice, ubi incipiunt frequentes lacunae.

626. *permixtusque suis.* cetera huius quoque versus desiderantur.

629. et hic in codice non apparet postrema vox huius versus.

632. *pectus*] postrema haec vox deest in codice, eamque accersivi ex Virg. *Aen.* 12 950.

635. ms *extimplo,* quod fortasse usitatum fuit apud antiquos.

641. vide supra 6 137.

646. nota vocem *gentilis* apud scriptores sacros non solum idem esse ac *idolorum cultor,* sed etiam indicare quodcunque ad idololatriam spectans; ut *Machab.* 2 4 10: *ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit.*

648. in hoc versu adest lacuna in codice ad penultimam sedem versus.

650. huius et eorum qui sequuntur trium versuum descriptae fuerunt in nostro codice tantum priores aliquot litterae, quas exscribere volui, ut omnia quae in unico huius poëmatis ms reperiuntur, cum lectoribus communicarem.

654. deest postremus pes versus, quem supplevi ex Virgilio *Aen.* 9 350 et 10 788.

655. Virg. *Georg.* 1 139: *laqueis captare feras et fallere visco.*

656. cetera desiderantur tum huius fortasse libri tum totius libri 8, in quo, ut innuit auctor 1 7, triumphum Iohannis magnum cecinit. imo fortasse 7 hoc libro vel 8 pax erat celebranda cum Antala Maurorum duce, de qua scripsit Procopius *de bello Goth.* 4 17.

MICHAELIS RUIZII ASSAGRII, THOMAE DEMPSTERI, GASPARIS BARTHII, NICOLAI RITTERSHUSII, CORNELII VALERII VONCKII, PETRI FRANCISCI FOGGINII

IN LIBROS DE LAUDIBUS IUSTINI MINORIS

N O T A E.

Fragmenti nomine libellis Corippi *de laudibus Iustini Minoris* praemittitur hoc Carmen, quod non tam alieni operis est fragmentum quam istius *praefatio*. Barth.

Praefat. v. 1. ita hanc lacunam coniectura, ut ceteras, expleo: *subiectus paret mundus*, coll. 1 184 et 2 206. Dempst.

2. *sub sedibus* legebatur in exemplari ms contra carminis rationem. sed et alibi Corippus in hoc opere eadem quasi loquendi forma usus est, ut statim 1 63 et 2 112. Ruiz. *pedibus*. Paul. Diacon. lib. 16: *ecce deus qui benefecit mihi* (Iustino); *hunc habitum dedit tibi.* frequens locutio poëtis, Virgilio Ecl. 5 et aliis, cum subesse unum alteri volunt. infra 1 63. vel quia *πόδες μόνους οἰκέτας σημαίνουσιν*, inquit Artemidorus 1 50; vel quia in triumphali pompa victi sub victorum pedibus effigiabantur. Achm. Oneirocrit. c. 114: si quis pedes ferreos sibi factos videre visus fuerit, *εἰ μὲν ἐστι βασιλεύς, μακροζωήσει καὶ καταπατήσει τοὺς ἐχθρούς*; et certe hoc simulacrum triumphatorum. Ovid. Trist. 4 2: *et ducis invicti sub pede moesta sedet*. Claudian. de 4 consul. Honorii: *colla triumphati proculcet Honorius Istri.* Prudent. in Symmachum 1: *colla tyrannorum media calcemus in urbe.* alii passim. infra 1 286 et 2 107. atque ita in equestribus statuis domitae gentes equorum subiectae pedibus. Stat. Silv. 1 1 de Domitiano Aug.: *aenea captivi crinem tegit ungula Rheni.* Dempst. nobis, nescio an prorsus male, altius aliquid latere videtur, quod librarius ineruditus non

intellexerit. scripsit Corippus *sub sedes dedit esse tuas:* loquitur enim de iamdudum fati benevolentia subdito imperio Iustino suo. eruditior sane scriptura. et quid venisset in mentem librario *pedibus sedes* substituere, si faciliorem vocem in libro invenisset? allusisse vero, more suo, Corippus videtur dictum S. Scripturae in Psalmis: *sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* quod ab aeterno rege scite ad imperatorem suum traduxerit. Barth.

3. *decrescere fecit*] per mutua nimirum praelia, quae inter se miscuerunt, quod enucleatius poëta exponit v. 12 et seqq. Martialis 7 53 6: *decrevere greges, cum cadit agna frequens.* Fogg.

4. de Avaribus inter alias barbaras gentes etiamsi multa mentio fiat in hoc Corippi poëmate, non tamen qui aut unde sint, longa diffusaque narratione dicam, tum quod ego non me Corippi plenum scholiastem modo agere profitear, tum vero quod inter alios auctores Evagrius 5 Eccles. hist. Abaros (ita enim, ut plerique alii, declinat et scribit) et gente Scytharum, qui Hamaxobii quique agros ultra Caucasum iacentes accolunt, oriundos esse narrat. fuere vero Avares anno imperii Iustini quarto in Thraciis devicti per Tiberium excubitorum comitem, qui de ipsis amplissimam victoriam Cpolim reportavit, ut Victor episcopus Tunnensis in Africa, eius aetatis scriptor, testatur in Chronicis ad Eusebium aliosque secum auctores adiectis. id adhuc hoc loco, ubi primum nomen ipsorum Avarum occurrit, significabo, semper in nostro ms exemplari per *v* litteram consonantem, non autem per *b* legi, sicuti apud plerosque auctores videre est. Ruiz. *Avares,* quorum descriptio apud elegantem ultimi Latini aevi vatem Corippum, *Ungari* non sine ratione videntur a Gothofrido Viterbiensi chronologo appellati. in quam rem praesens venies, si Theophylactum Simocatam historia Mauricii legeris. eiusdem rei assertor nobis est quoque Meginfredus, qui ante annos sexcentos historiam Emmerami scripsit. verba eius sunt: *inter angustias disceptantis conscientiae perlatum est ad eum Avares, quos aliis nominibus Hunos et Ungros appellamus, Pannoniae incolatu idololatriae squalere veterno, et in luce multarum id locorum gentium hanc solam veritatis diem non habere.* idem sentit Iuvencus Caedius Calanus: *Hunni, qui et Avares, nunc autem Ungari, in ultima Maeotide habitaverunt.* eandem gentem *Chasaros* quoque vocatam discas ex parte 4 Annalium Michaëlis Glycae. Barth.

ib. colubrimodis. Diaconus 16: *Avares habebant retrorsum comas prolixas valde atque perplexas.* facit hic locus ut putem Avares Germaniae esse gentem (dicam tamen infra 3 271): Germanis enim familiare crines calamistrare et in cirrum torquere, ad pulchritudinem, ut puto, formaeque decorem conciliandum. Martial. spectac. ep. 3: *crinibus in nodum tortis ve-*

nere Sycambri. sed qui post magnum Marcilium dicat? Iuven. 13: *caerula quis stupuit Germani lumina, flavam caesariem, et madido torquentem cornua cirro?* neque vero libenter Ramiresio assentiar, qui, licet probabili coniectura ex eodem Iuvenale, in satyra 4 legit *tortisque Sicambris,* cum antea esset *torvisque Sicambris.* vult enim satyrographus difficilem vinci et bellicosum esse populum; quod bene *torvus* exprimit, a terrore aut ferocia sumpto nomine. Fest. 18: Pacuvius Armorum indicio *cum recordor eius ferocem ac torvam confidentiam;* ut omittam Martem *torvum* vocari ab Horatio 1 28, et aprum leoni congredientem a Claudiano epigrammatis et Propertio 2 3. torvos itaque superasse laudi cedit, tortos seu calamistratos dedecori. effeminati illi. Sen. praefat. ad Controvers. 1: *capillum frangere et ad blanditias muliebres vocem extenuare, mollitie corporis cum feminis certare nostrorum adolescentium specimen est.* sed satis velitatus. *colubrimodi* sunt cincinnati in formam colubri agentis se in spiras. Stat. Theb. 6, et alii passim: *anguicomam monstri effigiem.* Dempst. ille qui cincinnatos in morem spirarum videtur capere, quia Germaniae populis comae ornatus talis inter ornamenta pulchritudinis, non videt horrorem, non formae commendationem, poëtam quaerere. Barth. vide infra in fine lib. 3. *colubrimodos capillos,* eleganter dixit hic *contortos et complicatos colubrinum in modum.* Rittershus.

4. *dira* legendum, non *dura:* ad diram enim Furiarum effigiem, capillis ex cerastis factis, alludit. Barth. Henr. Valesius hunc versum allegans in notis in Excerpta Constantini Porphyrogeniti de Legationibus scribit *nexa capillis,* quam lectionem fortasse suffecit, quia Auctor Miscellae c. 16 narrat consuevisse Abaros comas fasciis vincire. at ea lectio nimis longe a ms codice recedit. lege indubius *dira.* sic a Claudiano Megaerae *dirum os* tribuitur in Ruf. 1 85, et Plutoni *dirae inclementia formae* de Raptu 1 82. Fogg.

5. ortos ex Hunnis Avares innuit hic locus: nam deformes admodum Hunni, ut hic *visu terribiles.* Ammian. 31: *ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genae, ut pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur; senescunt imberbes absque ulla venustate.* et post: *deformes et pandi, ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte.* Iornand. de reb. Get.: *species eis pavenda nigredine, velut quaedam, si dici fas est, deformis offa, non facies, habensque magis puncta quam lumina.* Cassiod. 1 ep. 4: *facies illas* (Attilae Hunnorum regis) *terribiles et minaces despexit.* Claudian. in Ruffin. 2: *turpibus Hunnis praestabit famulos.* et in eundem 1: *est genus extremos Scythiae vergentis in ortus, trans gelidum Tanaim, quo non deformius ullum Arctos alit, tristes habitus ob-*

somnaque vieu corpora. corrigendus idem de laud. Stilich. 1. sic enim hactenus: *non vaga Hunnorum feritas.* vetus codex meus Venetus *Hunorum.* in editione mea Flexiensi censueram legendum *non vaga te Hunnorum feritas.* deinde *Thunorum* legi posse credidi: nam *Thuni* Thraciae populi, Danubii accolae, Solin. Polyhist. c. 16. at ms Bongarsianus diserte *Chunorum feritas,* quae lectio optima, ex historicis, Ptolemaeo, Ausonio epigr. 5, Idyll. 8, Sidonio Apollinare carm. 5, 7, 23, lib. 8 ep. 9, et aliis. Dempst.

5. *asperrima bellis*] est Maronianum, ut alia innumera. Barth.

7. *defusis*] promissis: supplices enim capillos demittebant. Heliodor. Aethiop. 7: τὴν δὲ ἱερὰν κόμην ἄδετον οὖσαν καθῆκε. praesertim nuper devicti. Ovid. Trist. 4 2. quo sensu dictam a Propertio 4 12 *Africam tonsam* viri magni contendunt. de origine ritus, usu et varietate dixi ad illud Claudiani de 4 Honor. consulatu: *flavam sparsere Sicambri caesariem.* quodsi rex in somnis vidit defluxisse sibi pilos, νίκας κατ' ἐχθρῶν καὶ χαρὰν ἐλπιζέτω, inquit Achmes Oneirocrit. c. 41. lego Artemidorum 1 20. Dempst. morem ipsum venerationis istum notavit noster etiam libro 3 in descriptione Avaricae legationis. alioquin erat et Romanorum. Lucanus 7 371: *credite grandaevum vetitumque aetate senatum arma sequi, sacros pedibus prosternere canos.* quod de *aula* ait, repetitum 3 362. Barth.

8. monemus *exorat* non id quod vulgo solet sonare, sed quod valet alias *vehementer orat.* Gildas Invectiva: *quis eorum pro peccatis populi exorans imo de pectore clamavit ut Moses?* apud Suetonium et Apuleium notat appendice ad huius Apologiam Scipio Gentilis vir eruditissimus. Barth.

10. *quae totiens victos*] ita reposuimus, cum legeretur *qui totiens victor;* ita ut *quae* ad gentem Avarum victorias Romanas numerantem referatur. ceterum in nostro exemplari, quod, ut alibi ad opus Dracontii poëtae de Fabrica mundi et ad carmina simul D. Eugenii episcopi Toletani diffuse praefati sumus, non ex coniecturis sed fide plane certissima constat ante septingentos et eo amplius annos fuisse descriptum, semper *totiens* et *quotiens* adverbia cum *n* littera, et non *toties* nec *quoties* leguntur. quae rursus carmina ad finem usque huius numeri subsequuntur, mihi perturbatissime legi videntur. Ruiz. Assagrii scripturam omnino incogitanter alii receperunt. quod ms liber habuit, omnino τοῦ ποιητοῦ est; nisi quod *numeres* legendum. est enim allocutio Iustini, ut constat ex τῷ *tuorum,* quod sequitur. est vero elegantissima insinuatio crebritatis victoriae, qua domitis Francis comparat Herculi Iustinum quasi centicipitem aliquam belluam Francos dicat. Claudianus ad Herculem: *tergeminique ducis numerosos deiicis artus, et toties uno victor ab hoste redis;* quem haud dubie aspexit Corippus. est igitur haec vera scriptura, de

qua paullo magis sollicitos esse decebat commentariorum scriptores. Barth. Assagrii coniectura hic pro auctoris verbis legitur. ego vero, quod ille vult, minime porro de Avarum gente, sed de Romanorum victoriis sermonem esse arbitror, qui Getas Francos Gepidas Langobardos mutuis caedibus suisque virtutibus attrivisse dicuntur. tu veterem lectionem Corippo restitue, addita nota interrogandi, ita tamen ut ex rei veritate *victos*, non *victor* legendum arbitreris. Barth.

10. regnante Theodosio Hispano res magnae cum Francis gestae a comite Stilichone. exciti illi e Maeotidis confinio, at primum ad Maenum in Germania consederunt, postea traiecto Rheno Gallias occuparunt; quibus ducibus, quo successu, quid a Romanis iis concessum principibus, quoties dimicatum, historici, et ex iis abunde, ut spero, dicam ad illud Claudiani in Eutropium 1: *ante pedes humili Franco.* et de laud. Stilichonis 1: *Gallica Francorum montes armenta peterrant.* meminit infra 1 254 et 3 385. Dempst.

11. *edomitus* non prorsus subiectum victoria denotat. sic de iisdem 3 384. ita, more Virgilii et aliorum summatum, se ipsum hic quoque poëta aemulatur. Barth.

12. *Longobardorum*] amica haec gens Romanis dum in Pannonia degeret, Iustiniano principe. anno vero dominicae incarnationis 568 cal. April. egressa Pannoniis coepit praedari in Italia. Paul. Diacon. lib. 16. scio alios aliter supputare. Dempst.

ib. hoc loco tantum *Gepides* ita in nostro ms codice legitur, cum alias *Gypides* semper legatur. ceterum mutua strages inter Longobardos et Gepidas non ea quae iam sub imperatore Iustiniano prius facta est, cuiusque meminit Procopius Caesariensis de bello Goth. 3, intelligenda videtur, sed quae postea anno sexto imperii Iustini contigit; ubi Gepides cum Cuniemundo ipsorum rege a Longobardis funditus sunt deleti regiique thesauri ad Iustinum Cpolim perducti, ut auctor est Victor Tunnensis. Ruiz. occidentalis Scythiae incolae, ex Gethorum prosapia trahentes originem, convicio gravi sic cognominati: nam *Gepanta* tardum pigrumque denotat idiomate Gothico. Iornand. de reb. Get. sed audiendus Diaconus lib. 14: *Gothi Hypogothi Gepides et Vandali, nomen tantum et nihil aliud mutantes, sub Arcadio et Honorio Danubium transeuntes locati sunt in terra Romanorum; et Gepides, ex quibus divisi sunt postmodum Longobardi et Avares, villas quae sunt circa Singidonem habitavere.* atque haec quidem sub Theodosio Iuniore Arcadii filio gesta sunt: Sigebertus in Chron. Sidonius Apollin. carm. 7: *pugnacem Rugum comitante Gelono Gepida trux sequitur.* bellum hic signatum ex eodem Diacono petendum lib. 16: nam Alboinus Longobardorum rex Turisendum Gepidarum regem proelio superavit, strenua Alboini filii sui adiutus opera. legebatur autem in antiquo

codice *Gypidumque*, male, ut puto, contra etymologiam quam dixi, et receptum usum scriptorum, idemque mendum tollendum infra ex 1 254. DEMPST. Gepidas et Langobardos mutua feritate cecidisse factum est cum Langobardi Gepidis impares Romanos auxilio sumpserunt, quam historiam habes apud Procopium de bello Goth. 3. BARTH. egregie fallitur Ruizius adserens hunc locum haud respicere mutuam inter Langobardos et Gepidas stragem sub Iustiniano M. factam, sed quae anno sexto imperii Iustini contigit. Corippus de Iustiniano manifesto hic loquitur, nec dubitare licet quod haec scripserit multo ante annum sextum imperii Iustini. vide Praefationem. FOGG.

15. *domini*] nempe Iustiniani M., qui factus senex barbaras gentes imperii Romani inimicas ut destrueret, inter se potius committere studuit quam suis copiis oppugnare. consule Menandrum in Excerptis et Agathiam 5. hinc autem Corippus subdit *milite tuto*. Agathias notat imperii Romani copias, quae olim 645 militum milibus constabant, redactas fuisse tunc temporis vix ad 150 milia. FOGG.

ib. *fortuna*. ita creditum olim. Nabarzanes apud Curtium 5: *novis initiis et ominibus opus est; auspicia et imperium alii trade*. Ammian. 16: *quicquid per omnem terrae ambitum agebatur, felicibus auspiciis eius assignantes*. auspicium ergo aliis, huic fortuna est. Flor. 4 6: *stabat pro partibus invicta fortuna et ultoris et qui vindicabatur*. Mamertin. Paneg. Maximiani: *vestrae fortunae, vestrae felicitatis est, imperator, quod iam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria*. dux licet absens bellum conficit. Sueton. Aug. c. 21, Horat. 4 14. Ovid. de Arte 1: *auspiciis animisque patris puer arma movebis, et vinces animis auspiciisque patris*. Claudianus saepe. de bello Gildon.: *illius auspiciis immensa per aequora miles, non plaustris Arctove regor*. de 3 Hon. consul.: *pugnastis uterque tu fatis genitorque manu*. de 4 Hon. consul.: *civile secundis conficis auspiciis bellum*. Sidon. Apollin. carm. 5: *certatum est iure magistri, Augusti fato*. DEMPST. perpetua Claudiani imitatio in hoc poëta est. ut mox adscribit *fortunae Iustini* rem prospere ab eo gestam, Claudianus 3 cons. Honor.: *pugnastis uterque tu fatis genitorque manu. te propter et Alpes invadi faciles*. ubi vide a nobis notata. BARTH.

16. *tum* pro *cum* scribendum puto. BARTH. restitui *tunc*, quod eleganter adversatur τῷ *nunc* sequentis versus. FOGG.

18. *victique famulantur* ita expleri potest lacuna: *victique sacra famulantur* Corippo ipso auctore, qui 1 27 *secreta sacrae aulae* et 48 *dominum sacrae aulae* dixit. ut et 134 et 4 10, et alibi. ut videri possit hoc epitheti affectasse. et recte: nam et *sacrum imperium* et *sacra maiestas* apud IC saepe, et *sacras opes* pro imperatorio fisco lego apud Claudianum de con-

salatu Theodori. vel certe legi potest *alta*, idque ipso auctore nostro duce, qui 2 71: *altam remeavit in aulam*. scio magnum purpuratorum principum lumen Caesarem Baronium t. 7 supplevisse *una*, quod ferri potest. Dempst. supplendum *una;* nam diversorum coniunctiones elegantem *unitatis* appellationem faciunt. in ea coniectura nobiscum concurrerunt Caesar Baronius et Elias Putschius. Barth. possis etiam pro *una* legere *tua*. Ritt. cum vox desideraretur, τὸ *sacra* de suo addidit Dempsterus. sed et victores hic cum victis parum decore composuisse merito Corippus videri posset. malim idcirco: *victores victi vestra famulantur in aula*. sic 1 141: *foedera seu pacis cum victis victor iniret*. satis alioqui tute, quod inseruerat Dempsterus, *sacra* retineri potest: nam et sic passim loquitur noster. Vonck. supplevi *tua:* haec enim vox prae ceteris, quas alii supposuerunt, accommodatior videtur. Fogg.

18. *famulantur*. ritus nulli, quod sciam, observatus hic latet: nam fercula triumphalia in solenni epulo per captivos inferebantur. Sidon. Apollin. carm. 22: *succedit captiva cohors, quae fercula gazis fert onerata suis*. nam quod in ferculo triumphali essent subactorum hostium expressae effigies, notissimum est ex Seneca de vita beata c. 25: *in alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam*. Sueton. Caes. c. 37. alter Sen. Herc. Oetaeo act. 1 choro: *non pompae veniet nobile ferculum*. Dempst. cf. Ioh. 2 385.

19. sonus carminis elegans. in illo *solum excellentem* Maroni debetur. *cygnum excellentem etc.* Barth.

21. Vigilantia, mater Iustini minoris, soror quidem fuit Iustiniani imperatoris, non autem filia, quemadmodum falso id annotatum est saepius quam uno loco ab Onuphrio Panvinio, viro alioqui diligentissimo. quod etsi liquido constat ex Corippo, qui ipsum Iustinianum avunculum aliquoties Iustini nominat, verum ut et hoc et nomen patris Iustini, quod ab eodem Panvinio memoriae proditum non est, manifesto omnibus innotescat, libuit hic apponere ea quae de Iustino apud Victorem Tunnensem iam nobis superius adductum nec adhuc in lucem editum in ipsius Chronico scripta reperiuntur; quae haec sunt: *Iustinus iunior, Vigilantiae sororis Iustiniani Augusti filius, patre Dulcissimo natus, cum tranquillitate populi maxima imperii sumit sceptra. huius coniux Sophia Theodorae Augustae nepos adseritur*. Ruiz. imperatricis nomen. alludit simul virtutem ignaviae contrariam: ea enim et illo saeculo vigilantia censebatur. Gennadius de Dogmatis c. 21: *libertati arbitrii sui commissus est homo statim in prima mundi condicione, ut salva, vigilantia mentis adnitente, etiam in praecepti custodia perseveraret*. sic nomine Sophiae Augustae censetur sapientia simul: nam ea imperatrix cum domino suo simul imperare viriliter censebatur. unde et

tam apud illam quam dominum accusatum Narsetem legimus. Adrevaldus de miraculis Benedicti c. 5: *idem Narses patricius cum a Romanis apud Iustinum Augustum eiusque coniugem Sophiam insimularetur oppressionis provincialium.* et certe mira consonantia nominum in familia imperatoria tum fuit, nec abludentibus virtutibus. Iustinum quidem a iustitia, Sophiam a sapientia laudat etiam Venantius Fortunatus eiusdem aevi scriptor Elegia *de cruce* ad Radegundam reginam missa. insigniter vero Glycas Annal. 4. Barth. eleganter *Vigilantiam* ambigua voce, et virtutem imperatore dignam et matrem Iustini simul infert. eadem consilii mater est et principis. Vigilantiam consiliario necessariam insinuat summus poëta: *οὐ δεῖ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.* eandem ut virtutem et matrem suam simul in oculis merito Iustinus gestat. *in oculis gerere* proverbium alibi multis illustravimus. Barth. aliquoties Corippus delicias facit in nominibus Vigilantiae et Sapientiae tanquam bene ominatis et auspicatis. vide infra 4 182. harum illa fuit mater Iustini, Iustiniani soror, ista uxor eademque Theodorae filia. eleganter autem hic *Vigilantiam* matrem consilii vocat, et infra huius libri v. 55 *rerum custodem.* quibus ex locis inter se collatis hunc sententiosum conficiemus versiculum: *mater consilii, custos Vigilantia rerum.* notum est illud Historici: *vigilando agendo res Romana crevit.* easdem velut divas ad carmen subministrandum invocat non minus quam deiparam virginem initio libri 1. sic et in Iustini nomine, quod a Iustitia seu Iusto derivat, felix omen inesse vult. Ritt.

25. *retines* repositum est a nobis pro *retinens.* Ruiz. recte Assagrius. *retinere* pro *tenere* infra ad librum 2 notabimus. Barth.

26. forte an Corippus scripserat *numinibus.* intelligit autem Vigilantiam Sophiam et Iustitiam, quibus omnia gubernari verissime dicit. nota res est ut soleant poëtae ex virtutibus facere numina et deas. Ritt. *numinibus* multo magis poëtice, et multo aptius ad illud quod sequitur: *quodcunque movetur.* Fogg.

ib. *movetur* valet *vivit.* Lucanus 9 500: *Iuppiter est quodcunque vides, quodcunque moveris.* Barth.

27. apposite *certatim:* quamvis enim Iustinus audierit legatos Abarum septima imperii sui die, 3 151, praevenerant tamen eos Túrcae; ob quam causam Iustinum eorum postulata reiecisse narrat Theophanes Byzantius apud Photium cod. 64. vide 3 360. Fogg.

28. scribendum puto *Romanum numen.* tanta, ait, veneratio est iustar numinis alicuius habentis imperatoris nostri, ut ametur pro iusto et legitimo principe ubique. victas gentes amare Iustinum ait. Barth.

29. *subque pio domino*] finis enim iusti imperii est subiectorum salus. propria definitio principatus est *tutela generis hu-*

mani, ut egregie scribit Cuiac. ad c. 4: *cum dilecta*, *extr. de confirm. util. vel inutil.* saepe quoque hanc sententiam repetit Ammianus Marcellinus, *nihil aliud esse imperium nisi curam salutis alienae: finem iusti imperii utilitatem et commodum et salutem obedientium aestimari, ut sapientes docent ac definiunt.* vide lib. 25 29 et 30. eadem est sententia Ciceronis, quam saepe inculcat, maxime vero ad Attic. 8 ep. 11 et de Republ. 5. vide etiam ep. 1 ad Quinctum fratrem. *quin ego, si fas piumque mortalibus existimare caelestia, nullam maiorem crediderim esse principum felicitatem quam fecisse felices et intercessisse inopiae et vicisse fortunam et dedisse homini novum fatum*, ut inquit Lat. Pacat. Drepan. Panegyrico ad Theodosium. Ritt. est illud Claudiani, qui talium poëtarum perpetuus pater est: *fallitur egregio quisquis sub principe credit servitium: nusquam libertas gratior exstat quam sub rege pio.* ab eodem est quod mox de Persis dicturus, quod et Sidonius prius usurpavit. bene vero sequentia ab Assagrio emendata sunt. Barth.

30. *ille etiam*] Persarum regem imperatoremve, acerrimum perpetuo Cpolitanis imperatoribus inimicum, intelligere puto, quod ea gens solem adoraret ipsique sacrificaret, ut docet Procopius de bello Pers. 1 et 2. Ruiz. insolentes Persarum reges, humani fastigii modum excedentes, in litteris ad exteros suis epistolisque formalibus, ut loquitur Suetonius, *participes se siderum, fratres solis ac lunae* profitebantur. sic Sapor Constantio scribit Ammian. 17. Sidon. Apollin. 8 ep. 9: *qui cognata licet sibi astra fingens Phoebaea tumeat propinquitate.* et carm. 23: *qui supra satrapas sedet tyrannus, ructans semideum propinquitates.* docte eruditissimus Savaro. addendus elegans locus Lucani 8, ubi Medi pro Persis sumendi (nota enim est ab his ad illos imperii devolutio): *o utinam non tanta mihi fiducia saevis esset in Arsacidis! fatis nimis aemula nostris fata movent Medos, multumque in gente deorum est.* Dempst. Persam περιφράζει. *Mithra* enim Persae *solem* vocitantes pro deo colebant. vide Gyrald. histor. deor. syntagm. 7 p. 223. Ritt. Persas intellige, et praecipue legationem ab eis Iustino missam per legatum dignitate Zischum, cui, dum iter ageret, defuncto suffecerunt quemdam Mebodem. de hac legatione pluribus Menander in Excerptis. Fogg.

31. *suspiciens*] ita restitui, cum antea esset *suscipiens*. idem mendum aliquoties infra, ut admonebo. correxi ex Ovidio Trist. 1 3 de luna: *hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens.* Virgilio Aen. 9: *suspiciens altam lunam.* certe in votis concipiendis mos solemnis ad caelos erigere vultus, ac si deos adhibere testes factorum vellent. dixi, ut spero, fuse de hoc ritu ad illud Claudian. in Ruff. 2: *tandem indignatus ad astra extollit palmas.* Dempst.

31. *minuentis*] infra 2 19. Sedul. de idolorum cultoribus 1: *quam crescere cernunt et minui.* Dempst. *minuentis*] id est, quae minuitur, decrescit, deficit. sic infra 4 91 *anni in se volventis vestigia* dixit. sic *augentia* dicunt poëtae pro *iis quae augentur.* exempla consimilia apud Lucretium. porro venerationem lunae a Persis et Turcae mutuati sunt, quam etiam in suis praeferunt insignibus. Ritt.

33. legebatur in exemplari ms *urguetur terre:* sed pro *terre terrore* omnino reponendum est. atque hoc loco, ut alias semper, *urgeo* verbum cum *u* littera liquida invenitur *urgueo,* quod animadvertendum lectori visum est. Ruiz. placet constans orthographia veterum verbi *urgeo* cum littera *u, urgueo,* quam etiam Ruizius in suo ms hic legisse testatur. Ritt. *terrore tuo*] eleganter: *ex te orto.* alius dixisset *tui.* sic 2 417: *tua gaudia,* hoc est, quorum causa tu es. sic Optatus Afer 4: *nullus vestrum est qui non convicia nostra suis tractatibus misceat.* hoc est a vobis impacta nobis. Ausonius Periocha Iliad. 1: *Thetis ad caelum lacrimas et contumeliam filii miserata proficiscitur.* Claudianus Epithalam. Palladii: *mala legit donum Veneris,* cum Venus dono acceperit a Paride. ita *benignitatem suam,* in se collatam, dixit Symmachus 10 ep. 30. sic *iniuriam Agamemnonis* pro ab eo Achilli illatam habes apud Ausonium praef. Periocharum Iliadis. Barth.

35. *Syrtica proelia* hoc loco intelligere Corippum arbitror ea quae apud Syrtes, loca Africae arenosa omnino et siticulosa, commissa sunt: nam praeter ea bella quae per Iustiniani duces in ea provincia gesta fuerant, aliquoties etiam a Iustini ducibus pugnatum est, nec satis feliciter, in eadem, ubi Theodorus praefectus, Amabilis et Theoctistus magistri militum interfecti a Mauris fuere; quemadmodum ex Victore Tunnensi facile constat. Ruiz. bellum in Africa contra Vandalos susceptum a Iustiniano et ductu Belisarii confectum innuit; notum quippe, domita Africa et Gelimere Carthagine superato, Belisarium Byzantium revocatum, rebus Africanis Salamoni praetori commissis. Zonar. t. 3, Paul. Diacon. 16, Procop. de bello Vand. 2. summa autem victoriae fuit in monte Papua difficillimo accessu, quem Pharas obsedit iussu Belisarii. consule sanctionem ipsius Iustiniani 1 Cic. de Offic. praefect. praet. Afric. et novell. 35, et Coripp. 2 125. Dempst. manifesto docet ad sequentes libros hoc carmen praefationis loco pertinere. Barth. innuit auctor se plures libros scripsisse de bello Africano Iustiniani et post deinde Iustini auspiciis gesto. Ritt. inepte hos versus interpretatur Barthius; quos ut recte intelligas, scias oportet Corippum aliud etiam poëmation edidisse inscriptum *de bellis Libycis* sub Iustiniano M. gestis. Rittershusius addit, *et post sub Iustini auspiciis,* sed falso. vide Praefationem. Fogg.

36. *iam*] ante annos, puta, plus minus triginta. vide Praefationem. Fogg.

37. *senio dextram*] sic infra v. 48: *fessae miserere senectae.* utrobique significat Corippus se ista iam senem scripsisse, et quidem calamitosum, exutum fortunis suis et vulnera passum. levationem igitur et medicinam implorat tum imperatoris tum Anastasii quaestoris, sive, ut nos hodie loquimur, cancellarii imperialis. Ritt.

42. Ciceronis est sententia in Orat. pro M. Marcello. Ritt.

44. *veni*] scribendum opinor *ad medicum venio:* iam enim deprecatur imperatoriam pietatem. Barth.

45. *verbo pestem qui summovet uno*] talis revera caelestis ille archiater Christus. Ritt. *pestem* pestilentiam dicit; quam vocem eo significatu male damnat Gifanius versu ultimo. Barth.

48. *pro munere carmina posco.* immo *pro carmine munera.* erratum librarii, ut videtur. Ritt. Ios. Scaligerum, summum sine controversia in his litteris virum, *porgo* scribendum putasse nobis Elias Putschius olim significavit adhuc ephebis. bene sane: munera enim velut deo se offerre autumat, carmina vero, quia paupertate pressus aliud nihil habeat. ea sententia huic loco aptissima sit. sed τὸ *semper* in vulgata lectione, et praesentia precum facit, ut mendum aliud latere putem, et polliceri potius Corippum pro medicina carminum munus quam exsolvere, cum inepte poscat beneficium qui simul illud se semper compensare alio iactet. scribe: *grates semper agam, et pro munere carmina pascam.* si voti mei compos ero haeque preces non irritae cadent, semper imperatorias laudes canam, et votiva carmina instar alicuius victimae gratitudini destinatae pascam. elegantissima translatio ab iis qui aegroti vovebant diis donaria, medicinam malorum adeptis exsolvenda, non percepta a librariis non absurde videtur has turbas fecisse. si cui tamen scitius quam verius haec videntur concepta, per nos non stabit quominus suo sensu quilibet utatur. Putschio visum est melius legi posse: *pro carmine munera posco.* quod tamen durius et personae pauperrimi hominis minus aptum videtur, cui blandiri, non poscere velut debitum, fortuna dictat. de votis et votivis vide Thesaurum Formularum eruditissimi Brissonii, ne nos ea quis poscat. Barth. lege *agam,* quod exigit sententiae concinnitas. porro restitui *porto,* et quidem indubius. sic Virg. Aen. 11 333 oratores Latinorum ad Aeneam missos dicit *munera portantes aurique eborisque talenta.* Fogg.

Dedicat. Titulus in veteri codice hoc modo concipiebatur: *Item panegyricum in laudem Anastasii Quaestoris et Magistri,* male omnino: *panegyricus* dici debuit. scio Isidorum Etymol. 6 8 *panegyricum* in neutro dixisse pro *lascivioso et licentioso genere dicendi in laudibus regum;* atque ita concipitur in codice ms

Claudiani *panegyricum de consulatu Theodori;* quem communicavit mihi pridem de litteris optime meritus D. Iacobus Bongarsius ad Germaniae principes lagatus. vicit tamen usus apud melioris notae auctores ut *panegyricus* diceretur. Claudianus, Sidonius Apollinaris, Plinius, Ennodius Ticinensis, Mamertinus. Auson. carm. 1: *sive panegyricus placeat contendere libros.* Tullius ante hos de clar. orator.: *tales suasiones qualem Isocrates fecit panegyricum.* translatio a conventu pompaque publica. Heliodor. 7: *ἵππον τε Ἀρμένιον τὸν εἰς πομπὰς καὶ πανηγύρεις τῷ σατράπῃ φατνιζόμενον.* de epigraphe ergo nullum dubium. Dempst.

Id carmen, ut volunt, panegyricum, re vera est dedicatio sequentium librorum *de laudibus Iustini.* *panegyricum* neutro genere inscribi in membranis non est absurdum, quod vir eruditus Dempsterus videri voluit: *adiective* enim capiendum, et intelligendum *carmen* vel tale quid. sic sub nomine falso Lucani inscribitur Panegyricum ad Pisonem. sane adiective cepisse priscos testis locuples Ausonius Parental.: *sive panegyricos placeat contendere libros.* Barth.

Sed quis hic *Anastasius?* forte ille qui magno apud Iustinianum neo minori apud Iustinum honore, ab eodem tamen septimo sui imperii anno in exsilium actus extorris viginti quattuor annis egit. causae relegationis, *quod sacrae rei thesauros profuderit inutiliter, et petenti Iustino pecuniam dare noluerit, cum designatus esset episcopus.* Evagr. 5 6. nihil statuo. Dempst.

Oculos iniice in notam a Ruizio ex ms descriptam et ad marginem appositam, *elocutio * trepicis.* parcant mihi eius manes: satis hinc patet quanti valeret in legendis corrigendisque codicibus mss. magno sane ingenii acumine haud opus erat ut legeret *tropicis,* suppleret *versibus.* itaque vetus scholiastes adnotaverat hoc carmen ex versibus *tropicis,* hoc est *figurativis,* constare, et quidem apposite, quia in eo imperator Iustinus et Anastasius quaestor commendantur sub imaginibus ille fontis, hic arboris. neque insolens est vox *tropicis* ἀπὸ τοῦ τρόπου. audi Gellium 13 23: *est tamen nonnusquam invenire ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temere aut incuriose praedam pro manubiis et manubias pro praeda posuerint, aut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint.* S. Athanasius in ep. ad Serapionem *tropicos* appellat qui blaspheme spiritum sanctum inter res creatas numerabant, quia nimirum *varios tropos in pravis suis interpretationibus se excogitare dicerent,* ut loquitur veteris scholiastae nota apud nuperos operum S. Athanasii editores t. 1 par. 2 p. 659. hinc Pneumatomachis *Tropicorum* nomen tribuitur etiam in *sermone contra omnes haereses,* ex S. Athanasii scriptis magna ex parte composito ab anonymo sequioris aevi scriptore. Fogg.

v. 1. *silvam.* imitatus est Caelium Sedulium civem meum, qui in sua invocatione: *silvamque patentem ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.* Dempst. *silva* inordinatam et minus distinctam quandam copiam denotat. locus Corippi ex Theocriti Idyllio in laudes Ptolemaei traductus videtur: is enim sese lignatori comparat in silvam densam eunti, cui satis ubique materiae. Barth.

4. scribendum arbitror *parvis maiora:* generaliter enim iam loquitur, mox speciatim de se ipso. Barth. Ruizii lectionem immutandam non esse censeo. Hor. 4 2: *operosa parvus carmina fingo.* porro ne adsentior quidem Barthio dicenti hoc carmen esse *dedicationem* sequentium librorum de laudibus Iustini. si commendationem dicas, non abnuo. Fogg.

5. *mensuram*] modum notat. sic aliquoties in libellis ipsis locutus est Horatius: *metiri se quemque suo modulo ac pede verum est;* quod alludit. Barth. abundantes et effluentes laudes satis indecore *transfusas* dixit, mensuram statuens velut rebus fluxis. et in talibus caret hoc genus iudicio, ubi acumina translationum etiam a futilibus rebus affectat. Barth. similiter apud Plinium 12 17 39 *cupresso fusae,* hoc est expassae. Fogg.

6. usus est participii ex sacris litteris petitus vel de graecismo. sed phrasis sacra in hoc auctore singulis paginis apparet. Barth.

7. *stat fertilis arbor*] iconem istam expressisse videtur poëta ex prophetia Danielis c. 4. prolapsam huiusmodi arborem describit infra 1 228, in mentione mortis Iustiniani. Ritt. ex illo Maronis est: ... *nemorumque Iovi, quae maxima frondet aesculus.* Barth.

8. *sacrorum.* veterum superstitionem insignem in arbores lucosque nemo est qui ignoret. Tacit. Annal. 14: *excisi luci saevis superstitionibus sacri.* magnum consule Lipsium, quem non exscribo. Apul. Apolog. 1: *nullum in villa eius delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.* receptum hunc a Gallis ritum loquuntur Druides, a Germanis auctor Tacitus de moribus eorum, ab Indis Q. Curtius lib. 8: *deos putant quicquid colere coeperunt, arbores maxime, quas violare nefas.* de Romanis quis quaeret exempla? multa mihi dicta ad illud Claudiani de laud. Stilich. 1: *lucosque vetusta religione truces, et robora numinis instar.* addo hic tantum, in fontibus altitudinem, in lucis opacitatem terrorem in animis agrestium produxisse, ex quo primum quidem consternatio, mox reverentia et cultus ortus. praeter Senecam Servium ac Statium Prudentius in Symmach. 1: *quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum suaserit.* Valer. Flacc. Argonaut. 3: *utque metum numenque loco sacramque quietem addidit.* Sil. Ital. 2, corrigendus levi manu:

prisco inde favore (leg. *pavore*) *arbor numen habet.* Claudian. de raptu 3: *inde timor numenque loco.* Dempst.

10. *sine tempore*] est *citra ordinem* temporum, extra autumnitatem. Barth.

12. *sidera caeli* etiam sacrarum litterarum est phrasis. Barth.

14. comparatio isthaec universa ex sacris litteris est, ubi omnipotens florenti vineae aut horto uberi et riguo saepe suum populum comparat. Barth.

15. *si fas*] Virgiliana ἐπιθεραπεία, Ecl. 1 24: *sic parvis componere magna solebam.* Ritt.

18. homines arboribus comparari solemne. praeter Aristotelem et poëtas passim infra 1 229. Quinctil. 10 1: *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem.* Lucan. 1 Pompeium quercui comparat, *quae licet tot circum silvae firmo se robore tollunt, sola tamen colitur.* Dempst.

20. *cummunis benefactor*] sic infra 1 213: *maximus orbis communis benefactor,* et 2 145. elegantissima periphrasis principis, qua is sui officii admonetur. huc pertinet illud salvatoris nostri, apud Lucam 22 25: *οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν* (*τῶν ἐθνῶν*) *εὐεργέται καλοῦνται.* Ritt.

ib. herus pro imperatore, exemplo Ausonii de Probo: *exceptis tribus, herus heroum maximus.* ita legendum apud Ausonium: heroëm enim simul et herum, tribus exceptis, maximum dicit. quod vulgo est receptum et doctis probatum, sane abnorme est, utcunque excusetur, nec Ausonii. Barth. *fons omnia ditans.* ex Psalmis est transumptum. Barth.

22. *umbra.* delicatum receptaculum. metaphora a viatoribus ducta. Tacit. Annal. 14: *ego quid aliud adhibere potui quam studia, ut sic dixerim* (Seneca), *in umbra educata.* Ammian. l. 16: *adolescens, primaevus ut Erechtheus in secessu Minervae, ex Academiae quietis umbraculis, non e militari tabernaculo in pulverem Martium tractus.* Petron. Arbiter in Satyrico: *nondum umbraticus doctor ingenia deleverat;* adi interpretes. Iuven. 7: *sed genus ignavum, quod tecto gaudet et umbra.* et eodem loci post: *ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra.* cultissime Papinius Silv. 5 2: *tu quanquam non ante forum legesque severas passus, sed tacita studiorum occultus in umbra.* Dempst.

23. pro *pabula* aliquis sciolus in ms codice ex littera satis quidem antiqua *pocula* reposuerat supra: at nobis ita ut fuit carmen hoc magis retinere placuit, quod ex proxime consequenti facile confirmari potest. neque tamen carmina haec aliqua difficultate carent, nata hoc loco et aliis plerisque huius poëtae, ex quadam orationis perturbatae abruptaeque simul brevitate, ut

quae in Africanis scriptoribus passim conspicitur. Ruiz. recte Elias Putschius, quem sua laude minime defraudabimus, suspicatus est haec esse corrupta. nam cum iam dixerit fontem esse imperatorem Iustinum, Anastasium arborem, hic duarum personarum descriptiones in una perperam confunduntur. scribendum putavit Putschius: *tu pabula praebe*, quae sententia verissima est. scriptura vero sic concipienda: *tu pabula praebeas*. error manifesto a contractione syllabarum veniens librario imposuit. sed Corippo illud convenire docet similis locus 2 252. recte vero τὸ *pabula* adseruit Ruizius ex vestigiis vetustioris scripturae, cum eadem vox reperiatur in Psalmo 23, quem ad verbum hoc loci Corippus expressit. laudes quaestoris, quae sequuntur, piissimae sunt, et quarum singula verba ex sacris litteris illustrari possint; quod non monuit interpres de lectionis veritate ubique nimium securus. Barth. edidi *praebeas* Barthium secutus. sed neque displicet lectio, *tu pocula praebens*, quam Ruizius in ms cod. suffectam ab antiqua manu invenit. erat Anastasius qui Augustas opes dispensabat, ideoque Augustae beneficentiae aquis pocula infundebat, unde hae traherentur. quodsi malles *pocula* accipere pro eo quod bibitur, haud inepte Corippus dixisset: *tu, qui Augustas aquas potandas praebes, da ut ipse etiam de illis bibam*. Fogg.

24. *amoena*, substantiva vi, sunt loca amoenitate laudabilia. Horat. 1 epist.: *nam quae deserta et inhospita tesqua credis, amoena vocat mecum qui sentit*. Symmach 1 ep. 5. Barth.

25. imitatur Virgilium Georg. 4 46. Fogg.

27. quaestoris sacri palatii officium leges condere auctoritate principis. apud Suidam Tribonianus Macedoniani filius, Iustiniani quaestor, pecuniae avidus ius vendit, et legum dies alios tollit alios scribit, pro cuiusque necessitate accepto pretio. Cassiodor. 1 ep. 13: *puritati nostrae paruit (veridicus quaestor lateri Caesaris adhaerens) et ad pietatem iussionum innocentiam suam praebuit*. 10 ep. 6: *facias generalitatis votum, iuridicorum sequendo iudicium; totum te legibus, totum responsis trade prudentium*. 9 ep. 24: *quaestorem reperit conscientia praeditum et legum eruditione maturum, in dictationibus amoenum, ad iustitiam rigidum, a cupiditatibus alienum*. idem auctor corrigendus 8 ep. 13: *vos leges dicetis, dum nos iura condimus*. reponendum censeo cum docto Furnerio *vox legum diceris*. dixi multa ad Panegyr. de consulat. Manlii Theodori apud Claudianum: *nec dignius unquam maiestas meminit sese Romana locutam*. *leges* autem et *iura* coniungit, ut Cassiodorus proxime citatus. infra 1 17. ante utrumque Iuven. 8 *iuris nodos et legum aenigmata* dixit. Horat. 1 sat. 1. Dempst. praeclaris versibus describit officium cancellarii principis, qui initio libri 1 dicitur

etiam *compositor morum iuris legumque, et custos iustitiae.* vide Brisson. Select. antiquit. Ritt.

29. *munera lemnis*] ut quae etiam sapientum oculos excaecare soleant, teste Sapiente; qua etiam de causa vetat illa accipere. et saluberrime constitutum est litem perdere etiam eum qui iudici quid dederit, ut secundum se, quamvis in bona causa, pronuntiaret: nam hunc quoque crimen contrahere et iudicem corrumpere videri tradit Ulpian. in l. 2 § ult. D. de condict. ob turp. caus. Ritt.

32. *gemino*] magisterii et quaesturae: nam illa duo officia frequenter coniungebantur. Cassiodor. 1 ep. 13. Rutil. Numatian. Itiner. 1: *officiis regerem cum regia iura magister.* est et titulus C. Theodosiano lib. 6 tit. 9. Dempst. utroque munere Tribonianus quoque apud Iustinianum functus erat. Ritt.

34. *Sapientia* maiuscula littera conscribenda: alluditur enim simul ad nomen imperatricis et ipsam sapientiam. Barth.

38. ad verbum ex elegia Ovidii ad Liviam: *in te oculos auresque trahis, tua facta notamus.* Ovidii dico, quod validas rationes arbitrer quibus isti asseruit Ioh. Passeratius, invalidas quae eripiunt, invalidissimas quae Pedoni adscribunt. tamen nobis iucundum hoc nomen, et facile eo utimur. Barth.

42. supra de se ad Iustinum: *fessis Musis.* Barth.

43. ut supra Sapientiae, sic isthic Vigilantiae nomen scribendum, negligente licet scholiaste. Barth.

44. *sacri apices*] notissima appellatio imperatoriarum litterarum est, ut et *sanctio.* nactus vero ab imperatore litteras exsequendas hoc carmine quaestori offert. Barth. *sacri apices,* ut sentio, appellantur hic a Corippo ipsi hi libri a se conscripti, utpote qui de Iustini laudibus agerent eidemque Iustino essent dicati: quicquid enim ad imperatores pertinebat, *sacrum* dicebatur. Fogg.

45. *sanctio*] lex est, et ius ipsum postulat, ut mei curam tanquam servi vestri suscipiatis. Ritt. lege *tibi saucia vestrum,* ut *saucia* ad *caussam* referatur, quod suadent quae sequuntur v. 48. sic in Praefat. v. 43. Vonck. vox *sanctio* hic mihi idem sonat ac *dedicatio.* sic Statius Silv. 3 3 215 scripsit *carmina* alicui *sancire* pro nuncupare, dedicare, consecrare. eodem sensu idem Corippus usurpat *sanxere* 1 316, *sancire* 2 162, *sanxerat* 4 264. Fogg.

46. arbori e fonte bibenti confert Anastasium. memini autem legere Aristomeni datum oraculum, *cum Nedae fluminis aquam hircus potasset, captum iri Iram montem, et ob id prohibitum ne hirci inde biberent.* at caprificus erat iuxta flumen, cuius folia inclinata in fluentum vergebant; Messeniis autem caprificus dicitur τράγος: ea igitur ex aqua bibente mons captus est. Suidas in voce τράγος. corrigendus Statius, eadem ille si-

quidem habet Silv. 1 4, quae hic noster: *nec conscia detur Pyrene, largus potius mihi gurges inhaustus qui rapitur de fonte tuo.* nec est cur laboret vir doctus Bernartius, cum in codice Argentoratensi, qui penes me est, ita legatur, meo iudicio recte. fidem faciunt eiusdem lectionis editiones Venetae et Florentinae: ... *largos potus mihi gurges, in haustus qui rapitur de fonte tuo.* DEMPST.

47. quomodo sub nomine *rivuli* gestat principis officium? vellem explicassent ista interpretes. sed nihili res est: si enim principis officium gestat, principis sub nomine gestat, non quaestoris. at officium principis hic beneficium capi debet, ad quod penitus adipiscendum auctoritate quaestoris opus habebat. itaque iam sub nomine huius se gustare suavitatem regiae opis dicit. nihil certius quam scribendum: *sub cuius nomine gusto.* impetrarat enim iam regias litteras, quas hic offert Anastasio, ut docent praecedentia. eleganter vero ex suo more dixit *gusto*, cum plenus fructus beneficii nondum advenisset. et ita imperatores aliive principes gustasse imperium dicuntur, qui brevi tempore possederunt. BARTH. *rivulum* mihi videtur dicere suos ipsos de laudibus imperatoris Iustini libros. *sub cuius nomine,* hoc est, cuius auctoritate seu consilio, aut si mavis, quo patrono. vide infra 1 15. FOGG. *gesto*] Virgil. Aen. 1 319: *virginis os habitumque gerens.* et 2 89: *et nos aliquando nomenque decusque gessimus.* FOGG.

48. gerens nimirum personam *poëtae* seu panegyristae principis Augusti imperatoris Iustini. in hanc sententiam facile mecum ibis, si conferas 1 7. Claudianus in praefat. Epithalamii Palladii et Celerinae: *carmen amor generi, soceri reverentia poscit, officio vatis, militis obsequio.* FOGG. de officio in palatio isthinc coniectato non accedimus doctissimo Dempstero. bona vero simplicitas in huius poëtae stilo mihi potior est aliorum eius aevi semibarbaris adfectationibus granditatis et eruditarum translationum, quae uno saepe verbo corrumpunt universam velut studiose narrationem. BARTH.

ARGUMENTUM OPERIS HISTORICUM. Iustinus minor, qui et secundus, Dulcissimi filius (3 132), Iustiniani Augusti ex sorore Vigilantia nepos, ab avunculo vivo in aula educatus (4 190) et Palatinis officiis impositus, dictus est inde curopalates. Paul. Diacon. lib. 16 in fine Iustiniani. duxit in uxorem Sophiam Theodorae Augustae neptem, quam consortem imperii coronatam adscivit, ab urbe condita 1318, a partu salutifero 558. placet enim Diaconi supputatio, a qua recedunt viri maximi et Iustini inaugurationem ponunt in anno salutis 566. initio principatus pius edictum proposuit Catholicis sub avunculo vehementer, nascentibus haeresibus, turbatis; liberalis et in sacros ordines profusus. postea non caruit suspicione haereseos Pelagianae asser-

tam apud illam quam dominum accusatum Narsetem legimus. Adrevaldus de miraculis Benedicti c. 5: *idèm Narses patricius cum a Romanis apud Iustinum Augustum eiusque coniugem Sophiam insimularetur oppressionis provincialium.* et certe mira consonantia nominum in familia imperatoria tum fuit, nec alludentibus virtutibus. Iustinum quidem a iustitia, Sophiam a sapientia laudat etiam Venantius Fortunatus eiusdem aevi scriptor Elegia *de cruce* ad Radegundam reginam missa. insigniter vero Glycas Annal. 4. Barth. eleganter *Vigilantiam* ambigua voce, et virtutem imperatore dignam et matrem Iustini simul infert. eadem consilii mater est et principis. Vigilantiam consiliario necessariam insinuat summus poëta: *οὐ δεῖ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.* eandem ut virtutem et matrem suam simul in oculis merito Iustinus gestat. *in oculis gerere* proverbium alibi multis illustravimus. Barth. aliquoties Corippus delicias facit in nominibus Vigilantiae et Sapientiae tanquam bene ominatis et auspicatis. vide infra 4 182. harum illa fuit mater Iustini, Iustiniani soror, ista uxor eademque Theodorae filia. eleganter autem hic *Vigilantiam* matrem consilii vocat, et infra huius libri v. 55 *rerum custodem.* quibus ex locis inter se collatis hunc sententiosum conficiemus versiculum: *mater consilii, custos Vigilantia rerum.* notum est illud Historici: *vigilando agendo res Romana crevit.* easdem velut divas ad carmen subministrandum invocat non minus quam deiparam virginem initio libri 1. sic et in Iustini nomine, quod a Iustitia seu Iusto derivat, felix omen inesse vult. Ritt.

25. *retines* repositum est a nobis pro *retinens.* Ruiz. recte Assagrius. *retinere* pro *tenere* infra ad librum 2 notabimus. Barth.

26. forte an Corippus scripserat *numinibus.* intelligit autem Vigilantiam Sophiam et Iustitiam, quibus omnia gubernari verissime dicit. nota res est ut soleant poëtae ex virtutibus facere numina et deas. Ritt. *numinibus* multo magis poëtice, et multo aptius ad illud quod sequitur: *quodcunque movetur.* Fogg.

ib. *movetur* valet *vivit.* Lucanus 9 500: *Iuppiter est quodcunque vides, quodcunque moveris.* Barth.

27. apposite *certatim:* quamvis enim Iustinus audierit legatos Abarum septima imperii sui die, 3 151, praevenerant tamen eos Turcae; ob quam causam Iustinum eorum postulata reiecisse narrat Theophanes Byzantius apud Photium cod. 64. vide 3 360. Fogg.

28. scribendum puto *Romanum numen.* tanta, ait, veneratio est instar numinis alicuius habentis imperatoris nostri, ut ametur pro iusto et legitimo principe ubique. victas gentes amare Iustinum ait. Barth.

29. *subque pio domino*] finis enim iusti imperii est subiectorum salus. propria definitio principatus est *tutela generis hu-*

mani, ut egregie scribit Cuiac. ad c. 4: *cum dilecta, extr. de confirm. util. vel inutil.* saepe quoque hanc sententiam repetit Ammianus Marcellinus, *nihil aliud esse imperium nisi curam salutis alienae: finem iusti imperii utilitatem et commodum et salutem obedientium aestimari, ut sapientes docent ac definiunt.* vide lib. 25 29 et 30. eadem est sententia Ciceronis, quam saepe inculcat, maxime vero ad Attic. 8 ep. 11 et de Republ. 5. vide etiam ep. 1 ad Quinctum fratrem. *quin ego, si fas piumque mortalibus existimare caelestia, nullam maiorem crediderim esse principum felicitatem quam fecisse felices et intercessisse inopiae et vicisse fortunam et dedisse homini novum fatum,* ut inquit Lat. Pacat. Drepan. Panegyrico ad Theodosium. Ritt. est illud Claudiani, qui talium poëtarum perpetuus pater est: *fallitur egregio quisquis sub principe credit servitium: nusquam libertas gratior exstat quam sub rege pio.* ab eodem est quod mox de Persis dicturus, quod et Sidonius prius usurpavit. bene vero sequentia ab Assagrio emendata sunt. Barth.

80. *ille etiam*] Persarum regem imperatoremve, acerrimum perpetuo Cpolitanis imperatoribus inimicum, intelligere puto, quod ea gens solem adoraret ipsique sacrificaret, ut docet Procopius de bello Pers. 1 et 2. Ruiz. insolentes Persarum reges, humani fastigii modum excedentes, in litteris ad exteros suis epistolisque formalibus, ut loquitur Suetonius, *participes se siderum, fratres solis ac lunae* profitebantur. sic Sapor Constantio scribit Ammian. 17. Sidon. Apollin. 8 ep. 9: *qui cognata licet sibi astra fingens Phoebaea tumeat propinquitate.* et carm. 28: *qui supra satrapas sedet tyrannus, ructans semideum propinquitates.* docte eruditissimus Savaro. addendus elegans locus Lucani 8, ubi Medi pro Persis sumendi (nota enim est ab his ad illos imperii devolutio): *o utinam non tanta mihi fiducia saevis esset in Arsacidis! fatis nimis aemula nostris fata movent Medos, multumque in gente deorum est.* Dempst. Persam περιφράζει. *Mithra* enim Persae *solem* vocitantes pro deo colebant. vide Gyrald. histor. deor. syntagm. 7 p. 223. Ritt. Persas intellige, et praecipue legationem ab eis Iustino missam per legatum dignitate Zischum, cui, dum iter ageret, defuncto suffecerunt quemdam Mebodem. de hac legatione pluribus Menander in Excerptis. Fogg.

81. *suspiciens*] ita restitui, cum antea esset *suscipiens.* idem mendum aliquoties infra, ut admonebo. correxi ex Ovidio Trist. 1 3 de luna: *hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens.* Virgilio Aen. 9: *suspiciens altam lunam.* certe in votis concipiendis mos solemnis ad caelos erigere vultus, ac si deos adhibere testes factorum vellent. dixi, ut spero, fuse de hoc ritu ad illud Claudian. in Ruff. 2: *tandem indignatus ad astra extollit palmas.* Dempst.

31. *minuentis*] infra 2 19. Sedul. de idolorum cultoribus 1: *quam crescere cernunt et minui.* Dempst. *minuentis*] id est, quae minuitur, decrescit, deficit. sic infra 4 91 *anni in se volventis vestigia* dixit. sic *augentia* dicunt poëtae pro *iis quae augentur.* exempla consimilia apud Lucretium. porro venerationem lunae a Persis et Turcae mutuati sunt, quam etiam in suis praeferunt insignibus. Ritt.

33. legebatur in exemplari ms *urguetur terre:* sed pro *terre terrore* omnino reponendum est. atque hoc loco, ut alias semper, *urgeo* verbum cum *u* littera liquida invenitur *urgueo,* quod animadvertendum lectori visum est. Ruiz. placet constans orthographia veterum verbi *urgeo* cum littera *u, urgueo,* quam etiam Ruizius in suo ms hic legisse testatur. Ritt. *terrore tuo*] eleganter: *ex te orto.* alius dixisset *tui.* sic 2 417: *tua gaudia,* hoc est, quorum causa tu es. sic Optatus Afer 4: *nullus vestrum est qui non convicia nostra suis tractatibus misceat.* hoc est a vobis impacta nobis. Ausonius Periocha Iliad. 1: *Thetis ad caelum lacrimas et contumeliam filii miserata proficiscitur.* Claudianus Epithalam. Palladii: *mala legit donum Veneris,* cum Venus dono acceperit a Paride. ita *benignitatem suam,* in se collatam, dixit Symmachus 10 ep. 30. sic *iniuriam Agamemnonis* pro ab eo Achilli illatam habes apud Ausonium praef. Periocharum Iliadis. Barth.

35. *Syrtica proelia* hoc loco intelligere Corippum arbitror ea quae apud Syrtes, loca Africae arenosa omnino et siticulosa, commissa sunt: nam praeter ea bella quae per Iustiniani duces in ea provincia gesta fuerant, aliquoties etiam a Iustini ducibus pugnatum est, nec satis feliciter, in eadem, ubi Theodorus praefectus, Amabilis et Theoctistus magistri militum interfecti a Mauris fuere; quemadmodum ex Victore Tunnensi facile constat. Ruiz. bellum in Africa contra Vandalos susceptum a Iustiniano et ductu Belisarii confectum innuit; notum quippe, domita Africa et Gelimere Carthagine superato, Belisarium Byzantium revocatum, rebus Africanis Salamoni praetori commissis. Zonar. t. 3, Paul. Diacon. 16, Procop. de bello Vand. 2. summa autem victoriae fuit in monte Papua difficillimo accessu, quem Pharas obsedit iussu Belisarii. consule sanctionem ipsius Iustiniani 1 Cic. de Offic. praefect. praet. Afric. et novell. 35, et Coripp. 2 125. Dempst. manifesto docet ad sequentes libros hoc carmen praefationis loco pertinere. Barth. innuit auctor se plures libros scripsisse de bello Africano Iustiniani et post deinde Iustini auspiciis gesto. Ritt. inepte hos versus interpretatur Barthius; quos ut recte intelligas, scias oportet Corippum aliud etiam poëmation edidisse inscriptum *de bellis Libycis* sub Iustiniano M. gestis. Rittershusius addit, *et post sub Iustini auspiciis,* sed falso. vide Praefationem. Fogg.

36. *iam*] ante annos, puta, plus minus triginta. vide Praefationem. Fogg.

37. *senio dextram*] sic infra v. 48: *fessae miserere senectae.* utrobique significat Corippus se ista iam senem scripsisse, et quidem calamitosum, exutum fortunis suis et vulnera passum. levationem igitur et medicinam implorat tum imperatoris tum Anastasii quaestoris, sive, ut nos hodie loquimur, cancellarii imperialis. Ritt.

42. Ciceronis est sententia in Orat. pro M. Marcello. Ritt.

44. *veni*] scribendum opinor *ad medicum venio:* iam enim deprecatur imperatoriam pietatem. Barth.

45. *verbo pestem qui summovet uno*] talis revera caelestis ille archiater Christus. Ritt. *pestem* pestilentiam dicit; quam vocem eo significatu male damnat Gifanius versu ultimo. Barth.

48. *pro munere carmina posco.* immo *pro carmine munera.* erratum librarii, ut videtur. Ritt. Ios. Scaligerum, summum sine controversia in his litteris virum, *porgo* scribendum putasse nobis Elias Putschius olim significavit adhuc ephebis. bene sane: munera enim velut deo se offerre autumat, carmina vero, quia paupertate pressus aliud nihil habeat. ea sententia huic loco aptissima sit. sed τὸ *semper* in vulgata lectione, et praesentia precum facit, ut mendum aliud latere putem, et polliceri potius Corippum pro medicina carminum munus quam exsolvere, cum inepte poscat beneficium qui simul illud se semper compensare alio iactet. scribe: *grates semper agam, et pro munere carmina pascam.* si voti mei compos ero haeque preces non irritae cadent, semper imperatorias laudes canam, et votiva carmina instar alicuius victimae gratitudini destinatae pascam. elegantissima translatio ab iis qui aegroti vovebant diis donaria, medicinam malorum adeptis exsolvenda, non percepta a librariis non absurde videtur has turbas fecisse. si cui tamen scitius quam verius haec videntur concepta, per nos non stabit quominus suo sensu quilibet utatur. Putschio visum est melius legi posse: *pro carmine munera posco.* quod tamen durius et personae pauperrimi hominis minus aptum videtur, cui blandiri, non poscere velut debitum, fortuna dictat. de votis et votivis vide Thesaurum Formularum eruditissimi Brissonii, ne nos ea quis poscat. Barth. lege *agam,* quod exigit sententiae concinnitas. porro restitui *porto,* et quidem indubius. sic Virg. Aen. 11 333 oratores Latinorum ad Aeneam missos dicit *munera portantes aurique eborisque talenta.* Fogg.

Dedicat. Titulus in veteri codice hoc modo concipiebatur: *Item panegyricum in laudem Anastasii Quaestoris et Magistri,* male omnino: *panegyricus* dici debuit. scio Isidorum Etymol. 6 8 *panegyricum* in neutro dixisse pro *lascivioso et licentioso genere dicendi in laudibus regum;* atque ita concipitur in codice ms

Claudiani *panegyricum de consulatu Theodori;* quem communicavit mihi pridem de litteris optime meritus D. Iacobus Bongarsius ad Germaniae principes lagatus. vicit tamen usus apud melioris notae auctores ut *panegyricus* diceretur. Claudianus, Sidonius Apollinaris, Plinius, Ennodius Ticinensis, Mamertinus. Auson. carm. 1: *sive panegyricus placeat contendere libros.* Tullius ante hos de clar. orator.: *tales suasiones qualem Isocrates fecit panegyricum.* translatio a conventu pompaque publica. Heliodor. 7: *ἵππον τε Ἀρμένιον τὸν εἰς πομπὰς καὶ πανηγύρεις τῷ σατράπῃ φατνιζόμενον.* de epigraphe ergo nullum dubium. Dempst.

Id carmen, ut volunt, panegyricum, re vera est dedicatio sequentium librorum *de laudibus Iustini.* *panegyricum* neutro genere inscribi in membranis non est absurdum, quod vir eruditus Dempsterus videri voluit: *adiective* enim capiendum, et intelligendum *carmen* vel tale quid. sic sub nomine falso Lucani inscribitur Panegyricum ad Pisonem. sane adiective cepisse priscos testis locuples Ausonius Parental.: *sive panegyricos placeat contendere libros.* Barth.

Sed quis hic *Anastasius?* forte ille qui magno apud Iustinianum nec minori apud Iustinum honore, ab eodem tamen septimo sui imperii anno in exsilium actus extorris viginti quattuor annis egit. causae relegationis, *quod sacrae rei thesauros profuderit inutiliter, et petenti Iustino pecuniam dare noluerit, cum designatus esset episcopus.* Evagr. 5 6. nihil statuo. Dempst.

Oculos iniice in notam a Ruizio ex ms descriptam et ad marginem appositam, *elocutio * trepicis.* parcant mihi eius manes: satis hinc patet quanti valeret in legendis corrigendisque codicibus mss. magno sane ingenii acumine haud opus erat ut legeret *tropicis,* suppleret *versibus.* itaque vetus scholiastes adnotaverat hoc carmen ex versibus *tropicis,* hoc est *figurativis,* constare, et quidem apposite, quia in eo imperator Iustinus et Anastasius quaestor commendantur sub imaginibus ille fontis, hic arboris. neque insolens est vox *tropicis* ἀπὸ τοῦ τρόπου. audi Gellium 13 23: *est tamen nonnusquam invenire ita scripsisse quosdam non ignobiles scriptores, ut aut temere aut incuriose praedam pro manubiis et manubias pro praeda posuerint, aut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint.* S. Athanasius in ep. ad Serapionem *tropicos* appellat qui blaspheme spiritum sanctum inter res creatas numerabant, quia nimirum *varios tropos in pravis suis interpretationibus se excogitare dicerent,* ut loquitur veteris scholiastae nota apud nuperos operum S. Athanasii editores t. 1 par. 2 p. 659. hinc Pneumatomachis *Tropicorum* nomen tribuitur etiam in *sermone contra omnes haereses,* ex S. Athanasii scriptis magna ex parte composito ab anonymo sequioris aevi scriptore. Fogg.

v. 1. *silvam.* imitatus est Caelium Sedulium civem meum, qui in sua invocatione: *silvamque patentem ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.* Dempst. *silva* inordinatam et minus distinctam quandam copiam denotat. locus Corippi ex Theocriti Idyllio in laudes Ptolemaei traductus videtur: is enim sese lignatori comparat in silvam densam eunti, cui satis ubique materiae. Barth.

4. scribendum arbitror *parvis maiora:* generaliter enim iam loquitur, mox speciatim de se ipso. Barth. Ruizii lectionem immutandam non esse censeo. Hor. 4 2: *operosa parvus carmina fingo.* porro ne adsentior quidem Barthio dicenti hoc carmen esse *dedicationem* sequentium librorum de laudibus Iustini. si commendationem dicas, non abnuo. Fogg.

5. *mensuram*] modum notat. sic aliquoties in libellis ipsis locutus est Horatius: *metiri se quemque suo modulo ac pede verum est;* quod alludit. Barth. abundantes et effluentes laudes satis indecore *transfusas* dixit, mensuram statuens velut rebus fluxis. et in talibus caret hoc genus iudicio, ubi acumina translationum etiam a futilibus rebus affectat. Barth. similiter apud Plinium 12 17 39 *cupresso fusae,* hoc est expassae. Fogg.

6. usus est participii ex sacris litteris petitus vel de graecismo. sed phrasis sacra in hoc auctore singulis paginis apparet. Barth.

7. *stat fertilis arbor*] iconem istam expressisse videtur poëta ex prophetia Danielis c. 4. prolapsam huiusmodi arborem describit infra 1 228, in mentione mortis Iustiniani. Ritt. ex illo Maronis est: ... *nemorumque Iovi, quae maxima frondet aesculus.* Barth.

8. *sacrorum.* veterum superstitionem insignem in arbores lucosque nemo est qui ignoret. Tacit. Annal. 14: *excisi luci saevis superstitionibus sacri.* magnum consule Lipsium, quem non exscribo. Apul. Apolog. 1: *nullum in villa eius delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.* receptum hunc a Gallis ritum loquuntur Druides, a Germanis auctor Tacitus de moribus eorum, ab Indis Q. Curtius lib. 8: *deos putant quicquid colere coeperunt, arbores maxime, quas violare nefas.* de Romanis quis quaeret exempla? multa mihi dicta ad illud Claudiani de laud. Stilich. 1: *lucosque vetusta religione truces, et robora numinis instar.* addo hic tantum, in fontibus altitudinem, in lucis opacitatem terrorem in animis agrestium produxisse, ex quo primum quidem consternatio, mox reverentia et cultus ortus. praeter Senecam Servium ac Statium Prudentius in Symmach. 1: *quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum suaserit.* Valer. Flacc. Argonaut. 3: *utque metum numenque loco sacramque quietem addidit.* Sil. Ital. 2, corrigendus levi manu:

prisco inde favore (leg. *pavore*) *arbor numen habet.* Claudian. de raptu 3: *inde timor numenque loco.* DEMPST.

10. *sine tempore*] est *citra ordinem* temporum, extra autumnitatem. BARTH.

12. *sidera caeli* etiam sacrarum litterarum est phrasis. BARTH.

14. comparatio isthaec universa ex sacris litteris est, ubi omnipotens florenti vineae aut horto uberi et riguo saepe suum populum comparat. BARTH.

15. *si fas*] Virgiliana ἐπιθεραπεία, Ecl. 1 24: *sic parvis componere magna solebam.* RITT.

18. homines arboribus comparari solemne. praeter Aristotelem et poëtas passim infra 1 229. Quinctil. 10 1: *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem.* Lucan. 1 Pompeium quercui comparat, *quae licet tot circum silvae firmo se robore tollunt, sola tamen colitur.* DEMPST.

20. *cummunis benefactor*] sic infra 1 213: *maximus orbis communis benefactor,* et 2 145. elegantissima periphrasis principis, qua is sui officii admonetur. huc pertinet illud salvatoris nostri, apud Lucam 22 25: οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν (τῶν ἐθνῶν) εὐεργέται καλοῦνται. RITT.

ib. *herus* pro imperatore, exemplo Ausonii de Probo: *exceptis tribus, herus heroum maximus.* ita legendum apud Ausonium: heroëm enim simul et herum, tribus exceptis, maximum dicit. quod vulgo est receptum et doctis probatum, sane abnorme est, utcunque excusetur, nec Ausonii. BARTH. *fons omnia ditans.* ex Psalmis est transumptum. BARTH.

22. *umbra.* delicatum receptaculum. metaphora a viatoribus ducta. Tacit. Annal. 14: *ego quid aliud adhibere potui quam studia, ut sic dixerim* (Seneca), *in umbra educata.* Ammian. l. 16: *adolescens, primaevus ut Erechtheus in secessu Minervae, ex Academiae quietis umbraculis, non e militari tabernaculo in pulverem Martium tractus.* Petron. Arbiter in Satyrico: *nondum umbraticus doctor ingenia deleverat;* adi interpretes. Iuven. 7: *sed genus ignavum, quod tecto gaudet et umbra.* et eodem loci post: *ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra.* cultissime Papinius Silv. 5 2: *tu quanquam non ante forum legesque severas passus, sed tacita studiorum occultus in umbra.* DEMPST.

23. pro *pabula* aliquis sciolus in ms codice ex littera satis quidem antiqua *pocula* reposuerat supra: at nobis ita ut fuit carmen hoc magis retinere placuit, quod ex proxime consequenti facile confirmari potest. neque tamen carmina haec aliqua difficultate carent, nata hoc loco et aliis plerisque huius poëtae, ex quadam orationis perturbatae abruptaeque simul brevitate, ut

quae in Africanis scriptoribus passim conspicitur. Ruiz. recte Elias Putschius, quem sua laude minime defraudabimus, suspicatus est haec esse corrupta. nam cum iam dixerit fontem esse imperatorem Iustinum, Anastasium arborem, hic duarum personarum descriptiones in una perperam confunduntur. scribendum putavit Putschius: *tu pabula praebe*, quae sententia verissima est. scriptura vero sic concipienda: *tu pabula praebeas.* error manifesto a contractione syllabarum veniens librario imposuit. sed Corippo illud convenire docet similis locus 2 252. recte vero τὸ *pabula* adseruit Ruizius ex vestigiis vetustioris scripturae, cum eadem vox reperiatur in Psalmo 23, quem ad verbum hoc loci Corippus expressit. laudes quaestoris, quae sequuntur, piissimae sunt, et quarum singula verba ex sacris litteris illustrari possint; quod non monuit interpres de lectionis veritate ubique nimium securus. Barth. edidi *praebeas* Barthium secutus. sed neque displicet lectio, *tu pocula praebens,* quam Ruizius in ms cod. suffectam ab antiqua manu invenit. erat Anastasius qui Augustas opes dispensabat, ideoque Augustae beneficentiae aquis pocula infundebat, unde hae traherentur. quodsi malles *pocula* accipere pro eo quod bibitur, haud inepte Corippus dixisset: *tu, qui Augustas aquas potandas praebes, da ut ipse etiam de illis bibam.* Fogg.

24. *amoena,* substantiva vi, sunt loca amoenitate laudabilia. Horat. 1 epist.: *nam quae deserta et inhospita tesqua credis, amoena vocat mecum qui sentit.* Symmach 1 ep. 5. Barth.

25. imitatur Virgilium Georg. 4 46. Fogg.

27. quaestoris sacri palatii officium leges condere auctoritate principis. apud Suidam Tribonianus Macedoniani filius, Iustiniani quaestor, pecuniae avidus ius vendit, et legum dies alios tollit alios scribit, pro cuiusque necessitate accepto pretio. Cassiodor. 1 ep. 13: *puritati nostrae paruit (veridicus quaestor lateri Caesaris adhaerens) et ad pietatem iussionum innocentiam suam praebuit.* 10 ep. 6: *facias generalitatis votum, iuridicorum sequendo iudicium; totum te legibus, totum responsis trade prudentium.* 9 ep. 24: *quaestorem reperit conscientia praeditum et legum eruditione maturum, in dictationibus amoenum, ad iustitiam rigidum, a cupiditatibus alienum.* idem auctor corrigendus 8 ep. 13: *vos leges dicetis, dum nos iura condimus.* reponendum censeo cum docto Furnerio *vox legum diceris.* dixi multa ad Panegyr. de consulat. Manlii Theodori apud Claudianum: *nec dignius unquam maiestas meminit sese Romana locutam. leges* autem et *iura* coniungit, ut Cassiodorus proxime citatus. infra 1 17. ante utrumque Iuven. 8 *iuris nodos et legum aenigmata* dixit. Horat. 1 sat. 1. Dempst. - praeclaris versibus describit officium cancellarii principis, qui initio libri 1 dicitur

etiam *compositor morum iuris legumque, et custos iustitiae.* vide Brisson. Select. antiquit. Ritt.

29. *munera temnis*] ut quae etiam sapientum oculos excaecare soleant, teste Sapiente; qua etiam de causa vetat illa accipere. et saluberrime constitutum est litem perdere etiam eum qui iudici quid dederit, ut secundum se, quamvis in bona causa, pronuntiaret: nam hunc quoque crimen contrahere et iudicem corrumpere videri tradit Ulpian. in l. 2 § ult. D. de condict. ob turp. caus. Ritt.

32. *gemino*] magisterii et quaesturae: nam illa duo officia frequenter coniungebantur. Cassiodor. 1 ep. 13. Rutil. Numatian. Itiner. 1: *officiis regerem cum regia iura magister.* est et titulus C. Theodosiano lib. 6 tit. 9. Dempst. utroque munere Tribonianus quoque apud Iustinianum functus erat. Ritt.

34. *Sapientia* maiuscula littera conscribenda: alluditur enim simul ad nomen imperatricis et ipsam sapientiam. Barth.

38. ad verbum ex elegia Ovidii ad Liviam: *in te oculos auresque trahis, tua facta notamus.* Ovidii dico, quod validas rationes arbitrer quibus isti asseruit Ioh. Passeratius, invalidas quae eripiunt, invalidissimas quae Pedoni adscribunt. tamen nobis iucundum hoc nomen, et facile eo utimur. Barth.

42. supra de se ad Iustinum: *fessis Musis.* Barth.

43. ut supra Sapientiae, sic isthic Vigilantiae nomen scribendum, negligente licet scholiaste. Barth.

44. *sacri apices*] notissima appellatio imperatoriarum litterarum est, ut et *sanctio.* nactus vero ab imperatore litteras exsequendas hoc carmine quaestori offert. Barth. *sacri apices,* ut sentio, appellantur hic a Corippo ipsi hi libri a se conscripti, utpote qui de Iustini laudibus agerent eidemque Iustino essent dicati: quicquid enim ad imperatores pertinebat, *sacrum* dicebatur. Fogg.

45. *sanctio*] lex est, et ius ipsum postulat, ut mei curam tanquam servi vestri suscipiatis. Ritt. lege *tibi saucia vestrum,* ut *saucia* ad *caussam* referatur, quod suadent quae sequuntur v. 48. sic in Praefat. v. 43. Vonck. vox *sanctio* hic mihi idem sonat ac *dedicatio.* sic Statius Silv. 3 3 215 scripsit *carmina* alicui *sancire* pro nuncupare, dedicare, consecrare. eodem sensu idem Corippus usurpat *sanxere* 1 316, *sancire* 2 162, *sanxerat* 4 264. Fogg.

46. arbori e fonte bibenti confert Anastasium. memini autem legere Aristomeni datum oraculum, *cum Nedae fluminis aquam hircus potasset, captum iri Iram montem, et ob id prohibitum ne hirci inde biberent.* at caprificus erat iuxta flumen, cuius folia inclinata in fluentum vergebant; Messeniis autem caprificus dicitur τράγος: ea igitur ex aqua bibente mons captus est. Suidas in voce τράγος. corrigendus Statius, eadem ille si-

quidem habet Silv. 1 4, quae hic noster: *nec conscia detur Pyrene, largus potius mihi gurges inhaustus qui rapitur de fonte tuo.* nec est cur laboret vir doctus Bernartius, cum in codice Argentoratensi, qui penes me est, ita legatur, meo iudicio recte. fidem faciunt eiusdem lectionis editiones Venetae et Florentinae: ... *largos potus mihi gurges, in haustus qui rapitur de fonte tuo.* Dempst.

47. quomodo sub nomine *rivuli* gestat principis officium? vellem explicassent ista interpretes. sed nihili res est: si enim principis officium gestat, principis sub nomine gestat, non quaestoris. at officium principis hic beneficium capi debet, ad quod penitus adipiscendum auctoritate quaestoris opus habebat. itaque iam sub nomine huius se gustare suavitatem regiae opis dicit. nihil certius quam scribendum: *sub cuius nomine gusto.* impetrarat enim iam regias litteras, quas hic offert Anastasio, ut docent praecedentia. eleganter vero ex suo more dixit *gusto*, cum plenus fructus beneficii nondum advenisset. et ita imperatores aliive principes gustasse imperium dicuntur, qui brevi tempore possederunt. Barth. *rivulum* mihi videtur dicere suos ipsos de laudibus imperatoris Iustini libros. *sub cuius nomine*, hoc est, cuius auctoritate seu consilio, aut si mavis, quo patrono. vide infra 1 15. Fogg. *gesto*] Virgil. Aen. 1 319: *virginis os habitumque gerens.* et 2 89: *et nos aliquando nomenque decusque gessimus.* Fogg.

48. gerens nimirum personam *poëtae* seu panegyristae principis Augusti imperatoris Iustini. in hanc sententiam facile mecum ibis, si conferas 1 7. Claudianus in praefat. Epithalamii Palladii et Celerinae: *carmen amor generi, soceri reverentia poscit, officio vatis, militis obsequio.* Fogg. de officio in palatio isthinc coniectato non accedimus doctissimo Dempstero. bona vero simplicitas in huius poëtae stilo mihi potior est aliorum eius aevi semibarbaris adfectationibus granditatis et eruditarum translationum, quae uno saepe verbo corrumpunt universam velut studiose narrationem. Barth.

Argumentum operis historicum. Iustinus minor, qui et secundus, Dulcissimi filius (3 132), Iustiniani Augusti ex sorore Vigilantia nepos, ab avunculo vivo in aula educatus (4 190) et Palatinis officiis impositus, dictus est inde curopalates. Paul. Diacon. lib. 16 in fine Iustiniani. duxit in uxorem Sophiam Theodorae Augustae neptem, quam consortem imperii coronatam adscivit, ab urbe condita 1318, a partu salutifero 558. placet enim Diaconi supputatio, a qua recedunt viri maximi et Iustini inaugurationem ponunt in anno salutis 566. initio principatus pius edictum proposuit Catholicis sub avunculo vehementer, nascentibus haeresibus, turbatis; liberalis et in sacros ordines profusus. postea non caruit suspicione haereseos Pelagianae asser-

tae, ut nonnullis visum: tamen caret probato auctore. certe pecuniae supra modum appetens (Evagr. 5 1), ut iusserit areas ferreas fieri, in quibus ereptas omnibus ordinibus opes conderet. periit podagra undecimo imperii anno, vel ut aliis visum, decimo sexto. cetera suis locis. Mycillus: *ingenio et pietate minor, non tempore tantum hic fuit, ast ingens cultor avaritiae. regna sub hoc Longi ceperunt Itala Bardi. ipse pedum morbo, mentis egenus obit.* Velius: *asserit hic Pelagi sectam Iustinus, avarus, ut pedibus, captus mente quoque occubuit.* sed ad Corippum redeo, apud quem lib. 1 Iustinianus obit, et a Callinico Iustinus eum obiisse admonetur; qui in aulam tendit, ubi preces audit senatus imperium deferentis, sed tamen ad demortui laudes prius maestus convertitur. nec minus Sophia luctum ingeminat. tum circus describitur. lib. 2 supplicatio decreta exsequialis, et deliberatio Iustini de assumendo imperio. ornatur et scuto elevatur, quod inaugurationis formula. oratio ad senatum suadens pietatem aequitatemque. favet laeto assensu plebs. lib. 3 Iustiniano pompa funebris adornatur. laetitia publica populi et ad convivium apparatus. palatium Cpolitanum describitur. audiuntur legati Avarum, et bellum iis indicitur. lib. 4 exspectatio muneris edendi, dona et sparsio missilium senatui indulta, basilica D. Sophiae, et excursus in laudes Trinitatis. denique in arcem conscenditur, et proceres comitantur principem. finis vero desideratur. Dempst.

Libri 1 v. 1. concinnius legas *non rerum motibus*. Putschius [cum in codice sit *imperii*] voluit *imperium*, nobis invitis. *culmen* enim, summa imperii, solemniter poëtis usurpatum. Lucanus 8: *illum summo de culmine rerum morte petit*. Claudianus: *ad culmina rerum iniustos crevisse queror*. Sidonius: *excipit hunc reducem duplicati culmen honoris*. Barth. equidem malim cum Putschio legere *imperium*, quamvis aliter Barthius senserit, et in textu aliter posuerim plus aequo verecundus in corrigenda Ruizii editione. enimvero poëmation maiori quadam maiestate sic incipit, ut poëtae sequioris aevi curare solebant fumum ex fulgore, non ex fumo dare lucem cogitantes. notes autem volo eleganter Corippum primo generatim *motus* nominare, deinde vero eos distinguere in militares et civiles, quia alterutra pluribus fuit via qua ad imperium evecti sunt. contra Iustinus tanta tranquillitate populi evectus est ut Victori Tunnensi notatu digna visa fuerit. Fogg. *non ullis motibus rerum*, h. e sine bello aut concussione, dicit Iustinum successisse avunculo. Victor Tunnensis in Chronico [v. Ruiz. ad Praefat. 21]. sic in laudibus aliorum principum successio sine tumultu recensetur vel primo loco. Claudianus de laud. Stilichonis 1: *nil ibi barbariae motus, nil turbida rupto ordine tentavit novitas, tantoque remoto principe mutatas orbis non sensit habenas*. Calpurnius Ecloga prima: *scilicet ipse deus Romanae pondera molis fortibus excipiet sic inconcussa lacertis*,

ut neque translati sonitu fragor intonet orbis, nec prius ex meritis defunctos Roma penates sentiat Occasus nisi cum respexerit Ortus. Barth.

2. *sumtum* ad vim pertinet: *sumere* enim est *capere*. Appuleius 2: *cum quemquam conspexerit speciosae formae iuvenem, venustate eius sumitur, et illico in eum et oculum et animum detorquet.* Barth. *potitum. legendum* censeo *petitum,* claro sensu. Dempst. commentarii scriptor non nimis bene *petitum,* latiniore et utiliore illo *potitum* eiecto, repositum voluit. nos vulgatum melius sequimur: non enim tam de petito quam de adepto et potito loquitur, cum de re praesenti sit sermo, non dudum praeterlapsa. Barth. malim *petitum,* nisi forte *potitum* παθητικῶς scripsit poëta, ut solemus etiam *adeptum* usurpare. Ritt.

3. *auspicio meliore* est illud maximi vatis: *melioribus ire per altum auspiciis.* Barth. *nullus*] melius dixisset *nemo*. sic infra: *quos nullus vicerat armis.* Barth.

4. *piorum* ad consecrationem Iustiniani pertinet. Ausonius Panegyrico: *piissimo. huius vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus, instar filii ad imperium frater adscitus, a contumelia belli patruus vindicatus, ad praefecturae collegium filius cum patre coniunctus.* ita *quod in sanguine* iunctis bene fit, pietatis nomine censetur. Barth.

5. liberi homines et ingenui Caesarum servi dicti, aut etiam privatorum procerum (Martialis passim et alii), adeoque gentes et populi. hinc Caractacus 18 Scotorum rex ad Claudium Augustum apud Tacitum Annal. 12: *si vos omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant.* supra in Praefatione 47, 2 402, 3 870. Claudian. in Ruff. 1: *populi servire coacti.* Dempst.

6. *mentem dominis aptare*] ut velut ex mente domini pendeant. hoc significat aptandi verbo; estque ductum e sacris litteris, ubi oculi servi ad manus domini, *oculi ancillae ad herae nutum aptati* dicuntur, quibus suam in deum observantiam regius propheta conformat. talis est ficticia Artotrogi in Pyrgopolynicem observantia, qui quod volebat, hoc sic praevoluisse antea parasitus videri cupiebat. Barth.

8. *et quae* pro *atque,* quod in ms legebatur, reposuimus tum ratione carminis ipsius tum etiam sententiae. Ruiz. dextre Assagrius. Barth.

9. alludit ad deum ipsum, cuius sapientia dicitur Christus omnia regens a Salomone; de quo vide Phoebadii librum contra Arianos. sic *sapientiam* pro deo dixit Alcimus Avitus 1: *temperat humentem consperso pulvere limum, moliturque novum dives sapientia corpus.* Barth.

10. imitatur Lucanum 1 ad Neronem: *tu satis ad vires*

Romana in carmina dandas. vide locum, et confer cum isto. Dempst.

11. *sufficere* est suggerere. Virgilius: *suffice tela mihi.* sed potius sufficere sibi pro Musis ait divas suas. Barth. *quaeque* i. e. quaecunque. Ritt. *monere* est *docere,* saepe a poëtis ita positum. Virgilius 7: *tu vatem, tu diva mone: dicam horrida bella.* Valerius Flaccus 1: *Phoebe mone, si Cumaeae mihi conscia vatis stat casta cortina domo.* sic *monitor* praeceptorem aut alioquin adiutorem notat. Papinius Silvis: *quippe de fido monitore nostra Thebais multa cruciata lima tentat audaci fide Mantuanae gaudia famae.* Barth.

12. pii principis gesta descripturus invocat deiparam virginem, recepto more in primo nascentis ecclesiae exortu a fidelibus, *qui dei amicos honorantes* (Euseb. de praepar. Evang. 13 7) *ad monumenta eorum accedebant, votaque iis faciebant tanquam viris sanctis, quorum intercessione apud deum non parum iuvari profitebantur.* et Theodosius Aug. *cum sacerdotibus et populo* (Rufinus 2 33) *omnium loca orationum, ante martyrum et apostolorum thecas cilicio prostratus, auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.* D. Hieron. Epitaphio Paulae in fine. Prudent. hymno de Cassiano: *audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes, ratasque reddit quas videt probabiles.* vide L. 2 n. 3 infra. Dempst. *porrige dextram*] formula vulgata. Cassiador. 4 ep. 36: *necesse fuit civica vastatione deiectis porrigere dextram salutarem.* Ovid. de Ponto 4 5: *ad te mansuetas porriget ille manus.* Dempst. *manum porrigere* ab iis ductum qui naufragi ad littus expulsi data manu extrahuntur. instar proverbii habet, ad varia ab auctoribus traductum. Barth. *dextram porrigere* pro opem praebere. sic Fragmento: *senio dextram, pie, porrige fesso.* Oppianus Cyneg. 1: δεξιτερὴν ὄπασον κανίλλαον, ὀλβοδότειραν. Id. porrigere alicui dextram est ope sua sublevare pressum infortunio. Faustus Reiensis ad Leontium papam: *communem causam hoc loco agitis, si ei quem opinioni vestrae imparem cernitis, manum suffragii porrigatis.* Henricus Monachus Praefatione 4: *iamque patentem porge manum trepido. ausim scandere tecum quamvis torva pericula.* Arator ad Florianum: *porrige de placito saepe favore manum.* Gunterus libro 1: *porrectaque manu magno sub fasce labantem oppressumque metu, siquidem potes, erige vatem.* Petrus Pictaviensis Panegyrico: *more suo sacram dignatus tendere dextram, serve meus, dicas, accede.* est ductum ab iis qui in turba manus iungunt, ut eam penetrent. Theocritus *Adoniazusis.* Id.

13. *magni mihi causa laboris surgit* Maronianum est. idem 7: *maior rerum mihi nascitur ordo.* sic *nasci libros* dicit Plinius l. 8 ep. 4. Barth.

14. *brachia tendere* est supplicantis, Ovidius de Ponto 2:

ad vatem vates orantia brachia tendo, terra sit exsiliis ut tua fida meis. BARTH.

15. etsi post praelocutionem et invocationem poëtae ingressus huius operis nescio quid in se extraneum planeque novum habere videatur, mihique ipsi saepius suspicionem ideo iniecerit ne hoc loco aliqui versus anteriores fortassis deessent, nulla tamen omnino huiusce rei vestigia in ms exemplari apparent, quin imo omnia ibidem superiora cum subsequentibus continenter cohaerent. porro hic sub nomine *domini,* nisi iam ad Anastasium in proximo versu referendum sit, ipsum Iustinum Caesarem, ut alias passim in hoc poëmate, aut aliquem fortassis alium qui et ita vocaretur, intelligere Corippum arbitror inter ipsius carminis exhortatores. RUIZ. nihil certius quam legi oportere *amans dominos.* domini sunt Iustinus et Sophia, quorum amans quaestor ad eosdem ire compellit. sic infra v. 22 et 82. BARTH. Ruizius edidit *dominus;* et dubius haeret an sit Iustinus an vero Anastasius. restitui *dominos, Iustinum* intelligens et eius uxorem *Sophiam.* porro scite Corippus amori Anastasii in principes tribuit, quod ipsi auctor fuerit ut Iustini laudes carmine celebraret; et sic in Paneg. 31 de Anastasio ait: *quem Christi munere fidum cognovit princeps.* FOGG.

16. *pars magna* ex illo Maronis est: *et quorum pars magna fui.* BARTH.

17. *compositor morum* censorem designat. iuris *sacerdos* haud dubie ex recentium tum a compositione Pandectarum primo titulo derivatum. verba omnibus in promptu adscribere supersedebo. cur vero deesse aliquid putaret Assagrius, qui morem inferioris aevi poëtarum penitius perspectum non habebat, causa non erat. qui cum ad hoc prooemium Dracontium et Eugenium a se editos memorat, facit insigniter nos dolere fatum horum locorum, ad quae ab Hispania libri nulli fere veniunt. BARTH. nota titulos Anastasii quaestoris Iustini 2 imp., cuius laudibus carmen praecedens dicatum fuit. sic *Iustitiae sacerdotes imperatores salutat* Symmachus 10 ep. 54. sic et Ulpianus iurisconsultos *sacerdotes iustitiae* vocat l. 1 D. de iust. et iur. sic Quintilianus 11 1 Servium Sulpitium *iuris antistitem* appellat; et Gellius 13 4 *iudicem.* RITT.

18. hic est ille *Thomas agens in rebus* a Iustino seniore ad inquirendum contra haereticos missus: liquet ex Quint. Synod. act. 7. deinde *exquaestor sacri palatii* sub Iustiniano, unus fuit e decemviris codici compilando, ex Constitutione de nov. cod. fac., et fortasse idem est cuius meminit Christodorus poëta Thebanus Copita lib. 5 Antholog. nam epigraphe talis est epigr. 128: *εἰς Ἀναστάσιον Θωμᾶ πατρικίου καὶ λογοθέτου τοῦ δρόμου.* fuit ergo, ut apparet, hic Anastasius (cui erecta in circo Cpoli statua)

libertus Thomae huius. Agathius Scholast.: *Θωμᾶν παμβασιλῆος ἀμεμφέα κηδεμονῆα ἄνθεσαν.* Dempst.

18. cum nullibi me legisse meminissem *destina*, animus erat *dextera* pro *destina* reponere in hoc carmine, quod omnino vitiosum esse crederem. interim vero admonitus a Iohanne Baptista Perezio, viro et litteris et humanitate candidissimo, apud D. Braulionem in vita D. Isidori *destinam* legi (ita scilicet: *quem deus post tot defectus Hispania novissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne usquequaque rusticitate veterasceremus, quasi quandam apposuit destinam*), mutare plane sententiam sum coactus. placuit itaque *destina*, uti erat in ms codice, retineri; quod nomen ex utroque loco et D. Braulionis et ipsius Corippi, si diligenter inter se conferantur, quid significet non difficile elici atque colligi potest. Ruiz. fuerunt qui hic non *destina* sed *dextera* legere volebant, sed nihil mutandum. D. Braulio toties a tam multis citatus in vita D. Isidori, cuius locum vide apud Assagrium. *destina* est firmus nexus: nam pro vinculis in aedificio sumit Vitruvius *destinas* 5 c. ult., et *destinare* est colligare apud D. Augustinum citatum a Iac. Cuiacio observat. 21 28. *captus destinatusque Romam mittebatur,* inquit Sidonius Apollinaris 1 ep. 7. sed propius est ut assentiar amicissimo Marcilio meo atque omnium qui vivunt doctissimo, qui me admonuit hunc locum esse expressum ex illo Arnobii lib. 2: *non post Theutin Aegyptium aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, baiulum, tibicinem illum ac destinam caeli.* scio eleganter posse retineri priorem lectionem, *nutantis dextera terrae,* quia potentissimi fidissimique principum virorum clientes *dexterae* dicuntur apud Senecam 5, ut puto, de Benefic., quia illa melior utiliorque corporis humani pars. Mart. 11 70: *Lydia dicebar domino fidissima dextra.* Papin. silv. 5 1: *vidi omni te pridem in flore nitentem, vidi alte propius propiusque accedere dextrae.* ut e contra direptores census *sinistrae.* Catull. 45: *Porci et Socration duae sinistrae Pisonis,* quia sinistra apta furtis. Ovid. 13 fab. 1: *nataeque ad furta sinistrae.* Plaut. Persa act. 2 sc. 2. Catull. 12 et 29 16, qui locus eget correctione: *quid est? an haec sinistra liberalitas.* sic codices Lugdunenses, Parisienses et alii, adeoque etiam Basileensis Tuscanellae editio. Achilles Statius legit *quid est? abit.* Ios. Scaliger *alit,* alii *alius* aut *quid est, al.* sed verissime Alciatus parerg. 2 7: *quid est aliud? sinistra liberalitas.* Dempst. de *destina* primus, puto, idem Assagrius, ex Peresii monitu, ad hunc locum docuit ex Braulione, cui alii Arnobium addidere. exstat et in Glossario. Barth. de *destina* apud Corippum satis nos et eruditi ad alios et hunc ipsum Corippum. par *destinae* est verbum *incuba* apud Vitruvium 6 11, sive mavis *incumbam,* cui incumbunt fornices aut aliae partes aedificiorum. *destinam*

quidem apud eundem Vitruvium 5 12 recte habent membranae Philandri: at non satis bene ille *vincula* exposuit. contrarium puto. potest et idem esse terminum *subcumbum* in fragmentis Latinis de Terminis. quo loco tamen, cum Termini effigies cymbam referat, suspicer *subcymbum* legendum, non obstante quod parum Latina aut elegans vox sit, satisfaciente, quod τεχνικὴ inveniatur. faciunt huc et *attinae* lapides ad sustinendam maceriam interpositi, ab attinendo dicti. unde *attinae* maceriae lapide lapidem sustinente congestae, apud Siculum Flaccum. Id. *destina*, verbum rarius, nihil aliud quam *fulcrum* significat. absque Braulione in vita Isidori et monstratore Perezio iam hic pro *destina dextera* legeretur, beneficio Ruizii, qui locum omnino vitiosum esse credebat, ut ipse ingenue fatetur. sed meminisse debemus etiam Atlantem tibicinem et *destinam* caeli elegantissime vocari ab Arnobio advers. gent. 2. horum igitur imitatione et nobis *destina* regni nutantis venuste dicetur vel rex vel consiliarius regius, qui auctoritate sapientia consilio ac robore regnum labascens statuminat fulcit ac sustentat, ne corruat. Ritt. praeter Braulionem et Arnobium ab aliis citatos utitur voce *destina* S. Fulgentius de coniugali debito § 1: *parieti inclinato et maceriae impulsae non neglexit doctor egregius consolationis destinam, Christo in se loquente, supponere.* Fogg.

21. *consiliis*] hoc est sagacitate, prudentia. Sidonius: *stupuit primis se Parthus in annis consilium non ferre senis.* Arnobius 7: *ubi bos aliquis Iovem alloquitur, an quod animal vile sum, nec rationis nec consilii particeps, quemadmodum pronuntiant isti qui se homines dicunt.* Aurelius Victor in Originibus Rom.: *tanta usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio et sapientia praediti ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent, caelo et terra editos crederent.* Barth. nimirum multo praestat ac satius est consilio quam armis bellum conficere, non modo, quod maiorem mereantur laudem vires animi quam corporis, ut ad Oppianum docui, sed etiam quod plurium saluti mortalium illa quam hac ratione consulatur. Ritt.

22. *Magnus.* Marcellinus Comes Chronico Indict. 10: *Hypatius Pompeius et Probus, genere consobrini, divi Anastasii nepotes.* et innominatus chronographus *Pompeium* consulem facit Avieno collega, sub Anastasio principe. ex quibus certum est etiam hoc aevo illustre fuisse Pompeiorum stemma, cuius familiae gentilicium cognomentum fuit *Magnus.* Sueton. Calig. 35: *vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio stirpis antiquae Magni cognomen.* scio eruditissimum Savaronem Magnum hunc vocare gentilem Magni Felicis, ad quem est carmen 9 Sidonii: sed Pompeiae gentis cognomen hoc non legi. Dempst. huius

nominis dux equitum sub Iustiniano M. saepe laudatur a Procopio de bello Gothico. Fogg. laesa est distinctio. scribe: *nec non magnanimus, meritis et nomine Magnus.* commentator haec talia neglexit. Barth.

23. *sacris rationibus aptus*] *rationalis*, qui rationes exigit a rectoribus totius imperii. Ritt. *sacrae rationes* sunt imperatorii reditus. sic quicquid ad principem facit, *sacrum* censetur. *sacra aula* v. 27, *divini pedes* v. 37, *sanctus* ipse v. 38, *divalis origo* v. 42, *divini honores* v. 47, et mille talia in toto hoc poëmate. Barth. sumptus annui reipublicae olim a consule, posita in foro hasta, componebantur. Ovid. de Ponto 4 5. mutato statu id ipsorum Caesarum erat munus: hinc imperium depositurus Augustus *rationarium* reddit. Sueton. c. 28. postea cura ea ad procuratores Caesaris devoluta. Lampridius in Alexandro: *rectores provinciis dare vel praepositos facere vel procuratores id est rationales ordinare.* ὑπεύθυνοι quasi reddendis rationibus obnoxii dicuntur, ut loquar cum imperatore l. 4 C. de Cler. et Episcop. hos Constantinus instituit et negotiis fiscalibus praeesse voluit, seu criminis illa seu rei pecuniariae. Martian. IC lib. 8 C. ad leg. Iul. maiest. Iul. Capitol. in Maximino. sunt ergo rationales principum, qui privatam substantiam gubernant. Cassiodor. 6 ep. 8: *et rationes Belgicas procurare.* Plin. 7 16 fine. Iuven. 6: *gravis est rationibus;* et vetus Scholiasta ad illud ibidem: *longi relegit transversa diurni.* Auson. parental. carm. 24: *scrinia praefecti meritus, rationibus inde praepositus Libycis.* nomen novum, res antiquissima, ut dixi. marmor vetus: D. M. Abascantio Aug. lib. aedituo aedis Neptuni, quae est in circo Flaminio, Flavius Ascantus et Pallans Caes. N. ser. adiutor a rationibus patri piissimo fec. forte hic Pallas est, de quo satyrici historici et Plinius Iunior non citra indignationem lib. 8 ep. 6. erant et *rationales privatorum,* quos cum *secretariis* confundit Saresberiensis Policrat. 3 12, de quibus hoc tantum nota, rationes tum ab iis redditas, si domini tabulas delevissent et subscripsissent. Scaevola IC lib. 40 ff. de statu lib. omittam Apuleium Apolog. 2. Dempst.

24. *rectorum Latii*] eo namque tempore Occidentem moderaturi praefecti Cpoli submittebantur. eorum curam tum Magno isti commendatam dicit Corippus. *orbis Latius* quasi sigillaris et ab Oriente divisus, Claudiani exemplo de concordia inter fratres Arcadium et Honorium: *conspirant gemini frenis communibus orbes.* Barth.

ib. discussor Corippo designat censorem, quaestorem. Glossarium vetus: *discussor* λογοθέτης. aliud: λογοθέτης *ratiocinator, discussor, disputator.* sic discutere est examinare, redigere in ordinem, illustrare. Prudentius Praef. Cathem:

hymnis continuet dies, nec nox ulla vacet quin dominum canat, pugnet contra haereses, Catholicam discutiat fidem. Barth.

25. *Petri.* vir eloquens, et rebus versatissimus, ad Theodatum a Iustiniano legatus anno a partu salutifero, ut quibusdam placet, 536. Procop. belli Goth. 1. nec dubium quin idem sit cuius meminit Cassiodorus 10 ep. 19 et 24, Antholog. 4 1 7, et alibi saepe. Dempst. nemo alius est *successor redivivaque gloria Petri* quam Theodorus, cuius nomen a Ruizio corruptum restitui ex Menandro in Excerptis. porro Menander non modo certiores nos facit fuisse illum Petri filium, sed etiam fuisse sub Iustino magistrum officiorum: agens enim de legatis a Tiberio Iustini successore ad constituendam cum legatis Persarum regis Chosroae pacem missis, haec habet: *fuerunt qui missi sunt a Romanis, Theodorus Petri filius, qui prius quidem magister officiorum fuerat, tum vero comes erat largitionum* etc. Fogg.

ib. ms *recidivaque* in mss enim passim confunduntur voces *redivivus* et *recidivus.* vide infra ad v. 350. Fogg.

26. *Theodorus*] ita restitui, cum antea esset *Theodolus,* qui tamen nusquam, quod sciam, legitur in historicis huius aevi: at *Theodorum* cognomento *silentiarum decurionem palatii* invenio, et 27 anno Iustiniani ab eodem ad quintam Synodum cum libello missum. res ergo et aetas mihi persuadent. Dempst. *Theodulus* scribendum, non *Theodolus.* nisi verius tamen *Theodorus,* quod interpreti visum, cui quo magis assentiar, facit Iohannes Biclariensis in Chronico, quod cum Victore Tunnunensi edidit Canisius, qui 3 anno Iustini, Praefectum Mauritaniae Theodorum a Mauris caesum notat. Barth.

27. hic Demetrius forte ille qui a Iustiniano ad Iohannem papam legatus, et palatinae aulae secretarius sive λογοθέτης aut quaestor. quis post magnum Marcilium dicat? quem consule ad Titum Suetonii. adi et Saresber. 3 12. Curopolata: πρωτασηκρῆτις πρῶτος τῶν κριτῶν λέγεται. tractum nomen *a secretis,* id est *quilibet secessus reconditus.* Phaed. 2 49 82. vel *intima conclavia,* ubi de rebus maximis, remotis arbitris, deliberabatur. Zenon. Aug. lib. 13 c. de testib. et *secretaria iudicia* apud IC passim, et *iudices secretarii* lib. 3 c. ubi senat., et clariss. civil. vel crim. conv., et l. ult. c. de offic. divers. iudic. eleganter a Constantino dictum, *non sit venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium,* lib. 1 c. Theodos. de offic. rect. provinc. alii notarunt. Dempst. lacuna hic fuerat unius folii, ad quam explendam Erichtho manes Corippi excitet, aut quaelibet Thessala. Dempst. in lacuna, quae hic est, desunt omnium descriptiones quae praecesserant imperium Iustini et mortem Iustiniani, ut facile apparet ex somnio ipso, cuius manca narratio restat. ineptum ergo, quod censuit Elias Putschius, inseri debere fragmentum quod libellis praemit-

titur, cum in eo de strage Gepidarum fiat mentio, quae facta toto quinquennio post Iustini inaugurationem, ut notavit etiam Assagrius; Iohannes tamen Biclariensis in sextum demum annum locat. Assagrio non possumus non dare testimonium beni iudicii, quod certe e singulis paginis apparet. utinam Dracontius quoque eius et Eugenius, qui Dracontii epitomem fecit, in manus nostras venissent. Barth.

28. *amat* enim *benignitas numinis, seu quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectatione, his quoque artibus prodere quae impendent,* ut ex Herodotea sententia scribit Amm. Marcell. 21. vide Casp. Peucerum et Ioach. Camerar. de divinat. post Ciceronem et Artemidorum. Ritt.

29. *quies* somnus est. Claudianus: *omnia, quae sensu volvuntur vota diurno, pectore sopito reddit amica quies.* Barth.

30. elegans graecismus est: *sopor venerat signa ostentare.* cuius exempla plurima aliis collectaneis produximus. vide Animadvers. ad Claudianum *bello Gildonico.* Barth.

ib. *bonorum* est felicium. sic *bona fortuna* omnibus scriptoribus, sic *bona victoria* nostro dicitur infra. Barth.

32. *plena quies* est iam perfecta nactaque florem suum, ut imitatione aliarum linguarum loquuntur Germani. Priapeorum auctor: *adeo mea plena libido ut Nymphas omnes interiisse putem.* Dracontius Hexaëmero: *sed quo plenus amor toto de corde veniret, noscere in uxoris voluit sua membra maritum.* Barth.

ib. *laxaverat artus.* Maronianum 5. Prudentius: *blandus sopor vicissim fessos relaxat artus.* Barth.

33. *virgo,* quam velut conspiciendam proponit Corippus, est *pietas,* ut clarum ex seqq. virginali vero idolo fingebantur omnes virtutes. Ovid. de Arte 3: *ipsa quoque et cultu est et nomine femina virtus.* itaque depictas proponit Prudentius Psychomachia, quod carmen eximium est inter omnia antiquitatis monumenta. reliquus iste versus maioris poëtae est. Barth.

34. *aspectu clemens.* par est illi apud Papinium: *discitur ex vultu quantum tu mitior.* elegantes vero et appositi sunt isti versus: nam in vultu placidum, in habitu laetum, in incessu pudicum aliquid festum et virginem simul et virtutem et deam referunt. Barth.

ib. *laetus* incessus medius inter fastuosum et mollem aut delicatum: clementiae cum quadam hilaritate. Barth.

35. *purpureas*] pulchras. Maro Aen. 1: *lumenque iuventae purpureum.* Servius citat Horatium 4 1: *purpureis ales oloribus,* et apud eundem 2 5 *autumnus purpureo varius colore.* insignis pulchritudo puellaris purpurae collatus. Stat. Silv. 2 1: *purpureo fusus corpore candor,* quia inter pannos purpura spectatissima. ex Homero et aliis dixi ad Claudiani illud de raptu 1: *niveos infecit purpura vultus.* Dempst. *purpureas* florentes et

coloris gratissimi: purpureum enim scriptoribus quicquid coloris egregii et accepti. sic *coma Nisi* purpurea ab Ovidio celebratur. vide Commentatorem priscum Horatii 2 5. sic oculi purpurei apud Valerium Flaccum 3: *en frigidus orbes purpureos iam somnus obit.* *lumen purpureum* apud Maronem 6, de campis Elysiis. *purpurei soles* apud eundem in Ciri. *purpurei olores* Horat. 4 1. *purpurea nix* Pedo, ut volunt, Albinovanus. *mare purpureum* Euripides Troadd., quod expressit Furius apud Gellium 18 et Solinus in fragmento Pontici. *flammea purpurea* eidem tragico eadem tragoedia. BARTH.

35. *velata comas.* ex prisco more virginum, quae velato capite incedebant, id quod hodie quoque Turci observant. Columella 10: *virgineas adoperta genas rosa.* Claudianus Panegyr. Manlii de Iustitia: *frontem limbo velata pudicam.* Germanicus Asteriaco Virginis, Isidorus orig. 19 31, Arnobius 2, Iuvenalis 7. BARTH. Iulia imp. Caesaris Augusti uxor sub imaginibus *Salutis Iustitiae* et *Pietatis* in numismatibus repraesentatur, et solummodo in iis quibus inscribitur *Pietas*, visitur *velata comas.* FOGG.

ib. *oculis benigna*] cui benevolentia ex ipsis elucebat oculis: testatum est enim vultum indicia mentis prae se ferre. Achilles Tatius 6: ὁ γὰρ νοῦς οὔ μοι δοκεῖ λελέχθαι καλῶς εἶναι ἀόρατος το παράπαν· φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς ὡς ἐν κατόπτρῳ τῷ προσώπῳ. praecipue vero ex oculis. vide ad Claudiani Epithalam. Honorii. maligni oculi, qui venenum quoddam malivolentiae prae se ferunt. Gratius Cyneget. 406: *ac sic offectus oculique venena maligni vicit tutela pax impetrata deorum.* BARTH.

36. pietatem Corippus inducit, quia Iustinus initio imperii sui ea potissimum virtute insignem se ostendit. FOGG.

38. [ms *sanctique.*] scripsi *sancto diademate,* sed forte melius scripsissem *sanctum caput.* 2 165, ubi re ipsa factum describitur quod hic factum fingitur per visum, sic ait: *sacro diademate iussit Augustum sancire caput.* FOGG.

41. iungat princeps terrorem amori: hic disciplinam, is mutuum a civibus amorem creat. Ovid. Metam. 7 de Medea: *ipsum timor auget amorem.* Claudian. de 4 Hon. consulatu: *mixto reverentia fidit amori.* et de nuptiis Honorii et Mariae: *diligimus pariter pariterque timemus. ipse metus te noster amat.* denique de laud. Stilich. 2, ubi plura: *quanto frenet metuendus amore.* DEMPST. utrumque in principe coniungi oportet: alterum sine altero aut exosum aut contemtum reddit et pessundat. pertinet huc epigramma Graecum incerti auctoris εἰς ἄρχοντα, Antholog. 4 4, εἰς εἰκόνας βασιλέων, Μῖξον μειλιχίῃ etc. RITT.

43. *secundis*] nempe *partibus,* quas Iustini erat agere accipiendo imperium: primas enim egerat Iustinianus, qui moriens

eum sibi in imperio successorem elegerat. *secundarum* ac *tertiarum* dicebantur actores illi, qui secundum tertiumque in agendo locum obtinebant. vide Plinium 7 12 seu § 10, et Val. Max. 9 14. Fogg.

48. *firmavit avunculus*] sic infra v. 146 et 179. Iustinianus imperii successorem sibi designarat Iustinum, sororis suae Vigilantiae et Dulcissimi filium, quem adoptaverat sibi in locum filii, sicut ipse antea a Iustino 1 adoptatus fuerat. Ritt.

49. *lacrimas*] in Homero vituperavit Plato quod heroës flentes aliquando inducat: ille enim ducem principemque exigit qui sit ἀπαθής, *sine affectuum stimulis;* quod placuisse video Stoicis apud Senecam saepe. at longe id ab humanitatis legibus remotum: nam ut lib. 1 Aen. Maro, *sunt lacrimae rerum, et mentem mortalia tangunt.* Alexander visis quattuor militibus Graecorum foede mutilatis flevit, Curt. 5, et poenitentia suorum, 10, et in funere Clyti, 8, et Iulius Caesar, Sueton. c. 33, et Titus Augustus, Paullus Diacon. 9, et Aeneas. Virgil. 5: *et consanguineo lacrimans commendat Acestae.* et Iulius Aen. 9: *sic ait illacrimans.* Claudianus in Ruffin. 2, ubi varie discernit super hac re; *galeasque solutis humectant lacrimis.* Dempst.

50. *vivit pater aethere, vivit, et fruitur*] sic restituenda fuit distinctio. Ritt.

52. *curas* nos reposuimus pro *sudores,* quod minus congrueret et rationi carminis atque sententiae; nisi alicui potius *nunc* expungendum videatur. quin et Corippus hoc loquendi modo utitur inferius lib. 2. Ruiz. in priore editione admonuit Assagrius in ms fuisse *sudores suscipe rerum;* quod tolerari posset, ex Horatio lib. 1 od. 15: *sudor* enim *difficilis labor.* Stat. lib. 7 Thebaid. *sudata sub Haemo praelia.* Claudian. de 3 Hon. consulatu: *quem merui te non sudante triumphum.* sic enim recte in ms meo codice legitur, quo utor beneficio et dono maximi Bongarsii; quam lectionem admittit editio Plantiniana posterior, licet in editione priori Delrii sit *suadente,* quod recipit Gryphii codex et Venetus ante centum et quadraginta annos excusus. neque tamen displicet *curas nunc.* infra 2 180, 3 139 et alibi. Claudian. de 3 consul. Honorii *patrium orbem curis aequalibus regere* dixit. idem in Ruffin. 2: *non pudet Ausonias curas et iura regentem.* sic enim legit doctissimus Furnerius, et in Parisiana sic excusum, licet manuscriptus meus codex et Venetus antiquissimus *currus* habeant, recto etiam sensu: nam praefecti praetorio curru vehebantur, ut ibi multis ostendi. Dempst. cum in ms cod. visum sit Ruizio librarium scripsisse *sudores nunc,* fortassis si legas *modo curas,* vestigiis ms cod. inhaerebis magis. Fogg.

53. *est.* legebatur vitiose *et.* Ritt.

57. *omina.* sic reposui: ante erat *omnia,* idemque mendum in innumeris erat poëtis. Franc. Modius observat. Valer. Flacc. Argon. 7: *sola fui, tristes thalamos infestaque cerno omnia.* lege *omina.* corruptus et Claudian. de 6 Honor. consulatu in principio, *certius omina surgunt:* sic enim et Venetus codex et Gryphii et ms meus. et de raptu 2: *omnia perpetuo genitalia foedere sancit.* lege *omina,* ut ipse explicat in Ruffinum 2: *thalamis proprium genialibus omen,* et de laud. Serenae, quem librum codex meus manu exaratus non Claudiano sed Gyraldo cuidam tribuit, ibi ergo: *omnia non audet genitrix tam magna fateri. omen nuptiale* res trita et obvia. Stat. silv. 1 2: *etiam socialia praesto omina.* Dempst. scripsi *omnia,* ut indubius legisse videtur Ruizius in ms: aptam enim loco sententiam ea vox conficit. alii suffecere *omina.* at si opus foret, malim *somnia.* saepe quidem in codd. τὸ *omnia* pro *omina* irrepsisse non pernego, sed saepe etiam in mss codd. occurrit, ut si qua vox desinat in littera per quam incipit subsequens, ea littera non duplicetur; et certe aptius *somnia* cum verbo *fingi* coniunges. Virgil. Ecl. 8 108: *credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Fogg. sine dubio reponendum *aut credas omina fingi,* adstipulante illustri Heinsio ad Sabin. epist. 3 v. 82. verum de crebra hac permutatione conf. Carrionem in Val. Flaccum 1 231, et Ios. Mercer. ad Aristaenetum 1 3. Vonck.

58. cum omnia, tum hic tum in sequentibus, futuri temporis memorentur gesta, et praeterea laboret metrum, malim omnino *mirabitur acta.* Vonck.

59. *miratus*] legebatur *miratur.* Ritt. *miratus*] Horatius 4 9 15. Fogg.

60. *prae*] recte [cum Ruizii margine] *per se* lege, id est nullo impellente. Iuven. 10. Horat. lib. 3 od. 4: *vis consilii expers mole ruit sua.* Dempst. recte pro *prae se,* quod olim legebatur, Dempsterus restituit *per se,* id est sua sponte, idque iam Ruizius in margine notarat. eadem locutio reddenda Curtio lib. 4 4 5: *Neptunum occupati maris vindicem arripuisse belluam, ac molem brevi profecto ruituram.* lege mecum *brevi per se corruituram.* etenim *profecto* turpiter languet. Vonck.

61. *afficiet,* hoc est ad extrema usque summamque incitam rediget, ut prae ceteris pressi sint et non audeant malas suas artes exercere. ita *afficere* est consummare, quod verbum videtur animo habuisse Cresconius noster. pietatis autem erat non plane conficere sed ad extrema redigere, ut verti ad bonam frugem possent. Gellius 3 16: *affecta enim, sicut M. Cicero et veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipsum sed proxime finem progressa deductave erant.* Corippus tamen vulgatam scripturae interpretationem potius quam illum antiquitatis usum secutus videtur. Barth. pro *affi-*

cietque lege *affligetque*. Iustinianus Prooem. instit. princ.: *imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam sed etiam* LEGIBUS *oportet esse* ARMATAM. sane et noster versu sequenti addit: *barbara Romanos augebunt bella triumphos, regnaque sub vestris venient fortissima plantis*. VONCK.

61. *viros legum iniquos*] similiter illi dictum, *iuris religiosus* vel *religiosissimus*, quae est laus imperatoris Marci apud Papinianum lib. 67 § ult. D. de legat. 2 et Iustinianum in prooem. Institut. RITT.

ib. *ensis*] prisca republica in suppliciis capitalibus non ensis sed securis. sub imperatoribus gladius introductus. critici omnes nostri aevi. Claudian. de bello Gildon.: *tertia iam cervix solito mucrone rotetur*. et de 4 Honor. consulatu: *gladiis submittunt colla paratis*. et post eodem Panegyrico: *non imminet ensis*. et in Ruffin. 1, ubi multa mihi dicta ex IC et aliis: *pro saevior ense parcendi rabies*. DEMPST. alludit ea quae latius leges 4 48, et quae pluribus exponere studui in Praefatione. FOGG.

66. *virgo*] pietas: nam quod Mariam adscripserant, non probo. RITT.

68. *pulsu*] lege passu. VONCK.

69. cum ad finem huius versus imperfecte *cae* tantum legeretur in ms, nos *catenis* ex coniectura superaddidimus. RUIZ. limina aedium imperialium cancellis claudebantur; nota res. Sidon. Apollin. 1 ep. 2: *inclusa velis* (limina), *exclusa cancellis*. interpres doctissimus: quo refero illud Iuliani principis *εἰς κάγκελον οἰκίας: ἣν κλείσῃς μ', ἀνέῳγα, καὶ ἣν οἴξῃς, κλείσεις με· τοῖος ἐὼν τηρεῖν σὸν δόμον οὐ δύναμαι*. sed de catenis, quibus ostia muniebantur, non memini me quicquam legisse, nisi forte ianitores catenatos hoc loco intelligamus. Sueton. de clar. rhet. 3: *dicitur servisse atque ostiarius veteri more in caterva fuisse*. Budaeus 4 3, et critici ad Petron. Claudian. 3 de raptu: *domus excubiis incustodita remotis*. Tibull. 1 6, Ovid. Amor. 1 6, Cassiodor. 11 40. Afranius apud Nonium: *titinnire impedimenta ianitoris audio*. DEMPST.

ib. de ianitoribus catenatis exposui, sed perperam: nam serae antiquorum pensiles erant transmissis catenis, quas posti inserebant, ut cum ianuae essent aperiendae, e catenis, quibus inhaerebant, serae eximerentur, longe alio ritu quam iam fiat: nam serae priscorum exemptiles, nostrae fixae. Turnebus 19 7. Ovidius: *tota patet dempta ianua nostra sera*. et Fast. 1: *et iam contigerant portam, Saturnia cuius dempserat appositas invidiosa seras*. idem Amor. 1 6. Non. in *patibulum*. Petron. Satyr.: *dum loquimur, sera sua sponte delapsa cecidit, reclusaeque subito fores*. et ad illam consuetudinem allusit, ut puto, Propert. 4 12: *et iaceat tacita lapsa catena sera*. ID.

70. *custos*] Sen. lib. in sap. non cad. iniur. c. 14: *sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor obsidet.* Virgil. Aen. 11: *fidusque ad limina custos.* non in atrio ille, sed in vestibulo. Iul. Pollux. 1 8. Ovid. Fast. 1: *utque sedens vester primi prope limina tecti ianitor egressus introitusque videt.* dicam infra. locus est elegans de importuno ianitore apud Heliodorum Aethiop. 8, ubi Bagoas Euphratem *καταλαβὼν ἐπὶ τῆς εὐνῆς ἀφύπνισέ τε καὶ θορυβούμενον καὶ τίς οὗτος βοῶντα κατέστελλε, Βαγώας ἐγὼ λέγων.* Dempst.

76. deerat hic verbum: nam sic legebatur, *surge Calinicus ait.* supplevi addendo *agedum.* Dempst. *surge, eia, Calinicus*] interposui *τὸ aia,* qua sine claudicabat versus. Ritt.

77. [ms *domini.*] mecum se legas *dominis,* restitues profecto Corippo, quam eleganter exprimere intendit, custodis promptissimam solicitudinem nuntiandi Iustino et Sophiae Callinici ad fores intempestivum adventum. hinc v. 89 inquit: *fit iussis mora nulla dei. dei,* qua religione paullo ante v. 85 dixerat: *licet haec deus omnia fecit,* et v. 52: *cape dona dei.* Fogg.

78. Callinicus idem sonat ac si dicas *pulchram victoriam,* atque inde, inquit poëta, *auspicium* Iustino *felix:* est enim Callinicus hymnus victoriae, ut apud Latinos *io Paean, io triumphe,* Athen. Dipnosophist. 14 12, idque praesertim in honorem Herculis. Iul. Pollux 4 14. Euripides in Hercule furente, ut observat doctissimus Muretus var. lect. 3 11, *τὸν Καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασεν.* et milites Iustinianum *Καλλίνικον* vocarunt, Procop. belli Pers. 2. sumebantur ante auguria in successione regnorum a nominibus. Victor in Theodosio; vide et Suetonium Aug. 96. non desunt viri qui putent hunc Callinicum eundem esse cum *Calonino,* quem Nanium principem appellat Diaconus 16 in Iustiniano. Adamus Abrenethens, collega et civis meus suavissimus olimque periculorum particeps, iam medicinae doctor et praepositus gymnasio Monspeliensuum, censebat, cum nulla esset aut rara apud historicos mentio Callinici, eundem esse cum *Calogenito* apud Cassiodorum 10 ep. 8, et certe mire omnia conveniunt. at ego invenio apud Leontium scholasticum epigramma de imagine Callinici cubicularii: *κάλλει μὲν νικᾷς κραδίης τόσον ὅσσον ὀπωπῆς· τῆς γὰρ ἐπωνυμίης ἄξια πάντα φέρεις.* meminit noster infra, et lib. 4 n. 5. Dempst. *illo de nomine*] Calinici nempe, quo bona victoria significaretur, ut mox sequitur. versus autem causa Calinicum dicit pro Callinico: nam sic Graeci constanter *καλλίνικος,* non *καλίνικος.* notum ex antiquitate, solitos boni ominis causa citationem nominum ordiri ab iis quae bene auspicata essent. ita nimirum undequaque omina colligebant. porro hunc Callinicum iam senem fuisse et patricium seu patrem principis, constat ex fine libri 4. ubi de hac dignitate pauca notabo. illud hic insuper operae pretium fuerit observare.

in faustis acclamationibus et gratulationibus imperatores a populo salutatos atque appellatos fuisse καλλινίκους. hinc veteres glossae: *invictissimus* καλλίνικος, et Archilochus: καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεις. quo respexit opinor Suidas: καλλίνικος ὁ Ἡρακλῆς. idemque epitheton eidem Herculi tribuitur in vetere epigrammate, quod domui suae quidam praescripserat. ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν. deum nempe tutelarem praescribebant averruncatorem illum malorum totius orbis, ne quid mali sua limina intraret. cum autem herum illius domus hominem improbum esse constaret, festive illum lusit Diogenes Cynicus: *quomodo ergo*, inquit, *fas erit dominum ingredi suam domum, si nihil mali intrare debet?* exstat apud Theodoretum oratione de Providentia. Ritt.

81. *bona Victoria.* Graecam imitationem habet hic versus, quo καλὴ νίκη redditur: nam καλόν et ἀγαθόν synonyma sunt ei linguae. *bona* vero favens est et commoda, prospera atque utilis, ut *bona Iuno* apud Horatium. facit apprime huc quod laudatissimo illo Glossario καλλίνικος *invictissimus* exponitur. Barth.

83. verum esse Calinicum tum in officiis aulicis fuisse non nego: at eo poëta allusit, quod ad ingressum imperii ea voce solitum Cpoli novo principi acclamari. Georgius Cedrenus de Nicephoro Phoca: ταῦτα δὲ ποιοῦντες ἐν ταῖς πλατείαις τῆς πόλεως ἔν τε ταῖς ἀγοραῖς ἔν τε τοῖς στενωποῖς Νικηφόρον ἀνευφήμουν Καλλίνικον. non opus ergo ut de eo nomine tam sollicitus sit doctissimus Dempsterus, qui fuerit Calinicus, cum poëtae liberum tale quid fingere licet, ut dixi, exque sequentibus patet, sit aulici alicuius nomen. Barth.

84. *minister.* assentior legentibus apud Suetonium Aug. 2: *avus eius municipalibus ministeriis* (olim *magisteriis*) *contentus.* Valer. 7 3 9. Apul. 9: *immissis itaque lictoribus ceterisque publicis ministeriis angulatim cuncta perlustrare iubent,* et 10: *donec iussu magistratuum ministeria publica annulum ferreum conferunt.* Sen. Octav. dixi infra: *malus est minister regii imperii, metus.* Dempst.

85. *haec deus omnia fecit.* sic infra v. 182. Ritt.

86. de suorum carminum praeconio loquitur, quo aeternitatem simul cum imperatoribus spondet Callinico, exemplo Maronis: *si quid mea carmina possunt, nulla dies unquam memori vos eximet aevo.* Barth.

87. *mercede* est *pro mercede,* eius vicem. Barth.

89. *mora nulla dei*] nullus hic *deo* locus. forte per compendium scripturae irrepsit vitium, et legendum *fit iussis mora nulla, domus mox claustra resolvens.* Vonck.

90. *stridenti cardine*] exemplum imitatur heroicorum aedificiorum, quibus aheni plerumque a poëtis cardines substruuntur.

Virgilius Ciri: *marmoreo aeratus stridens in limine cardo.* Lucretius 2: *aëraque quae claustris restantia vociferantur.* Barth.

91. *visio*] somnium illud de quo supra. mox v. 114 vocat *ostensa.* Ritt.

94. *ut*] legebatur *et.* Ritt.

95. luxuria insana bracteis aureis aedium fastigia integebat. Propert. 3 1: *quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis, nec camera auratas inter eburna trabes.* Petron. Arbiter in civili: *aedificant auro, sedesque ad sidera mittunt.* Dempst.

97. nulla erat huc usque numerorum discretio, argumento liquido multa intercidisse. Dempst.

98. *luce sua radians*] Manasses in Annal. *quam splendidus ac magnificus fuerit, indicio est aurea domus in regia, Gratiarum elegantia fulgoris, et omni ex parte quasi radians.* Ritt.

ib. *aperto.* sic 2 84: *divalia tecta subibat.* interior quaedam aedificiorum pars subdivalis erat: sed cave cum *atrio* confundas aut cum *impluvio,* cum Varro 4 de ling. Lat. distinguat. adde quod *atrium* (Gell. 16 5) prima domus pars, *impluvium* vero aut subdivalis ille locus in meditullio aedium. clare Maro. Aen. 6: *aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe ingens ara fuit.* Festus: *genus aedificii ante aedem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* quod intellige ratione porticuum: tres enim porticus extrinsecus ei adhaerebant, inter quas impluvium, Isidor. 15 3, ut omittam in atrio fieri ignem solitum, unde *fumosas imagines* interpretatur recte Britannicus (ad sat. 8 Iuven.) sordidas fumo, igne in atrio extincto. quis autem vidit ignem sub dio quotidie fieri, nisi ut leones terreantur? quid quod in atrio *expressi cera maiorum vultus,* ut loquitur Plinius, quos liberi et aperti caeli iniuriae exponere quam ridiculum! Auson. in Mosella: *i nunc, et Phrygiis sola consere laevia crustis, tendens marmoreum laqueata per atria campum.* Apul. Metam. 5: *summa laquearia citro et ebore curiose cavata subeunt aureae columnae.* neque dicas alas tectas per laqueata atria intelligi: nam praeterquam quod nullum adfertur exemplum, Cicero stat contra, de praetura urbana: *considerat templum, videt undique tectum pulcherrime laqueatum.* plura disquisivi ad illud Claudiani in Ruffin. 2: *purpureis effulta columnis atria.* adde et velis tegi solita atria in laetitia. infra 3 206. Dempst.

ib. mendum superest, quod non animadversum mirari velis. unica litterula mutata legas *ut aperto libera caelo.* non minus ait luce metalli radiare quam si fulgore solis illustraretur. sic aemulam caelesti lucem metalli dicit Claudianus, qui omnium talium poëtarum Maro est, de Roma, 2 Stilichoniarum: *luce metalli aemula vicinis fastigia conserit astris.* possit tamen alia

quapiam interpretatione etiam quod vulgatum est tolerari, si *libera ... non indigena* exponatur, quae satis per se splendida non indigeat luce caelesti. sic Tibullus de Aegypto: *arida nec pluvio supplicat herba Iovi;* quam eandem, pari sensu, non indigam et securam caeli Claudianus idem dictitat; et *nihil caelo debere* Plinius Paneg. 98. BARTH.

99. *vitrei metalli*] crystallum intelligit, ut metallorum nomine omnes gemmae censeri possint aut pretiosi aliqui lapides. vide quae notat ad Agrimensorum collectionem doctissimus vir Nicolaus Rigaltius. saxum, gemmam, lapidem, silicem crystallum vocat Claudianus. BARTH.

100. cum de rebus caelestibus ad humana comparatis loquuntur scriptores, solent, irae numinum scilicet avertendae causa, adiicere *si fas est* aut tale quid. Ovidius Metam. 1: *hic locus est, quem, si verbis audacia detur, non timeam magni dixisse palatia caeli.* Naevius Epitaphio suo apud Gellium 1 24: *immortales mortales si foret fas flere flerent divae Camoenae Naevium poëtam.* Virgilius Ciri: *magno intexens, si fas est dicere, peplo qualis Erichtheis olim portatur Athenis.* BARTH.

101. quae domesticum nimirum suum splendorem secum habitantem semper habet. BARTH.

102. *miranda*] in ms erat *mira.* RUIZ.

ib. et seqq. imitatus in his est Virgilium Aen. 1 163. VONCK.

104. videtur describi Portus iam Hormisdae aut Iuliani, deinde vero Sophianus, ac deinceps aliis etiam nominibus appellatus, qui in veteri novae Romae descriptione in regione 3 statuitur. ibi palatium fuisse Sophiae nondum Augustae adfirmat Codinus, et Theophanes narrat Sophiana ad eum palatia fuisse a Iustino Aug. extructa, quia, cum esset curopalata, Iustus eius filius ex Sophia in aede S. Michaëli sacra ibidem sita sepultus fuerat. Corippi versus conveniunt cum epigrammate in palatia Sophiana, quod Mariani Scholastici nomine inscriptum exstat in Anthologia, apud Zonaram vero nomine Agathiae. FOGG. brachia sunt curvaturae et flexiones portuum. Avienus ora maritima: *sinuentque late, ut tuta portus, brachia.* BARTH.

106. hoc est *stationi.* Venantius Fortunatus, huic poëtae aequalis tempore, sed stilo longe minor, 2: *carcere, caede, fame, vinclis, site, frigore, flammis.* 3: *restinguunt avidam dulce liquore sitim.* 2: *sanguinis hoc Christi dulce liquore lavet.* idem 8: *Moses ante alios dux, mare teste, viros.* idem eodem: *quos gladiis saxisque, fame, site, frigore, flammis.* BARTH.

108. *refluas.* Virgil. Georg. 4 262: *refluentibus undis.* at dictio elegans *refluus:* usurpat Claudianus in Ruffin. 1: *refluis incertius undis.* sic enim legitur in editionibus Plantiniana et Gryphiana ex membranis Pulmanni, licet codex meus exara-

tus calamo, Venetus et Delrii *flavis* legant. at sine controversia est de 3 Hon. consul.: *Tethyos alternae refluas calcavit arenas.* et numero sequenti infra *refluus amnis.* Dempst.

110. *fretum*] forte ex saeculi sui genio scripserit poëta: *undivagum spectare ferum*, ut *ferum undivagum* dixerit pro *feras undivagas*. dubitat quidem Burmannus an *ferae* de belluis marinis recte dicantur, et nondum didicisse se ingenue fatetur ad illa Lucani 1 412: *ventus ab extremo pelagus sic axe volutet, destituatque ferens.* sic tamen plus semel Ovidius belluam marinam, a qua devoranda ad scopulum alligata erat Andromeda et quam Perseus confixit, *feram* appellavit, Metam. 4 706, 712, et 718. Pedo Albinov. in fragm. de navigat. German. v. 101: *seque feris credunt per inertia fata marinis.* ceterum in Lucani loco, quod obiter addere liceat, pro *ferens* legerim *furens*, sic ut ad pelagus referatur. inspice quae antecedunt, et idem senties, opinor. passim voces hae confunduntur. *furere* autem, sicut et *insanire*, dici pelagus, ubi ventis agitatur, quis ignorat? Vonck.

ib. in Spec. Critico tentabam *undivagum spectare ferum*; et sic sane *fluctivagam praedam* Sedulius dixit 5 395. *feras* autem vocari belluas marinas, praeter Ovidii et Pedonis Albinovani loca, docet etiam Claudianus de nupt. Honor. et Mar. 160: *nec non et variis vectae Nereides ibant, audito rumore, feris.* Sedulius 1 178, de Iona, quem cetus devoraverat: *tutusque in ventre ferino;* ubi vide Cellarium. vel sic tamen nihil nunc in Coripmo mutari velim: sic enim et 2 327. Althelmus de laude Virg. sub init.: *sic quoque fluctivagi refrenas caerula ponti,* et v. 1082: *turgida fluctivagis sopivit caerula campis.* Fortunatus de vita Martini 4 1: *post mare fluctivagum repetens ad littora portum.* Id.

111. *gemini*] expressum a Claudiano lib. 1 de raptu: *geminoque facis commercia mundo.* Dempst. *gemini mundi*] Asiam et Europam. sic Avienus luculento carmine Periegesi: *una Asia inclinans geminis se cornibus urget desuper, ac rupti divortia continet orbis.* idem pariter tres terras vocat Asiam Africam Europam: *terrarumque trium modus est mare.* porro situm Cpolis, hic Corippi loco velut necessarium, petere debes ex epitome Xiphilini 74 Dionis Cassii. Barth.

ib. proprie *commercia:* nam disiunctas gentes docuerunt iungere merces, ut ait Priscianus, qui utique est auctor Dionysianae interpretationis, praecipue si membranis auctoribus niti velis obnixius. Manilius, *fecit et ignotis iter commercia terris.* Barth.

115. *pensare curas* hic est curas aequare, parili sollicitudine adfici, quod Virgilius *respondere curis* Aen. 6 474. Vonck.

116. omnium affectuum vehementior assultus oculos deprimit. unde apud Alcimum Avitum, minime contemnendum

poëtam, *oculos attolle iacentes* est animum perculsum erige. sic de pudibunda Hero Musaeus: *παρθενικὴ δ' ἄφθογγος ἐπὶ χθόνα πῆξεν ὀπωπήν.* Coluthus paris fere genii poëta: ... *ἡ δ' ἐρόεσσαν ἐπὶ χθόνα πῆξεν ὀπωπὴν δηρὸν ἀμηχανέουσα, καὶ οὐκ ἠμείβετο Νύμφη.* Ovidius: *erubui, gremioque pudor deiecit ocellos.* de ira Statius Thebaide 4: *ille ad humum pallens, unde et furibunda cupido nate tibi* etc. Achilles Tatius 5: *ἰδὼν οὖν καὶ γνωρίσας ἔφριξα, καὶ ἔβλεπον εἰς γῆν ὡς ἐληλεγμένος.* ita Callimachus ad male sibi conscios et profanos de calatho Cereris: *τῷ καλάθῳ κατιόντι χαμαὶ θασεῖσθε βέβηλοι.* ipsum Amorem, qui commune quoddam confluvium affectuum, fictum fuisse ab antiquis luminibus terra defixis discas ex Bionis Smyrnaei Idyllio 3. vatum etiam eum habitum exemplo docuit Eunapius Sardianus. *demissum vultum,* ut modestiae perpetuum signum, inter requisita virginitatis conquirit Chrysostomus commentario de virginitate. BARTH.

117. Virgilianum *casuque animum concussus amici,* hoc est obitu, morte. Silius 4: *urna reducebat miserandos annua casus.* BARTH.

118. elegans est *verbisque in sede relictis.* interrumpunt enim sermocinationem, et velut inibi relinquentes abscedunt. videtur quaedam in prima Iliade transtulisse: ibi enim pariter venienti Iovi dii obviam procedunt. BARTH.

ib. intolerabile visum est, narrante Suetonio Iul. 78, quod Iulius Caesar senatum exceperit sedens pro aede Veneris genitricis. contra vero Tiberius, teste Dione 57 11, magistratus semper, ac si in democratia, honorabat, consulibus etiam assurgens, quibus solitum quoque *decedere de via* addit Suetonius Tib. 31. FOGG.

120. *pater* hoc loco pro *par* repositum. RUIZ. *pater inclitus orbis*] sic v. 167. illustris laus principis dici *patrem orbis.* sic Horatius: *pater urbium subscribi statuis.* sic Augustus *pater patriae dictus,* et quod maius ac gloriosius est, libera adhuc re publica Cicero. notus in hanc rem Iuvenalis versus. quem quidem titulum *patris patriae* Traianus pro sua modestia recusavit, tributum sibi a senatu; unde ei *soli omnium contigit ut pater patriae esset antequam fieret,* ut argute de eo dicit Plinius in Paneg. in quo idem venuste imperatorem nunc vocat *parentem generis humani,* nunc *publicum parentem,* nunc *communem* omnium parentem. Seneca de clement. 14: *patrem quidem patriae appellamus principem, ut sciat datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima, liberis consulens suaque post illos ponens.* RITT.

123. *digito*] indicem sive *δεικτικὸν* intelligit, quem digitum silentium imperantes ori admovebant veteres; idemque dicitur a nonnullis *salutaris,* quod rem saluti maxime conducibilem, silentium, denotaret. Lilius Giraldus dialog. 2 quo sensu Iu-

ven. 1: *cum veniet contra, digito compesce labellum.* praesides taciturnitatis dii apud Aegyptios Harpocrates, apud Romanos Angerona, *simulacra ore obsignato habebant.* Plin. 3 5, et ex eo Solinus Polyhistor. c. 1. Ovid. Metam. 10: *quique premit vocem, digitoque silentia suadet.* Auson. ep. 25 ad Paullinum: *aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet.* mos indicendi silentii optime ab Apuleio exprimitur Miles. 1: *digitum pollici proximum ori admovens, et in stuporem attonitus, tace tace inquit.* simpliciter dixit Martian. Capella de nupt. physiol. et Mercurii 2: *digito salutari silentium commonebat.* vide Iulium Pollucem 2 4 32. Dempst. ori unius digiti impressio silentii servandi erat indicium. vide eruditissimum Dempsterum. Augustinus de Civit. Dei 18: *in omnibus fere templis, ubi colebantur Isis et Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur ut silentium fieret.* mos eorum qui concionaturi erant. divus Lucas lib. 2, qui est de Act. Apost., c. 12, 13 et 21. Barth.

123. *dextra*] imitatus est Lucanum 1, ubi Caesar *tumultum composuit vultu, dextraque silentia fecit.* ex eodem Pers. 4: *fert animus calidae fecisse silentia turbae maiestate manus.* Spartianus in Iuliano Aug.: *manu eos semper placare cuperet.* locus est elegans apud Heliodorum Aethiop. 10: *καὶ οὔτε κηρύκων σιγὴν ἐπιταττόντων ἐπαΐοντας οὔτε τὸ βούλημα τοῦ ταράχου προδήλως ἐκφαίνοντας, τὴν χεῖρα προτείνας καὶ κατασείων πρὸς ἡσυχίαν τὸ κλυδώνιον τοῦ δήμου κατέστελλε.* Augustus *vultu manuque indecoras adulationes repressit:* Sueton. 53. Iuppiter apud Ovid. Metam. 1: *voce manuque murmura compressit.* Stat. Theb. 1: *veniam; donec pater ipse sedendi tranquilla iubet esse manu.* dixi ad illud de bello Gildon. apud Claudianum: *sacrum dextra sedare tumultum.* adde principibus statuas equestres pedestresque, sed maxime equestres, dextra protensa erigi solitas, ad imperium signandum, ut olim Romae memini videre. Serv. ad illud 8 Aen. *et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.* de Domitiani equestri statua Papin. Silv. 1 1: *dextra vetat pugnas.* Dempst. mos priscus oratorum, ut orationes habituri quassata manu sibi facerent ad populum audientiam. sic infra 2 325. sic saepe in Actis apostolicis, ut 13 16: *ἀναστὰς δὲ Παῦλος καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ εἶπεν*; ut 19 33: *κατασείσας τὴν χεῖρα ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ*; ut 21 40: *ὁ Παῦλος ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ, πολλῆς δὲ σιγῆς γενομένης προσεφώνησε* etc. item 26 1: *τότε ὁ Παῦλος ἀπελογεῖτο ἐκτείνας τὴν χεῖρα.* Ritt.

124. quae sequitur comparatio non est indigna quovis bono poëta. versus optimi; et habet sane non pauca Corippus bona et aequalibus suis meliora. Barth. *cum* posui ubi erat *quam.* agger est moles aquae obiecta ad prohibendum fluviorum marisve

egressum; ex IC et aliis docuit eruditissimus Savaro ad Sidonium suum 1 ep. 5 et ad carm. 2. adde Cassiodorum 9 ep. 6, et poëtas, Claudianum de 6 Hon. consulatu: *excipiunt arcus operosaque semita ductis molibus.* Ovid. de Arte 3: *nec quia caeruleae mole fugantur aquae.* Lucan. 2: *sed molibus undas obstruit et latum deiectis rupibus aequor.* Valer. Flacc. Argonaut. 1: *longo moles non pervia ponto.* Dempst.

128. forte *perit impetus.* non tamen opus mutatione puto: par enim etiam in illo sensus. sic Claudianus: *vanescit inanis impetus, et fractae redeunt in castra procellae.* Barth.

130. Maroniana imitatio est. sed melius mea opinione legetur *patri.* Barth. legebatur *patris.*

133. laesa est distinctiuncula, quam doctissimus interpres poterat corrigere. scribe: *Augustum, Iustine, genus: te principe dignum.* estque ex illo sextae Aeneidos: *Augustus Caesar, divum genus.* Barth.

ib. *principe*] hoc est *principatu*, ut infra 3 124: *quarto consule;* seu mavis, dignum ut te princeps in successorem eligeret. Fogg.

137. Iustinus enim, ut constat ex Iohanne Zonara, apud avunculum Iustinianum summam curae palatii dignitatem, quam curopalatem, ex Latino factum nomen, Graeci vocant, obtinebat. cui postea Caesari iam de more appellato Baduarius eius gener in eadem dignitate successit, ut manifesto patet inferius, 2 284. Ruiz. Iustinianus dedit palatii curam nepoti Iustino, qui ideo *curopalates* dictus: Diacon. 16, Cedrenus et alii. at eo summum adepto imperium Baduarius gener vel Biduarius, ut dicam, id muneris sortitus: infra 2 284. id officii diu ante haec tempora. Sidon. Apollin. carm. 23. Savaro ibi. *intra aulam soceri mei expetitus, curam cum moderatus es palati.* huius munus erat ut *aurea virga decoratus inter obsequia numerosa ante pedes regios primus incederet:* Cassiodor. 7 ep. 5. et apud illum *cura palatii,* ut hic. ego vero, cum et carminis lex non obstet, et vocabulum hoc aevi, quo ista scribebantur, sit usitatissimum, putavi legendum: *vocitatus curopalates.* et sane quem Zonaras κουροπαλάτην t. 3 in Iustino, in Leone Isauro et in Stauracio appellat, *curam palatii* vocat Ammianus 31, ut certum sit idem esse. notat maximus Brissonius, et monuit me vir acerrimi iudicii et multisciae in Graecis Latinisque lectionis, Fr. Sizaeus Santo, *curam palatii* nominari ab Honorio Aug. l. 7 C. de comit. et trib. scholar. l. 12. Dempst. *curopalatem* vocant recentiores historici Graecorum. apud Photium Biblioth. nullius maior gloria quam *curopalatae.* *curopalatam* ante pedes regios primum incessisse inter numerosa obsequia, virga aurea decoratum, refert Cassiodorus 7 Variar. dicebatur etiam μέγας δομέστικος, ut

ostendit Codinus in sua *cura et regesto palatii.* apud Francogallos praefecti palatii et maiores domus vocabantur. Ritt.

138. forte *iam.* Ruiz.

ib. *dispotu* legebatur vitiose in ms codice. Ruiz. recte *dispositu;* quod si malles legere *dispositus*, sic infra v. 260. Fogg.

ib. in his, et quae sequuntur aliis, liquide Corippum expressit cultissimus aevi sui poëta Guntherus in Ligurino 1 265: *quem sibi, dum supra frueretur luce superstes, rex patruus dignum gaudebat habere nepotem, multaque cognati mandare negotia regni sueverat, et socium summis adsciscere rebus.* confer, si lubet, apud utrumque reliqua: nam haec ulterius exsequi nunc non vacat. Vonck.

139. *regni summa*] dixi de huiusmodi formulis ad Symmachum. tale est quod dicit infra 3 318. Ritt.

141. una littera mutanda etiam est, ut sententia fiat elegantior. scriptum asseverare ausim a Corippo *magnanimis seu fortia bella moveret.* armis enim fortibus fortes oppugnasse ait, animo retinens et exprimens Maronis versum de Romanis: *tu regere imperiis populos, Romane, memento, parcere subiectis, et debellare superbos.* pariter idem expressit Claudianus Stilichonis 2: *obvia prosternas, prostrataque more leonum despicias, alacres audent cum sternere tauros, transiliunt humiles praedas. hac ipse magistra des veniam victis.* nec minus Rutilius de reditu suo ad Romam: *hinc tibi certandi bona parcendique lubido quos timuit superat, quos superavit amat.* error autem in Corippum inde venisse videtur, quod τὸ *magnanimi* non fuerit intellectum: non enim tam fortem virtute quam confidentia quadam vecordem notat, cum videri velint scriptores Romani urbem illam gentium dominam non sine scelere aut infamia ab exteris gentibus bello tentari; cuius rei non est infrequens mentio apud Claudianum, qui plerorumque post poëtarum pater est. sic eadem voce non in bonam partem usus est Petrus Pictaviensis, scriptor ingenio bono: *non poterunt ultra sub ovini velleris umbra horrida magnanimi verba latere lupi.* Barth.

ib. *te sine.* formula frequens notata Savaroni maximo ad Sidonii sui carmen 7. adde Curtium 7: *multa sine rege prospere, rex sine illo* (Parmenione) *nihil magnae rei gesserat.* Maecen. Cilni: ..... *nihil sine illo laetum mens mea iam putabat esse.* Valer. Flacc. 8: *tetigissent littora patris te sine.* Claudian. de 3 Hon. consulatu: *quid enim per praelia gessi te sine.* Dempst.

143. *plenus dierum* a Corippo ex sacris litteris ducitur. quibus consonat hac in re Lucretius 3: *cur non ut plenus vitae conviva recedis?* Barth. sic in sacris litteris saepe senes *saturi dierum* dicuntur. praeclare Varro περὶ γήρως apud Nonium: *sic invitata matura anima corporeum corticem facile relinquit.* Ritt.

144. imitatus est Theodosium Augustum ibidem loci moriturum: *me vero quoniam caelestis regia poscit, tu curis succede meis.* DEMPST.

145. *suscipe*] ita reposui pro *suspice,* quae duo sibi saepe invicem obrepserunt perperam, tam in aliis scriptoribus quam in ipso Corippo. RITT.

148. *sustinet* est exspectat, sperat, praestolatur. Tertullianus c. 6 contra Iudaeos: *regni aeterni aeternus dominator quaerendum an venerit necne. et si iam venit, serviendum est illi: si necdum venit, sustinendus est, dummodo sit manifestus adventus eius.* Hieronymus ad Marcellam: *mensuram caritas non habet, et impatientia nescit modum, et desiderium non sustinet.* BARTH.

ib. *aula* est imperium Romanum. Ausonius: *primus Romanam patefecit Iulius aulam.* Corippus hoc libro: *nec mutans dominos Romana videbitur aula.* BARTH.

149. *lumen*] pro principatu aut qualibet eminentia. Gudelina Theodorae Augustae: *quia vos abunde fulgetis* (Cassiodor. 10 ep. 21), *nobis libenter de proprio splendore impertiamini, cum damnum non est lumini alteri de sua claritate largiri.* infra lib. 3 83: *lumenque secundum hanc dicunt.* Claudian. in Praefat. ad consul. Manlii in codice Veneto antiquissimo: *lumina Romani maiestatemque senatus.* at in ms meo, Plantin., Gryphian., Collin. et aliis omnibus *culmina* habetur. auctor consolationis ad Liviam: *non eadem vulgusque decent et lumina rerum.* Stat. Silv. 5 2: *obscurum proavis, nec priscae lucis egentem.* Teaetetus vetus poëta: *τοῦτον Ἰουλιανὸν νομικῆς φάος εἶπον ἰδοῦσαι Ῥώμη καὶ Βερόη.* DEMPST.

150. *in te spes nostra resurgit*] similiter supra v. 25 elatum est. BARTH.

154. *orabat* hic pro *ornabat* restitutum. RUIZ. in antiquo codice erat *ornabat,* male: nam preces senatus ad eum delatas significat. imitatus Statium Silv. 4 2: *precibusque senatus permittes hunc saepe diem.* DEMPST.

157. *creverat orabat dominos*] emaculandum: *creber adorabat dominum.* osculum pedum ex fastu orientalium regum barbaraque superbia venit, nam iam dum Persis rerum potientibus non fuisse ignotum docemur a Xenophonte Paedia 7. BARTH. Barthius hunc versum mirifice restituit. FOGG.

158. Persarum hic mos fuit, suorum regum (quos *Magos* vocabant) pedibus advolvi pronos et oscula figere; quam *προσκύνησιν* Seneca *Persicam servitutem* vocat de benefic. 2 12 et de ira 3 17. vide Brisson. de regio Persarum principatu. ab his postea ad alios quoque manavit idem ritus osculandi pedes. hinc Caesar gratias agenti Pompeio pro donata sibi vita sinistrum pedem ad osculandum porrexit, ut est apud Senec. d. loco. Cali-

gula autem et Diocletianus etiam edicto sanxerunt ut omnes sine discrimine generis prostrati pedes sibi exoscularentur. quanto humanius Traianus, qui huiusmodi sibi honores deferri passus non est: *non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis,* inquit de eo Plinius Panegyr. 24. quanto item humanius Petrus apostolus, cui cum se Cornelius centurio supplex ac venerabundus ad pedes abiecisset, *surge,* inquit, *ego quoque homo sum.* Act. 10 26. RITT. id obsequii genus Iustinianum ac Theodoram eius uxorem exigere consuevisse notat Procopius Hist. Arcan. c. 29. FOGG. *divinis* dixit, quia alioquin deorum statuis is honos habebatur. Prudentius: *Augustum caput ante pedes curvare Minervae fictilis, et soleas Iunoni lambere, plantis Herculis advolvi.* idem: *cernuaque ora senex barbatus et oscula figit cruribus aenipedum, si fas est dicere, equorum.* BARTH.

159. apud Graecos ἱστορεῖν est *narrare,* et historiam vocavit Theophilus πεζὸν λόγον *pedestrem orationem.* adi Horat. 2 12, Marcilium in comment. ad lib. 4 Institut. Imperial. tit. 4 § 1. *narrantis* igitur, id est loquentis. Ovid. heroid. 1: *narrantis coniux pendet ab ore viri.* DEMPST.

160. *sorte*] sic infra v. 273: *humanam sortem,* hoc est fatalem necessitatem; et v. 307: *sorti senioris adempti;* et 4 345: *sorte mea tristis,* Virg. Aen. 2 555: *haec finis Priami fatorum, hic exitus illum sorte tulit.* FOGG.

162. ms *fletusque.* forte *pectus* aut *vultus.* RUIZ. *pectus.* sic reposui, cum instar monstri legeretur *fletusque.* quodsi non placet *pectus lacrimis madere,* lege *vultus.* Aeneid. 9: *vultum lacrimis atque ora rigabat.* DEMPST. Dempsterus et Ruizius *pectusque* maluerunt. cum vero sedeat in toro Iustinus, ego arbitrer consultius *lectusque viri* scribendum, quoniam propius hoc etiam est ad scripturam veterem. sic fletu lectum se suum madefacere ait David rex Psalmo 6, ad quem respexisse Christianus vates videtur. BARTH. Dempsterus se reposuisse ait *pectus,* cum antea instar monstri *fletus* legeretur, quod si non placeat, scribi posse *vultus.* sed dudum Ruizius in margine editionis suae notarat: forte *pectus* aut *vultus.* ultimum id firmatur ex Aen. 1 469. VONCK. legendum esse *vultusque* comprobat Virgilius Aen. 1 469, et Barthium in Barthio quaero aliter sentientem: videtur enim haud animadvertisse ad superiorem v. 119. FOGG.

166. demenda est distinctio interrogatoria: iam enim tempus adesse ait Iustinus ut tristetur. estque allusio ad nomen principis a iustitia, qualem in singulis nominibus captat Corippus exemplo interpretum sacri instrumenti, qui adeo huic rei studuerunt ut ineptias etiam non raro admiscuerint plusquam ineptas, ut videre potes vel ex solis collectaneis in epistalas Paulli,

quae Sedulio Scoto adscribuntur. scilicet ea tum temporis recondita eruditio habebatur. sed ut verum fatear, totus hic versus animo meo νοθεύει, sine quo optima est sententia. et monachus exscriptores ad ostendendam eruditionem in talibus glossarum suarum semper fuerunt liberaliores. BARTH.

166. quaeso, quid est dicere Iustinum *tristem esse per orbem?* nimirum duo postrema verba inepti tibicines versum sustinent, praecipue cum eadem vox sequentem quoque claudat. fuit cum suspicarer sollemnem scripturae contractionem contemerasse aliquid, et *pre* antiquitus scriptum, et mox *orbum*. hoc modo: *quando Iustinum tristem decet esse patre orbum flere libet.* sic v. 124 in exemplari prisco *par* pro *pater* offendit et notavit idem Ruizius. BARTH. Barthius hunc versum modo subintroductum modo immutandum censuit. at temere illud sibi finxit, et hoc alterum exsecutus est minus feliciter. multo rectius a me restitutum esse confido. FOGG.

169. *amavit? et tamen innocuo plures voluere nocere*] sic distinxi, et interrogationis notam, alieno loco positam post *nocere,* transtuli in anteriorem. nota elegans antitheton, *innocuo nocere.* bis nocet peccatque, quisque innocuo nocet viro. sic Iustinianus ipse in oratione ad Calinicum, quam morti vicinus habuit, infra 4 348, significat se habuisse aemulos et nocendi cupidos. RITT.

171. ἐπίφθονον ἡ βασιλεία. RITT.

172. in comitatu funebri nec annulos nec purpuram nec ulla omnino insignia publica gestabant. Tacit. Annal. 3 in funere Germanici: *collucentes per campum Martium faces, magistratus sine insignibus, miles cum armis.* atque hoc est *publicum funus,* nempe cum publicus est omnium luctus. Flor. epitom. lib. 119, et Livius ipse 3 dec. lib. 10 in fine. egregie nec minus docte disputat M. Vertran. Maurus. auctor consolationis ad Liviam: *luctus ut in Druso publicus ille fuit.* explicat postea eum luctum: *iura silent, mastaeque tacent sine vindice leges: conspicitur toto purpura nulla foro.* DEMPST.

173. allabi genibus, pedes amplecti miserorum esse tritum est. Tibull. 1 9. supra 158 *dabat oscula plantis.* Massiliensium hic mos, Caesar de bello Gallico 2, et Persarum, Curt. 4 de Darii matre et uxore; et Graecorum. Ovid. ep. 3: *et iacet ante tuos Graecia maesta pedes.* poenitentiae indicium id. Plin. Iunior 9 ep. 21. denique salutantes principes osculabantur pedes. Iul. Capitolin. Maximin.: *dii prohibeant ut pedibus meis ferat osculum quisquam ingenuorum.* Mart. 10 72: *pictorum sola basiate regum.* apud Romanos, qui in gratiam rediissent, pedes osculabantur. Sen. de benefic. 2 12. usitatissimum hoc Byzantii: nam imperator Cpolitanus habebat calceos εἰς τοὺς

περιπάτους καὶ τὰς προκύψεις, inquit curopalates, id est *ad ambulationem et adorationem.* Dempst.

174. *misereri* cum dandi casu Christiani scriptores iungunt non illibentes. Cyprianus ad Demetrianum ex propheta: *nolite misereri senioribus atque iuvenibus; et virgines et mulieres et parvulos interficite, ut deleantur.* Chromatius in c. 5 Matthaei: *beati misericordes, quoniam ipsis miseribitur deus.* Petrus Pictaviensis panegyrico Mauricii: *certabat pietas fervens in pectore sancto aut bona dando bonis aut miserendo reis.* absolute quidem eodem verbo usus est Ennius Annal. 5: *cogebant hostes lacrimantes ut misererent.* Barth.

179. sed potius maior, cum *omnes omnium caritates una complectatur patria,* teste Cicerone de Offic. 1 17: *et plurima beneficia continet patria, et est antiquior parens, cui maior quam parenti debetur gratia,* ut idem scribit in 1 de rep. idemque ad Att. 9 77 *patriam* vocat *antiquissimam et sanctissimam parentem.* et Philippica 5: *an potest cognatio proprior esse quam patria, in qua etiam parentes continentur?* Varro quoque in L. Maenia ait *culpam esse in eo qui patriam, maiorem parentem, exstinguit.* ambobus praeivit Plato in Critone. hinc apud Romanos, si Aelius patrem, qui ad patriam delendam venisset, occidisset, non solum scelere vacabat, verum etiam praemio dignus iudicabatur; et occisus ob hanc causam non lugebatur, teste Marcello in l. 35 minime ff. de relig. et sumt. fun. Ritt.

180. lege *sceptra suo.* Vonck.

181. sermo Iustiniani ipse late recensetur 4 336. Barth.

ib. infra hoc libro 250 et 3 79: *spes urbis et orbis.* imitatus Ovidium Fast. 1: *Romanae spatium est urbis et orbis idem.* et de Arte 1: *ingens orbis in urbe fuit.* Claudian. de laud. Stilich. 2 in principio: *qualibus orbem moribus frenet.* sic enim legitur in ms Bongarsiano et Veneto codice vetustissimo: in aliis Plantin., Gryph., Delrii *urbem* pari sensu. Dempst. solent ita de Roma aut Cpoli, urbibus regiis, loquentes, illis *orbem* tanquam pedissequum adiungere. sic v. 248 *lux urbis et orbis,* 3 79 *spes urbis et orbis.* Rutil. Itiner. 1 65: *dumque offers victis propriis consortia iuris, urbem fecisti quod prius orbis erat.* sed ibi malim: *orbis fecisti, quod prius urbis erat.* Vonck.

185. non exscribo mythologos de aetatum differentiis disserentes: notum enim est bonorum principum imperia aurea censeri, malorum ferrea. infra 3 78. Claudian. de laud. Stilich. 2 in fine: *en cui distulimus melioris saecla metalli.* Sen. Apocolocynt. de Nerone: *aurea formoso descendunt saecula filo.* hi quidem de bonis principibus: de malis, Tiberio, innominatus poëta apud Suetonium c. 59: *aurea Saturni mutasti saecula, Caesar: incolumi nam te ferrea semper erunt.* Domitiano, Iuvenal. 13: *nunc aetas agitur peioraque saecula ferri temporibus.*

quae distinctio metallorum naturam exprimit. Artemidor. 1 52: τὸ δὲ εἰς σίδηρον μεταβάλλειν συμφορὰς ἀτλήτους σημαίνει· σιδηρέους γὰρ λέγομεν τοὺς πολλὰ κακὰ ὑπομένοντας. adi Hesiodum et Ovidium Metam. 1. DEMPST.

193. ita hunc versiculum legendum existimamus: *divinis animis dolor ille parentis inerrat.* BARTH.

195. *monet*] forte *movet.* RUIZ. *movet*] sic iussi excudi, cum antea esset *monet.* DEMPST.

196. alludere videtur ad SS. Trinitatis mysterium non ineleganter quidem, sed minus religiose. quid simile habes apud Ausonium Edyllio 1. FOGG.

198. *gallorum*] *nocturnarum horarum vocalissima avis gallus:* Suid. in εὐφρόνη. Achmes Oneirocrit. c. 294. Artemidor. 2 47. Tull. Orat. pro L. Murena: *te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat.* M. Varro περὶ ἐγκωμίων: *ille ales qui suscitabat harum Musarum scriptores, an hic quia* (legere malim *qui*) *gregem rabularum.* *avis lucis* Martiali est 14 epigr. ult., *excubitor* Virgilio in Moreto. et tempus illud *gallicinium,* Isidor. 5 30. licet ad sensum vulgarem hic cantus gallorum accommodari possit, tamen puto alludi ad augurium, quod optimum ab hac ave desumi constat, et videtur id velle *acuta voce favorem.* sic Themistocli in Xerxem ducenti certa victoria denúntiata, Tull. de Divinat. 2, et Bocotiis in Lacedaemonios tendentibus, Plin. 10 21. est et aliud genus aruspicinae ex gallis desumptae, Sarisber. Policrat. 1 13 ex Suetonio Tiber. c. 14; et non omittam infortunatissima auspicia a gallinae cantu duci, Terent. Phormione act. 4 sc. 4, ubi Geta prodigia nuptias impedientia recenset. risúm movet mihi Donatus: *anguis per impluvium decidit de tegulis, gallina cecinit.* ad quem ritum Apul. Miles. 9: *gallina per mediam cursitans aream clamore genuino, velut ovum parere gestiens, personabat,* et statim pernicies familiae secuta est. Clemens Alexandr. Stromat. 7. DEMPST.

202. *excubiae*] publica urbis custodia nocturna arcendo incendio olim excubiae (ἡμεροβίγλιον europal.) dicta: Paullus IC lib. 1 ff. de offic. praef. Virg. Aen. 9: *virgilum excubiis obsidere portas.* imago eius rei in Suetonii Augusto c. 23. Artemid. 3 62. at mali principes, ministerio militum tyrannidem usurpantes, suos satellites hoc nomine vocarunt; unde Cassiodoro 11 ep. 19 *tyrannorum excubiae.* Claudian. de 4 Hon. consulatu: *non sic excubiae nec circumstantia pila, quam tutatur amor.* foribus principum praefixae illae, ut privatorum ianitores. idem de laud. Stilich. 2: *quae vestibulo foribusque potentum excubat.* dixi ad illud lib. 3 de raptu: *ut domus excubiis incustodita remotis.* Propert. 4 1. infra 3 165. adde excubias nocturnas in sacris Graecis solemnes, cuius rei auctor Anacharsis apud Herodotum Melpomene, et Romanis, Valer. 1 2 1; quo sensu accipio

illud Valerii Flacci Argonaut. 8: *linquit et undantes mensas infectaque pernox sacra Medon.* Dempst.

203. *intrantibus*] expressum ex illo Claudiani de raptu 2: *dominis intrantibus ingens assurgit Phlegethon.* Dempst.

204. *vallant*] callidum hoc Liviae consilium. Tacit. Annal. 1: *acribus custodiis domum et vias sepserat, laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisis quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem eadem fama tulit.* Dempst.

205. *contrarius* hostilem notat. Virgilius: *littora littoribus contraria, fluctibus undas imprecor, arma armis.* Barth.

208. *nam*] a Corippo, ni fallor, venerat *neu.* semper τὸ *nam* antecedentium rationem innuit, hic vero, ut prioribus cohaereat, nec Lynceus forte viderit. ego certe stuporem meum lubens profiteor. Vonck.

209. non erat deus, cum diceret. quare *iam deus* coniungenda sunt, qui iam caelo receptus est, hoc est Iustinianus. Barth.

ib. *dixerat ore*] ut supra v. 180. χαρίεν etiam Virgilio usurpatum. Ritt.

210. *datum* pro *dare* repositum necessario est in hoc versu. ceterum aliquot ipsi anteriores et posteriores mihi non satis inter se congruere videntur, carereve difficultate nec minima. Ruiz.

ib. *datum*] sic legi potest, vel *dari,* quod melius: nam in membrana erat *dare.* Dempst.

211. *atque*] reposui sic, cum *at* antea esset; neque sane video cur queratur Assagrius tanquam de turbato versuum horum ordine, cum mihi, ut distinxi, sensus sit manifestus et legitima cohaesio. Dempst.

212. *arcem*] exprimit officium: nam Iustinus Tiberium Thracem excubitorum comitem fecit et nomine Caesaris extulit sibique heredem destinavit. Suidas. id factum 9 anno imperii Iustini. Paul. Diac. 16. alii contendunt anno 13. causa communicati cum eo imperii, quod Iustinus in gravem morbum incidisset, Evagr. 5 11, et Hormisda Persarum rex Arimardanem ducem Romanam regionem praedari iussisset. vide infra 4 374. regnavit autem Tiberius solus annis 6, mensibus decem, diebus octo, vel, ut alii volunt, annis 7, aut annis tantum 4. vide historicos. Dempst.

213. Tiberius, de quo etiam Corippus ad finem libri 4, adoptatus a Iustino et comes excubitorum palatii fuit, et tandem, in vita adhuc ipsius Iustini, Caesar, et post mortem imperator appellatus; quemadmodum haec omnia constant ex Iohanne Zonara et abbate Biclarensi. Ruiz. Tiberium quod laudat Corippus, veritatem, non nugas dicit: formam in eo et virtutem iunctim commendat Evagrius. vide et Theophylactum et Menan-

dri Protectoris reliquias. pietatis ergo celebratur a chronologo Weingartensi, quem edidit Henricus Canisius. Barth. vide Evagr. 5 17, Paull. Diacon. 18. Ritt.

215. *communis benefactor*] id est princeps εὐεργέτης, ut infra 2 145. Ritt.

219. legebatur *hinc est iuvenis*, sed legendum *hinc est quod iuvenis*, aut *hinc etiam iuvenis*. Dempst.

ib. *tota virtute*] omnibus viribus. Gruterus Ligurini lib. 1: *tota virtute reniti*. Barth. legendum, inquit Dempsterus, *hinc est quod iuvenis*, aut *hinc etiam iuvenis*. sed et utrumque hoc iam praeceperat Ruizius in margine editionis suae. ceterum parum quidem interest, malim tamen *nota virtute laborans*. Vonck.

220. quod dixit *animam* pro dominis *praebere*, est origine Graecum. Solon, Homerus Iliad. Barth.

224. *discreta ratio* est sapiens, cauta, bona consilio. sic infra v. 301. servant hanc vim huius vocis omnes linguae a Latina descendentes. sed ex Graecia oriunda videtur: nam ἄκριτοι λόγοι idem quod indiscreti sonant Homero Iliade 3. Barth.

ib. *vocans*] non placet, et forte est ut possit legi *notans*, *volens*, *videns*. Dempst. *vocans properare* graecismus est, quem malo exemplo commutat Ruizius. sic Corippus ipse v. 29 hoc libro. pariter autem vocandi verbo usus Lucretius: *et sedare sitim fontes fluviique vocabant*. Barth. Ruizius in margine ad *vocans* adnotat: forte *notans*, aut *volens*, *videns*. quae fideliter satis sua fecit Dempsterus. sed nec tot coniecturis opus est. sensus constat, dum recte hoc pacto instituatur constructio. *hic vocans famulos fideles, urgebat properare primordia prospera regni bene suscepti ratione discreta, et iubebat parare cuncta*. confusior paullo verborum est structura: at Corippo talis haud insolens. Vonck.

226. *feretro*] sandapilis olim efferebantur damnati. Mart. 8 75, 10 5. Sueton. Domit. 17: *corpus populari sandapila per vespillones exportatum*. Fulgent. ad Chalcid. *loculum* vocat, *non in quo nobilium corpora, sed in quo plebeiorum et damnatorum cadavera portabantur*. feretrum principum civiumque, quod supra capita feratur. Isidor. 20 11. Lucan. 8: *ut Romana suum gestent pia colla parentem*. Stat. Silv. 2 1: *puerile feretrum produxi*. et Theb. 6: *puerili feretrum texitur*. Dempst.

227. *compositum*] verbum solemne funeri. Aen. 2: *positum corpus*. de collocatione hac cadaverum lumen sume a duplici eruditionis sole, Iusto Lipsio Elect. 1 6, Theodoro Marcilio ad Pers. sat. 3: *compositus lecto*. Dempst.

237. non dubito Iustiniani nomen glossema marginale esse, intrusum textui pro alio, quod explicabat. Barth.

242. *purpurea.* tegi solita cadavera notum, Virgil. Aen. 9: *vulnera lavi veste tegens.* at imperatores, ut vivi erant ornati, ita mortui eundem habitum servabant. paullo ante *servans insignia vitae.* purpuram cadaveris ornamentum fuisse Stat. Silv. 2 1 ostendit: *purpureo tristis rogus aggere crevit.* etiam heroicis temporibus, apud Homerum Il. 24 Troes πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν. Stat. Theb. 6: *Tyrioque attollitur ostro molle supercilium.* Claudian. in Ruffin. 2, ubi multa mihi dicta, *et qui Sidonio velari credidit ostro.* sic omnes codices: at in ms meo: *qui se Sidonio velandum credidit ostro.* Flacc. 3: *collocat Aesonides celsoque reponit in ostro.* purpura una cum cadavere comburebatur. Valer. 5 5 tit. ult.: *pretiosa veste opertum rogo imposuit.* Liv. 34 7: *purpura viri utantur, nec ut vivi tantum habeant insigne, sed ut cum eo crementur mortui.* adi Suetonium Iulio c. 84 et Propert. 4 7. Stat. Theb. 6: *crepitant gemmae, atque immane liquescit argentum, et pictis exsudat vestibus aurum.* Dempst. cadavera, postquam eluta erant, vestiebantur. Paullus in lib. 19 ff. de in rem verso: *filiusfamilias togam emit; mortuo deinde eo, pater ignorans et putans suam esse dedicavit eam in funus eius.* ubi *togam in funus alicuius dedicare* nihil aliud est *quam in id dare ut ea mortuus involvatur.* vide Kirchmann. de fun. Rom. 1 10, Ioh. Meurs. de funere c. 4, et Ioh. Gutherium de iure manium. Ritt.

243. *posses*] legebatur antea *possis.* Ritt.

ib. in hoc versu sensum desidero. legendum forte: *credere quod possis non durum vivere corpus.* id est, corpus non durum seu rigidum (uti mortuorum esse solet), quod possis credere vitali adhuc aura frui. Vonck.

247. *tutum*] sic reposui pro *totum.* Ritt.

249. imitatio est Virgilii: *corpus ubi exanimum positi Pallantis Acoetes servabat senior.* Barth.

250. *lux urbis et orbis*] sic 3 79 *spes urbis et orbis* vocatur Iustinus, ut hic Iustinianus. Ritt.

252. *cunctos* pro *tantos* in hoc versu non iniuria fortasse reposuimus, nisi iam Corippi saeculo, quo Latina lingua in barbariem praecipitabatur (uti et eodem nomine quantitatis ex frequenti sacrae scripturae usu et auctoritate hodie Hispani Itali Gallique vulgari nostro sermone abutimur) aliquid concedendum fuerit. Ruiz. non video cur debeat a recepta lectione recedi, maxime cum Latinum sit *tantos linquis alumnos;* et Corippus eandem formulam usurpet 2 38. Dempst. iterum peccavit Ruizius. non enim decebat *tantos* genuinam lectionem in *cunctos* commutare. valet enim illud *tot,* ut nullibi non apud scriptores aevi cadentis. Barth. nihil opus mutatione Ruizii. aut retinendum *tantos,* id est *tot alumnos,* ut infra 2 368 *tantis* pro *tot chartis;* aut, si quid omnino mutandum, malim *caros.* Ritt.

lege *tantos* pro *tot.* Ruizius perperam mutat. Claud. de laud. Stilich. 1 170: *arebant tantis epoti milibus amnes.* Vonck. Valer. Flacc. 6 635: *quid tantae coëunt in praelia gentes?* et eadem voce pro *tot* utitur Corippus aliis etiam in locis. Fogg.

254. *Avares*] *Arabes* erat excusum antea, nullo sensu: neque enim ullum Arabiae a Iustino indictum bellum. sed *Avares* superatos ostendam lib. 3. Dempst. *Gepides*] male antea et hic et in Praefatione *Gypides* legebatur. vide quae mihi ad illum locum sunt dicta. Dempst.

262. forte reponendum *tremiscant:* sic enim sermonem compleret elegans apostrophe multo significatiorem ac gravem emphasim continens. Fogg.

268. *rigidus vigor.* hoc est alacritas stricta et iusta. nam ita τὸ *vigor* perquam frequenter usurpatur. *vigor* iustitiae apud Iustinianum lib. 12, qui potiores in pignore. *vigor iuris* Diocletianus lib. 14 de Postliminio, et mille talia. Barth.

272. *consors*] Sophia uxor Iustini, Theodorae Aug. neptis. haec a Latino vocabulo Sapientia a Corippo saepe appellatur. coronata haec una cum marito et inaugurata, ideo consors imperii. imitatus Claud. de laud. Stil. 3: *consors imperii virgo.* vel simpliciter *consors* est *uxor.* Iul. Firmic. 3 8: *sed hi mulieres stupratas sortientur uxorem.* Apul. 9: *pessimam sortitus coniugem.* Cassiod. 8 ep. 9: *iunctus Amalo generi nobilissima tibi facta consortia;* et apud Plautum in prologo Casinae, comoedia Clerumeni seu Sortientes vocatur, quod in ea Chalinus servus et Olympio villicus sortiuntur cuius futura sit uxor. Helena Paridi apud Ovidium in epistola: *sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri.* Sen. Octavia, si modo ille auctor, act. 2: *sortita fratris, more Iunonis, thorum.* ne quis putet tantum poëticas aut abusivas loquendi formulas, sciat tiro sic loqui IC. Ulpianus lib. 2 de officio consulis: *huiusmodi condicionis uxorem sortiturus sit.* idem *senatorum filiae* (lib. 8 ff. de senat.) *quae viros clarissimos sortitae sunt.* sed quis ille sit in manu conveniendi modus, fateor me nescire: agerem gratias exponenti illud Suetonii Tib. c. 35: *uxorem pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.* Dempst.

274. Claudianus: *nec plus sermone morabor.* Barth.

276. trabeam consularem describit, in qua maiorum effigies acu pictae. Auson. Gratiar. act.: *palmatam tibi misi, in qua divus parens Constantius intextus est. haec plane, haec est picta, ut dicitur, vestis non magis auro suo quam tuis verbis.* et post: *Constantius in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur.* Claudian. de laud. Stil. 2: *gremioque rigentia profert dona, graves auro trabeas. insigne Minervae spirat opus. rutilis hic pingitur aula columnis, et sacri Mariae partus Lucina dolores solatur.* omnia mire huc quadrant. vide

locum. auro igitur intexto historica rerum series exprimebatur ad modum picturae; inde vestis ea *toga picta* vocata. T. Liv. 10: *cui deorum hominumve indignum videri potest, quos vos sella curuli, toga praetexta, tunica palmata et toga picta et corona triumphali honoratis, pontificalia ornamenta adiicere?* Fest. lib. 14 in *picta*. Ovid. ex Ponto 2 1: *claraque sumpturum pictas insignia vestes*. Auson. Edyll. 4 protrept. ad nepotem: *ut trabeam pictamque togam, mea praemia, consul induerer*. Lucan. 9: *pictasque togas, velamina summo ter conspecta Iovi*. Turnebus putat 5 9 idem esse tunicam palmatam et togam pictam; quod non admitto. Florus 1 5 utramque vestem inter ornamenta triumphalia ut distinctam ponit, et Verrius apud Plinium 33 3. Iul. Capitol. Gordianis: *palmatam tunicam et togam pictam primus Romanorum privatus suam habuit*. Liv. 30 15: *Masinissam aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et tunica palmata donat*. si plura cupis, lege Macrobium Saturnal. 1 9, Vopiscum Aureliano, Martialem 7 1, Sidonium carm. 5, et alios. *clavata* haec eadem sive clavis erat distincta aureis argenteisque. Festus loco citato, et lib. 3 in *Clavata*. Ulpian. IC lib. 23 ff. de auro et argento legatis. Iuvenal. 10: *offendere tot caligatos milia clavorum*. qui locus hactenus criticis inanimadversus insigniter restitui potest ope ms antiquissimi, in quo clare sic concipiebatur: *offendere tot caligas, tot milia clavorum*. recte procul dubio: prior lectio phrasi Graeca placuit magis claro viro Ioh. Cordano IC et sodali mihi unice dilecto. Dempst.

278. legebatur ante *necto auro*, nullo sensu. puto legi posset *nexo auro*, id est *intexto*: aurum enim admisceri solitum imperatoriis trabeis multis ostendi ad illud Claudiani, quae non hic exscribenda, *graves auro trabeas*. Dempst. *nexo* restitui pro *necto*. Ritt.

ib. vidi qui *cocto* mallet, ut 2 114. sed nulla mutatione opus, cum *necto* auro frequenter veteres in vestimenta abusi. Virgilius: *et tunicam, molli mater quam neverat auro*. consuetique erant versus et talia vestimentis indere, ut ex Ausonio aliisque notum. Barth. lege *neto auro*, quemadmodum coniecisse video Heinsium ad Ovid. in Ibin 74. Vonck.

281. *acu*] notum ex Plinio Isidoro et aliis *Phrygiones* dictos *omnes* qui acu pingerent, quod prima eius rei illis debeatur inventio. Titinnius Barbato: *Phrygio fui primo, beneque id opus scivi. reliqui acus aciasque hero atque herae nostrae*. Valer. Flacc. Argonaut. 2: *illic servati genitoris conscia sacra pressit acu*. Lucan. 10: *quod Nilotis acus compressum pectine serum solvit*. Dempst.

283. carmen hoc ita perverse et falso, ni fallor ego, legebatur: *ut omnis aspiciens ea corpora vera putaret*. ceterum lu-

stiniani imperatoris labores et triumphi, de quibus hoc loco Corippus et lib. 2 et itidem lib. 3 agit, profuse et eleganter inter multos alios auctores descripti sunt per Procopium Caesariensem, ut qui rebus a Iustiniano gestis ipse plerumque in Persia Italia et Africa interfuerit, comes et consiliarius ipsi Belisario, duci omnium suae aetatis praestantissimo et felicissimo. RUIZ.

283. *ea corpora*] ita legendum ex libro scripto Ruizii: nam quod *ceu* pro *ea* legit opus non est. BARTH.

287. *fruges*] alimenta urbi Romae ex Africa convecta. Spart. in Pescennio: *ne Africam occuparet et fame populum Romanum perurgeret; et videbatur id facere posse per Libyam Aegyptumque vicinas Africae.* Prudent. in Symmachum 2: *respice num Libyci desistat ruris arator frumentis onerare rates et ad ostia Tibris mittere triticeos in pastum plebis acervos.* egregia Lips. ad 12 Annal. Claudian. de laud. Serenae: *Phariae segetes et Punica messis castrorum devota cibo.* discussa tum aliis tum mihi, ut spero, ad illud de bello Gildon. *stabat certa salus. Memphis si forte negasset, pensabam Pharium Gaetulis messibus annum.* DEMPST.

ib. pinxerat, inquit, Africam suppeditantem annonam, et victoriam superato Gelimere offerentem: idem enim laurum ferre atque triumphari. viris magnis placuit haec sententia, sunt tamen Graeculi quidam et anseres strepentes inter olores, qui solo contradicendi studio paginas in contrarium suffarciant. at veritas hisce testimoniis convincitur. Taciti Annal. 2: *adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset*, id est triumphare, ut maximus Lipsius interpretatur ex Plinio, Seneca, Obsequente et Pacato. adde praeter Ovidium Trist. 4 2, Martialem 2 2, Stat. Silv. 4 1: *nondum gremio Iovis Indica laurus, nondum Arabes Seresque rogant.* Lucan. 8: *aut sacras poscunt Capitolia laurus.* Silius 15: *dabit ille coronam in gremio Iovis excisis deponere Poenis.* itaque India tentanda Domitiano, oriens Pompeio, Africa a Scipione domita nomen triumphi non meruere. at Suetonius Ner. 13 ait eum ob adventum Teridatis in urbem imperatorem salutatum, lauream in Capitolium latam. et nemo sanus eum triumphasse dixerit propterea. non igitur sanus ipse Tranquillus, qui ibidem subdit eum curuli apud rostra sedisse triumphantis habitu. certe ergo, ut triumphus non fuerit, triumphum videri volebat Nero. dixi multa ad illud Claudiani de bello Gildon. *auctoremque sui praevenit laurea belli.* DEMPST.

288. *Romam antiquam* appellat Corippus eam Italiae urbem, quae iam totius fere orbis regina et domina esse desierat; quemadmodum et paullo inferius hoc eodem lib. 1 et rursus lib. 3, atque alibi saepius in hoc opere, Byzantium Cpolisve in Thracia ob translatum in eam Romanum imperium *nova Roma* per oppositionem ab eodem Corippo nuncupatur. RUIZ. seniorem et

πρεσβυτέραν vocat Iustinianus Nov. 131 c. 1 et alibi. item Nov. 9 in pr. *anteriorem Romam*, cui opposita *Roma nova*, *Cpolis*, saepissime huic ipsi Corippo nominata. cur ergo *aeterna urbs* aliis illa dicta, si senium patitur, ut humana omnia orta occidunt? Ritt.

288. statuam Romae, qualis poni solebat, describit: erat enim clipeo hasta et galea insignis, et aperto discinctoque sinu, *quasi mater liberos vocans ad alimenta praebenda*. Cassiodor. 2 ep. 1. Sidon. Apollin. carm. 2: *sederat exerto bellatrix pectore Roma*. plura egregius Savaro. Dempst.

289. pingebatur antiquitus *Roma exserto pectore*. sic Symmachus 2 ep. 7: *exserto et pleno ubere Roma susceperat*. Cassiodor. 2 ep. 1: *ut alumnos proprios ad ubera sua Roma recolligat*. Sidon. 5 13: *sederat exserto bellatrix pectore Roma cristatum* (forte *crispatum*) *turrita caput*. Ritt.

290. *Altricem* imperii appellat *Romam*. id videtur Rutilio deberi: sic enim ille: *aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet, altricemque suam fertilis orbis alat*. Corippiana ceteroquin ex Claudiano sunt. Barth. Claudian. Panegyr. 3 Stilichonis: *haec est in gremium victos quae sola recepit, humanumque genus communi nomine fovit matris, non dominae ritu, civesque vocavit quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit*. Prudentius 2 610 et seqq.: *vivitur omnigenis in partibus, haut secus ac si cives congenitos concludat moenibus unis urbs patria, atque omnes Lare conciliemur avito*. Ritt.

298. Famae datas a poëtis alas notius est quam ut explicari debeat, tamen apponam illustrium quaedam loca auctorum. Ammian. Marcellin. 18: *credimus* (*neque enim dubium est*) *per aërios tramites Famam praepetem volitare*. omitto Virgil. 4 Aen. Claud. de bello Getico: *Famaque nigrantes succincta pavoribus alas*. de laud. Stilich. 2: *Fama loquacibus alis pervolat Oceanum*, et de Manlii consulatu: *celeri iam fama volatu*. Valer. Flacc. 5: *Fama per extremos quin iam volat improba manes*. Papin. Theb. 5: *Fama recens geminos alis complexa tumultus*, et 2: *totis perfundit moenia pennis*. Sil. Ital. 6: *interea pavidas perfusa cruoribus alas, vera ac ficta simul spargebat Fama per urbem*. Mart. 10 3: *quos rumor alba gemmeus vehit penna*. id datum celeritati admirandae, quae interdum contingit in rebus denuntiandis. Ovid. Fast. 6: *rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis*. sed quid tam multis, inquies, opus in re tam facili et omnibus obvia? ego volui delectum tironem facere, dum eminentiores videret eandem rem dicere. interea corrige Lucilium, cuius versus apud Nonium foede corruptus: *sicubi ad aures fama tuam pugnam claram allatam dicasset*. sic indubie legendum: *sicubi ad aures fama tuam pugnam clurans alata dicasset*. Dempst.

301. *Famae* multas linguas adscribit exemplo Virgilii: *tot linguae, totidem ora sonant.* et Valerius Flaccus 2: *motis quatit oppida linguis.* BARTH.

302. *somnus se veniente*] acutum est *somnum se fugere;* et apud Avienum Periegesi: *procul se inclinat rupes sese,* quasi procul abiens a corpore suo. BARTH. pro *se* reposui *ea,* scilicet *fama.* RITT.

306. imitatus est Virgil. Aen. 4: *castigantque moras; opere omnis semita fervet.* DEMPST.

307. *sorti* pro *sorte* hoc loco restitutum est, ratione carminis. RUIZ.

308. *dilecti numen struerent*] quid haec sibi velint, non capio. an legendum *dilecti tumulum struerent,* aut *dilecti lumen struerent,* ut indicentur faces sepulcrales, in funeribus et sacris adhiberi solitae iam veteribus olim Christianis. sic infra 3 39, ubi vide Dempsterum. forte quis dixerit huc pertinere Minucii locum in Octavio c. 38: *ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti f a c e m aut non sentienti coronam, cum et beatus non egeat et miser non gaudeat floribus. at enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus, nec adnectimus arescentem coronam.* atque ita vel hinc constaret antiquis olim Christianis (eorum namque hic causam agit Octavius adversus Caecilium) morem hunc plane fuisse incognitum, qui tamen apud sequiores deinceps adeo invaluit. sed quia cum in sequentibus, tum etiam in iis quae praecesserunt, nulla prorsus *facium* occurrit mentio, at unica de coronatione mortuorum, a Christianis negligi solita, gentilibus contra superstitiosissima observata, malim omnino legere: *aut sentienti pacem aut non sentienti, coronam.* idque pene flagitare videntur quae continenter addit, *cum beatus non egeat et miser non gaudeat floribus.* quibus ex verbis manifestum est in superioribus eum beatum et non beatum, vel sentientem pacem ac non sentientem sibi opposuisse. et haec hactenus. nunc ad Corippum redeo. VONCK. locum usquedum a nemine apte emendatum explicatumque ob oculos habes. liquent omnia, si ad conventum procerum referas τὸ *quo,* et legas *delectum numen struerent.* scias autem oportet ex Festo quod *struere antiqui dicebant pro adiicere, augere;* qua significatione usurpat Persius 2 44: *rem struere exoptas caeso bove.* FOGG.

313. *serpit*] ex Virgilio hoc expressum etiam Aen. 12: *serpitque per agmina murmur.* DEMPST.

314. nescio cur hic debeat describi Circus, et Circenses celebrari lib. 2. suspicor turbatum opus, nec suo loco singula esse. sed tamen nihil mutare volui contra fidem codicis, quem sequebar. DEMPST.

314. *solis honore*] in honorem solis. sic epigramma vetus in Circum{ quod Corippo consonum: *gratia magna quibus crevit honore deum*. Barth.

ib. Barthius in hos versus multa disserit, sed aqua haeret, ut aiunt; egregieque fallitur Dempsterus in dubium revocans an suo loco Circi descriptio hic inserta fuerit a veteri librario, cum ludi Circenses celebrentur lib. 2. optime hic Circum Corippus describit, ut locum designet quo statim ac rumor increbuit novum a senatu imperatorem electum fuisse populus universus properavit, ut eum salutaret: in Circo enim primum mos erat ut novus princeps se spectandum praeberet. Fogg.

316. Suidas: ἀστέρων τέθριππος *stellarum quadriga, id est currus solis;* et sol Pindaro Ol. 7 ἀρχὸς ἵππων. Claudian. de laud. Stilich. 1: *tunc et solis equos*. sed qui sint, vix constat. Homerus facit tres, nisi falsus codex Hygini, quorum nomina *Abrax, Aslo, Therbeeo*. Eumelus Corinthius duos mares statuit, *Eoum* quasi matutinum, *Aethiopem* quasi flammeum, qui coquat fruges; duas feminas, *Brontem,* quae tonitrua procreat, *Steropem,* quae fulgura. Hygin. fab. 183. aliis numerantur totidem, sed dispari nomine, pari effectu: *Erythraeus* quasi rubens, quod sol matutinus rubicundo sit lumine, *Actaeon* quasi splendens, *Lampos,* quod fulgeat, ubi ad umbilicum diei contrarium ascenderit circulum, *Philogeus,* quod terram amet. Fulgent. 1 11. notissimi sunt versus Ovidiani Metam. 2: *interea volucres Pyrois Eous et Aethon Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras implevere suis*. Dempst.

317. quadriga soli sacra ob quadripartitas temporum differentias vel quadruplicem diei horarum effectum. Fulgentius loco laudato. et quia Circenses imago solis, quattuor equis in iis certatum. res nota. Serv. ad Georg. 3: *quadriiugos agitabo ad flumina currus*. Dempst.

ib. idem epigramma: *tempora cornipedes referunt, elementa colores, auriga, ut Phoebus, quattuor aptet equos*. ita apud illum ignotum scriptorem legendum. de ratione vero Circi vide aliquot capita Isiodori 18 Originum. Barth. ut quattuor horae seu tempora sunt, ita equos totidem soli tribuebant, veluti patri et vectori horarum. nomina his imposuerunt Graeci fabulatores ista, *Pyroeis, Eous, Aethon* et *Phlegon*. vid. Ovid. Metam. 2 153. Ritt.

319. *colores*. Cassiodor. 3 ep. 51: *colores in vicem temporum quadrifariam funduntur. prasinus virenti verno, venetus nubilae hiemi, roseus aestati flammeae, albus pruinoso autumno dicatus est. sic factum ut naturae mysteria* (non *ministeria*) *spectaculorum composita imaginatione luderentur*. Solin. c. 47: *quidam equi cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam facibus accensis, quidam colorum varietate ad cursum provocan-*

tur. Christodorus Thebanus: χρώμασι καὶ πέπλοις συμμετίβαλλε τύχας. Sidon. Apollin. carm. 23, ut omittam inscriptiones infinitas. Mart. 10 48: *micant colores albus vel venetus, virens rubensque.* Ovid. Amor. 3 2: *et volat admissis discolor agmen equis.* atque haec quidem prima institutio: nam sub Domitiano pannus aureus et purpureus additi. Suet. 7. Dempst.

320. legendum existimo: *nam viridis veris campus. veris campus,* ut mox aestatis, autumni. Barth. Dempsterus legit *studia.* firmat Virgilius Aen. 2 89 et Statius Theb. 5 148. sensus nullus est. evadet, si sic distinxeris: *nam viridis vernis campus ceu concolor herbis, pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit aestatis, roseus rubra sic veste refulgens.* Vonck. lego *verni,* hoc est temporis. seu mavis, Corippus *verni* pro *veris* usurpavit, qua ratione *verno* pro *vere* usurpat infra 3 152. nec semel ita etiam loquitur Plinius 3 3 et 5, nec non 19 5. Fogg.

ib. veris pro *vernis* recte nos restituisse arguit sententia. Barth.

321. hic versus melius fortassis absit. tamen legi potest: *pingit oliva.* oliva videlicet pingit, ut campus veris sit concolor frondibus et herbis. interpres magna securitate omnia transmisit, vir cetera eruditissimus. Barth.

ib. hic versus abesse potest optime, licet voluerimus ipsi aliquando emendatione subvenire. *oliva* enim partes suas infra in *autumni* habet, et sciolus putavit opus esse altero versu, cum videret ceteras anni partes duobus absolvi. sed sine illo sententia optima est, et nescio an sapiat auctorem aliis, mihi certe adulterium olet. habuit autem eius auctor animo duos colores, album olivae frondium, ceterarum viridem, de quorum utroque non invenuste Petrus Mauricius 4 ep. 23: *pulchrior in silvis nusquam frondescit oliva, dum candore suo deprimit omne virens.* at Corippus hiemi candorem infra merito melius assignat. Barth.

322. *aestatis roseus*] in ms codice perverse legebatur: *roseus aestatis.* sed et omnia sub hoc numero (314—334) mihi admodum perturbata videntur, quod et ad ipsius Corippi marginem lectori significavimus. praeterea v. 332 *metas* pro *moetas* reposuimus. Ruiz. ms *roseus aestatis,* quod non bene transposuit Ruizius. nam *roseum* prima extenta poëtae Christiani non raro usurpant. Prudentius: *luserat et minio roseam saniem.* eos imitatus non sine maiorum exemplo in hoc est Iul. Scaliger. nec opus erat *russeolam* reponere Giselino. Barth. scripsi *russeus,* et aeque bene scripsissem *rosseus,* nec non etiam, secundum ms cod. Ruizii, *roseus,* prima producta. adi notas Barthii; sed luculentius rem pertractat Salmasius ad Lampridium in vita Antonini Diadumeni, ubi hisce Corippi versibus recitatis subdit: *en*

tibi roseus *prima producta. qui nobis illam Corippi editionem adornavit, dum putat roseum esse a rosa, perperam structuram versus mutavit, et posuit:* aestatis roseus. *Isidorus de equis:* color hic praecipue spectandus badius, aureus, roseus, myrteus, cervinus, gilvus, glaucus etc., *ubi* roseus *est* russeus. *idem de coloribus Circi:* circa causas quoque elementorum item Gentiles etiam colores equorum iunxerunt, roseos soli, id est igni, albos aëri, prasinos terrae, venetos mari. *quis non videt* roseos *esse* rosseos *vel* russeos? *Graeci cum scriptum passim invenirent ruseum, ipsi quoque* ῥούσιον *dixerunt, non* ῥούσσιον. *Glossae:* ῥούσιον φᾶρος, vexillum; *vexilla enim coloris erant russei vel flammei, unde et* flammulae *dicebantur vulgo, nam* flammulum *et* flammeum, *ut* russeum *et* russulum. flammeum vexillum *Ammiano Marcellino. eaedem Glossae:* πυῤῥός ruseus, robricus, rufus. *poëtae Graeci infimi aevi* russatam *factionem* ῥούσιον *appellant.* lib. 5 epigrammatum εἰς Ἰουλιανὸν ἡνίοχον ῥουσίων: ἕλκων μεθέλκων ῥουσίου τὰς ἡνίας Ἰουλιανὸς οὗτος ἅρμα ῥουσίου ἔχων ἐνίκα τοὺς ἐναντίους δρόμῳ. *sic* roseus *vel* ruseus, *ut tunc scribebant,* est ῥούσιος, *veteribus* russeus. FOGG.

324. interpres non docet nos quid sit *ventus autumni.* nec immerito, ut ego existimo: non enim de ventis aut eorum pictura hic sermo est, sed de anni partibus, quae quibus ventis assignentur erat docendum, et quid ventis in Circo pingendis. nos dum erudiamur plenius, scribendum suspicabimur: *autumni cinctus ferrugine dives et ostro.* vestem namque aestatis modo descripsit, *divitem* vero ob pretium ingens purpurae appellavit. Claudianus: *dives Hydaspeis augescat purpura gemmis.* BARTH. lege: *autumni tempus.* VONCK. mirum plane est neminem animadvertisse legendum hic esse *Venetus,* qui color, adnotante Vegetio 4 de re milit. c. 54, marinis fluctibus erat similis, et idcirco *caeruleus* quoque dicebatur et *thalassicus* ex Graeca voce θάλασσα *mare.* FOGG.

ib. ferrugine dives et ostro] Virgil. Aen. 9: *ferrugine clarus Ibera.* Servius vult esse *purpuram Hispanicam.* ex eo Isidor. 19 28. Nonius ex Virgilio et Plauto *colorem ferreum.* Papin. Theb. 1: *ferrugineam frontem discriminat anguis.* Prudent. Psychomachia, pugna luxuriae et sobrietatis: *ferrugineo vernantes flore coronas.* Claudian. de raptu 2: *tum ferrugineo lacrimas detersit amictu.* DEMPST. imitatur Virg. Aen. 2 772: *ferrugine clarus et ostro,* hoc est, ostro coloris ferruginei, qui idem est ac color *caeruleus,* ut constat ex Plauto Mil. 4 4 43: *palliolum habeas ferrugineum: nam his color thalassicus est.* FOGG.

327. legendum videtur: *albicolor viridi sociae coniungitur ima.* ima pars alibi coloris, quippe hiemem referens, viridi sociam se dat. viridis socia est veris pars summa, alba hiemis

ima, quae duae in retunda aut ovali forma coniunguntur duabus extremitatibus. BARTH.

327. Bulengerus hunc citans Corippi locum pro *una* legit *urna*, nullam huius lectionis adferens rationem, at profecto acute alludens adhibitam in Circensibus sortitionem tum locorum tum quadrigarum, de qua idem Bulengerus c. 13. FOGG.

328. *studia*] male ante *stadia*. 2 312: *studiorum gaudia surgunt*. 2 336: *studiorum iurgia cessent*. sponsiones in Circo; ideo favor in hanc aut illam factionem pronus. Plin. 9 ep. 6: *favent panno, pannum amant, et sic in ipso cursu medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit*. Ovid. de Arte 1: *quisquis erit cui favet illa, fave*. Amor. 3 2: *favimus ignavo*. Sil. Ital. 16: *hic studio furit acris equi, furit ille magistri*. Virgil. Aen. 5: *studiisque faventum consonat omne nemus*. Claudian. de 6 Honor. consulatu: *flagrat studiis concordia vulgi*. antiqua inscriptio, Antiocheti aurigae monimentum, *favisti vivo forsitan ipse mihi*. et Fusci aurigae vetus item marmor: *factionis venetae Fusco sacravimus aram de nostro, certe studiosi et bene amantes*. DEMPST.

ib. *partes*] hoc est *factiones*; sic 2 310. FOGG.

328 et 329 [in ms 320 et 321]. hisce duobus versibus suo in loco, unde dimoti fuerant, restitutis omnia bene conveniunt. itaque notat Corippus institutas primum fuisse quattuor Circi factiones ad quattuor anni tempora designanda, deinceps vero, quia albata et viridis factio in unam coaluerunt, coniunxerunt se in unam et aliae duae; et hinc duae solummodo superfuerunt factiones, quae aestatem cum autumno et hiemem cum vere significabant, Prasina nimirum et Veneta, quae reliquis duabus praestantiores semper fuerant, quia modo uni modo alteri addicti fuerunt imperatores, ut Prasinae Caligula, Nero, Verus, Commodus, Avitus, Venetae Vitellius, Caracalla, Iustinianus. nec reputes quod reliquae duae omnino extinctae fuerint: manserunt enim etiam illae, sed obscurius, veluti harum pedissequae, quibuscum coniungebantur, ut plures evincunt sequioris temporis auctoritates, quas vide apud laudatum Bulengerum de Circo Romano et ludis Circensibus c. 49. FOGG.

330. *circulus*] vel a *circuitu*, Cassiodor. loco citato, vel a *Circe* venefica, quae prima patri suo soli ludicrum hoc certamen excogitavit. Isidor. 18 28. Nonius vult omnem ambitum et gyrum esse circum; denique Varro de ling. Lat. 4, quod circum spectaculis aedificaretur. Claud. de 6 consul. Hon.: *connexum gradibus veneratur purpura vulgus*. sive quod circum metas pompa ferretur, hoc est imagines deorum, ut alibi ostensum. DEMPST.

332. *geminas metas*] non putem: nam unde dimitteban-

tur quadrigae, carcer, quo tendebant, meta dicebatur; de qua re pleni sunt libri, qui consulantur. DEMPST.

332. ex Virg. Aen. 5 154. notes autem velim Corippum metas dicere aequo inter se discrimine distantes, quia secundum quasdam architectonicas rationes illud statuebatur, ne tumultuosus fieret equorum cursus si brevius foret, et si longius ne equi nimium defatigarentur, et ne aliqua in parte Circi spectatores oculis sequi nequirent aurigas, quibus studia in contraria scissi favebant. FOGG.

334. libentius *referunt* quam *referam* in hoc versu legerem. ceterum primus inventor quadrigarum, cuius nomen deest, Ciceroni lib. 3 de natura deorum Minerva videtur esse, Virgilio 3 Georg., necnon et Plinio, Erichthonius, Eusebio in Chronico Arogilus aut Proclytus: nam utroque modo legitur in exemplaribus ms, ut in aliis Isidori etiam Chronici Procyclus et Prociolus. quin et Ravisius Textor in Officina sua Tregillum facit et nominat. tanta utique est unius nominis varietas ob ignorantiam somnolentiamve librariorum. RUIZ.

ib. *referam*] lacuna hic erat asteriscis notata. supplevi sic: *Cecropidem referam*. ratio manifesta est: nam Cecrops primus Atheniensium rex, cui Cranaus successit, qui ab Amphictyone regno vi expulsus; quartus deinde rex Erichthonius. Pausan. Attic. hic Vulcano et Minerva genitus, seu verius in terram effuso a Vulcano semine. Euripides Ione. Iulianus princeps: μήτηρ νόσφι τόκων, νύμφη νόσφι γάμων. educatus clam a Minerva in cista pedes habuit serpentinos, ut retulit Hyginus Astron. poët. in *Auriga;* ut non putem male legi hic posse *anguipedem referam,* ut prima lectio legem fuisse significet, altera educationis admoneat. ille vero *ad pedum deformitatem velandam primus quadrigam invenit.* Plin. 7 56, et ex eo Isidor. 18 34, Virgil. Georg. 3: *primus Erichthonius currus et quattuor ausus iungere equos.* DEMPST. lacuna sic optime expleatur: *quid referam Oenomaum.* nam *Cecropiden* nimis generale est et longius petitum, quod placuit eruditissimo Dempstero. *Oenomaum* quidem voluit et Savaronius, vir in talibus scriptoribus plurimae lectionis; sed τὸ *quid* etiam necessarium est: nam cur minus ambages nectat, causam ponere Corippus voluit. *Oenomai* praeter alios mentio est apud Nonnum 19, 20 et 37 344. BARTH.

ib. *referam*] sic trunce editur. Scaliger, ut suppleret, legit *Orsilochum referam,* Dempsterus *Cecropidem.* neutrum probat vir doctus ad Marmora Oxoniens. p. 167, et mavult *Heniochum referam.* Savaro *Oenomaum* hic invenit in not. ad Sidon. carm. 23 p. 198, probante Perizonio ad Aelian. Var. Hist. 3 c. 38 in fin. nullum ego definio, nec possum: nescio enim quid scripserit auctor. VONCK. lacunam supplevi adiiciens: *Henio-*

chum haud. Virgil. Georg. 3 113 cecinit: *primus Erichthonius currus et quattuor ausus iungere equos rapidisque rotis insistere victor.* hic translatus inde est inter caelestes imagines sub nomine Heniochi: Heniochus enim quasi *ἡνίαν ἔχων habenas tenens.* Manilius 1 362: *Heniochus studio mundum et nomen adeptus, quem primum curru volitantem Iuppiter alto quadriiugis conspexit equis caeloque sacravit.* at Eratosthenes Cyrenaeus in Catasterismis c. 13 Heniochum fuisse Erichthonii aurigam ex Euripide narrat. FOGG.

335. *Pelopem*] pleni sunt fabulosissimi Graecorum commentarii. adde non Pelopem secundum iunxisse equos, sed in honorem Pelopis Herculem. Stat. Theb. 6: *hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem.* DEMPST.

335. hunc versum foede corruptum restitui, medicinam praestante Cicerone Tusc. 2 67, ubi sic loquitur: *vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te, et quo velis perferent.* in arca Cypseli equi Pelopis cum Oenomao decertantis cum alis caelati visebantur teste Pausania Eliac. 1 17, et Palaephatus de incredibilibus historiis c. 30 fabellam explicat. FOGG., qui quod est *Pelopemque secundum,* fecerat *Pelopem, atque per undas.*

336. *alter*] forte legendum est potius *illo,* nempe Oenomao socero. FOGG.

340. Prudentium est imitatus: *illa ministranti regimen solemne dierum haudquaquam soli datur a factore potestas.* BARTH.

341. *virgine*] sacrae litterae, doctores, poëtae Christiani, Claudian. epigr., qui versus meliores sunt quam ut ab alio componi potuerint, frustraque Damaso aut Claudiano Mamerco tribuuntur: *virginei tumuere sinus, innuptaque mater arcano stupuit compleri viscera partu, auctorem paritura suum.* et epigr. sequenti, quod abest a meo ms., sed tamen eius est: *virgineos habitare sinus et corporis arti iussit inire vias.* DEMPST.

344. non tantum Romae circus, sed et novae Romae, quae Byzantium seu Cpolis dicta. Diacon. 16: *venit Cpolim et ingressus est hippodromum.* Ammian. Marcellin. 14: *ingressus* (Gallus imperator) *Cpolim, tanquam de rebus prosperis et securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigae imposuit coronam ut victoris.* libro 22: *Mamertino ludos edente circenses, manumittendis ex more inductis, per admissionum proximum ipse lege agi dixerat.* huius circi forma, situs, obelisci describuntur ab Onuphrio Panvinio de Circensibus c. 27. vide Anthologiam 4 4 2, 5 54, et in limine lib. 5. alibi etiam invenio circos, ut Mediolani Auson. urbi 4: *amplificata loci species, populique voluptas Circus, et inclusi moles cuneata theatri.* DEMPST.

ib. Circum Cpoli inchoavit imperator Severus, Constanti-

nus perfecit et exornavit. eius iohnographiam Panvinius lib. 1 de ludis Circensibus aere incisam exhibet, *ex antiqua*, ut scribit, *Cpolis topographia, quae paulo antequam urbs in Turcarum potestatem venisset facta fuit,* excerptam, quae recusa praesto est quoque apud Bandurium. Fogg.

346. sic in excuso legitur, sed depravatissime: *dant agmina plausus, vox omnibus una.* reponendum: *agmina dant plausus alacres, vox omnibus una.* imitatus est Martialem spectac. epigr. 3: *vox diversa sonat, populorum est vox tamen una.* Dempst.

347. Martialis: *vox diversa sonat, populorum est vox tamen una, qua verus patriae diceris esse pater.* Barth.

349. *expositos* positos sonat, ut expositio togae est positio apud Tertullianum *de Pallio* c. 5. exprimitur autem Claudiani phoenix, qui poëtarum omnium sequentium, in argumento quidem non penitus sancto, pater perhiberi potest. Barth. ut ex phoenice vetulo exusto novus renascitur, ita ex Iustiniano Iustinus. hoc nomen rectum vocat, quod primitivum grammatici; unde productum seu derivatum Iustinianus. de *iota resurgente* dicit v. 352. *hanc litteram rectam et stabilem tribus nominibus sacratam* scribit infra 2 141, videlicet Iustini Maioris, Iustiniani et Iustini Minoris, quibus omnibus initialis est. Ritt.

350. *recidiva*] malim *rediviva.* Ritt.

ib. rediviva.] in mss codd. passim hae voces confunduntur *redivivus* et *recidivus,* etsi inter eas, docente Charisio, hoc interest, quod *rediviva* dicuntur quae post interitum, *recidiva* quae post casum restituuntur. aliis vero *recidiva* sunt casui pristino obnoxia. itaque certior et loco aptior vox *rediviva.* Fogg.

ib. busto] Plin. 10 2: *prodidit Manilius senescentem casia surculisque thuris construere nidum, replere odoribus, et super emori, ex ossibus deinde et medullis eius nasci primum ceu vermiculum, inde fieri pullum.* Artemidor. 4 49: καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ ποιησάμενος ἐκ κασίας τε καὶ σμύρνης πυρὰν ἀποθνήσκει. Fest. Avien. descript. orbis: *ales amica deo largum congessit amomum.* Sidon. Apollin. carm. 9: *Indo cinnamon ex rogo petitum, quo phoenix iuvenescit occidendo.* verane sit illa vulgi sententia, disserui multis ad illud Claud. in Phoenice: *et cumulum texens pretiosa fronde Sabaeum componit bustumque sibi.* Dempst.

351. *solisque volucrem. phoenix* ales soli sacer credebatur. sic et Claudianus Panegyr. 2 in Stilichonem: *ut solis mirentur avem.* Sidonio quoque *phoenix* est *Phoebeius avis,* carm. 8 355. confer utriusque poëtae locum illustrem ad hanc nostri Corippi comparationem. sed ne quis miraculosam hanc reparationem seu metamorphosin phoenicis fabulosam existimet, facit gravissimus historicus Tacitus Annal. 6 28. Ritt.

353. pulchre *Iota resurgens,* et illa phoenicis similitudo

perquam apposita est. a Iustiniano etenim obeunte surrogatur imperio Iustinus, ut novellus phoenix e senio confecti cinere, ultimis reliquiis, renascitur, sic ille ex consilio sive ultima voluntate iam terra cedentis. Barth. malim distinguere: *sanctum sic Iota*. Fogg.

355. *rectum* nomen congrue dicit: ex omnibus enim litteris *Iota* solum erectum et nullo nisi suo pede nisum est, et *rectum* sive *iustitiam* praeterea notat. haec talia Corippo ingenium non defuisse docent, et genus dicendi non est adeo turpe, siquidem cum eiusdem aevi aliis componere volueris. Barth.

ib. Alemannus in cap. 6 Hist. Arcanae hinc colligit quod Iustinianus consueverit nomen suum unica littera *I* notare. an satis probabiliter senserit, non iudico. Fogg.

356. sciendum in voce *Iustinianus* Graecum accentum naturae vocis praeponere exemplo aevi sui Corippum nostrum. sic in epigrammate Pandectis praefixo: *βίβλον*. Barth.

358. *vincas Iustine*] nota faustas acclamationes imperatoribus fieri solitas. sic infra 2 168 et v. 308. tale est illud votum: *de nostris annis tibi Iuppiter augeat annos*, cuius meminit Tertullianus Apologetico. exempla plurima acclamationum eiusmodi suppeditant historiae Augustae scriptores, quos incredibili diligentia dexteritateque illustratos dedit Isaacus Casaubonus. Ritt.

361. *elementa*] multa etiam de famulatu elementorum principibus, ad illud de 3 Honorii consulatu: *cui militat aether et coniurati veniunt ad classica venti*. Stat. Silv. 4 1. Ianus ad Domitianum: *ipsa meae tepeant tibi sidera brumae*. Dempst.

364. *quin etiam exanimum gaudere*. sic explendam hanc lacunam putavi. Ritt. lacunam supplendam esse voce *exanimum* suadet superior v. 249. Fogg.

ib. hic lacuna erat. supplevi hoc pacto, manifesta ratione: *ipsum quinetiam functi gaudere putares*. Dempst.

365. *in angelica mutatum morte figura*] malim *in angelicam figuram*. Ritt.

366. *posuisse*] malim *imposuisse*. Ritt.

Libri 2 v. 1. Persimilis est illi qui exstat apud Dracontium Hexaëmero: *rosida purpureum spargens Aurora ruborem ducit ubique diem*. Barth.

2. *dominus*] sic vocati imperatores, quanquam primo nomen illud invisum reiecerit post Augustum Tiberius, et Domitianus modo delatum cupidissime exceperit modo recusaverit. Papin. lib. 1 Silv. ult.: *et dulci dominum favore clamant: hoc solum vetuit licere Caesar*. multa ad Symmachi epistolas observat loca vir eruditus Fr. Iuretus. Claudianus saepe. unum locum referam, qui eget correctione, in Praefat. ad lib. 2 in Eutrop.: *indomitos vanas luget abisse minas*. reponendum *in dominos*,

ut intelligatur Arcadius, ex fide codicis mei ms castigatissimi et Veneti antiquissimi. porro Corippus semper domini appellationem pro imperatore usurpat. sic *domnus* apud Cassiodorum et *δόμνα* apud Oppianum limine Cynegeticon pro Augusta. Dempst.

2. *iubere* cum dandi casu ex Cicerone imitatum est, ne quis barbarius arbitretur. ita quoque posuerunt Prudentius, Victor, Iuvencus, Arator. Barth. malim *dominosque,* quamvis et *iubere alicui* reperiatur. intelligit autem dominos Iustinum et Sophiam, Augustum et Augustam. Ritt.

4. in codice ms *orantibus auctus* legebatur; et alicui fortassis *hortatibus* potius quam *oratibus* restituendum placeret. Ruiz.

ib. *oratibus.* antea iam dixit 1 161: *sceptra recusabat lacrimans.* Suet. Tib. 24: *principatum quamvis neque occupare confestim neque agere dubitasset, et statione militum, hoc est ut et specie dominationis assumpta, diu tamen recusavit impudentissimo animo.* eademque calliditas Tacito Annal. 1: *fessus clamore omnium, extpectatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret.* de Augusto Ovidius: *qui saepe rogatus frena recusati ceperit imperii.* de Stilichone lib. 3 *de laud. ipsius* Claudianus: *ultro se purpura supplex obtulit, et meruit toties regnare rogatus.* legebatur in antiquo codice *hortantibus auctus,* pro quo legi posset *oratibus actus,* ut explicatum, aut, quod vicinius est, *hortatibus.* Dempst.

ib. *actus.* ex illo Claudiani est: *quo tandem trabeas actore rogantes induerit.* ex quo vel solo patet Ruizium hoc loco nihil mutare debuisse. sic Ovidius epistola Helenae: *acceptissima semper munera sunt, actor quae pretiosa facit.* alioqui *actor* procurator. Glossae Basilicorum ἄκτωρ πρoκoυράτωρ. Gregorius Turonensis 9 38, apud quem *actu agere* est iudicio experiri. *actor villae* pro procuratore apud Ansegisum lib. 4 Capitul. c. 41. Barth.

5. *non primum — ni sacrata*] non dubito quin Corippus scripserit, vel certe scribere debuerit, *non prius — quam sacrata.* Ritt.

9. *ceras.* Isidor. 7 12: *ceroferarii dicuntur a deportandis cereis,* quanto evangelium legendum est aut sacrificium offerendum: tunc enim luminaria accenduntur, *non ad fugandas tenebras dum sol eodem tempore rutilet, sed ad signum laetitiae demonstrandae.* antiquissimus ergo cereorum usus in divinis sacrificiis. infra 71 et 4 317. Dempst. antiquissimus mos pietatis, observantem animum oblatione cerei testari. Prudentius: *o res digna, deus, quam tibi roscidae noctis principio rex tuus offerat lucem, qua tribuis nil pretiosius.* ungi autem consueverant ante oblationem tales cerei. idem Prudentius: *lumen, quod famu-*

lane offero, suscipe tinctum pacifici chrismatis unguine. sic infra versu 71 pari religione regina cereos consecrat. Barth. cereorum oblatio sacrificii genus erat apud veteres. eorum etiam usus vetustissimus in processionibus, quae saepe antelucanae erant, ut necessarius esset usus luminum. Ritt.

11. *verbum* significat λόγον, dei filium, phrasi sacra, tamen non inusitata etiam bene Latinis. Ausonius: *ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis, ipse dei verbum, verbum deus.* Barth.

12. cum prius rescribere vellem *formator et alter* aut *servator et auctor*, mox me retinuit Althelmus, qui Corippum aemulatus fuit. Vonck.

13. opera creationis luculentis versibus hic canuntur. Ritt.

14. *vestivit*] Curt. 5: *gignendaeque herbae non alius aptior, quicquid alluit, floribus vestiens.* Plin. 8 ep. 8: *ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur.* 2 ep. 17: *hortum morus et ficus frequens vestit.* Claudianus de bello Getico: *protinus umbrosa vestit qua litus oliva Larius.* congessi multa ad illud lib. 1 de raptu: *vestit iter comitata seges.* adde innominatum poëtam apud Ciceronem: *segetes largiri fruges, florere omnia, fontes scatere, herbis prata convestirier.* malim *convestier*. Dempst.

16. lege *formatrix*. alludit enim verba sacra: *formavit verbo oris sui caelos.* et *formare* praecessit iam v. 12, sequiturque continue v. 20. haec autem Iustini oratio ex Psalmis prorsus expressa est. Barth. lege *ornatrix*. iterum habet v. 20: *formavit varias, habitu distante, figuras.* quae crebra verbi *formare* repetitio informis est nec toleranda. Vonck.

18. *ornavit*. lege *armavit*. Vonck.

ib. *radiis*] manifesta imitatione a Sedulio concivi meo desumptum; ille enim in invocatione: *qui solem radiis et lunam cornibus imples, inque diem ac noctem lucem metiris utramque.* Dempst.

22. *rectum*] Sen. de vita beata c. 32: *nec erexit* (deus) *tantummodo hominem, sed etiam ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput.* notissimi illi ex 1 Metam. versus: *os homini sublime dedit, caelumque tueri iussit et erectos ad sidera tollere vultus.* Sil. Italic. 15: *nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus sustulerit deus ac sublimia finxerit ora? cum pecudes volucrumque genus* etc. Dempst. erectio vultus in homine argumentum vetustissimum et celebratissimum est divinitatis; quod leges apud Senecam de vita beata cap. 33, Xenophontem Memorab. lib. 1, Sallustium prooemio Catilinae, Iunilium in Genesim, Claudium Taurinensem apud Ionam Aurelium lib. 1 de cultu Imaginum, Minutium Octavio, Manilium 4, Claudianum 3 de Raptu, Ovidium Metam. 1, Silium Italicum 15, Lactantium

de ira dei c. 7, Boëthium de Consolat. 5 5, Alcimum Avitum 1, Marium Victorem Prologo, Hilarium Genesi, Rusticum Elpidium, alios. Barth.

23. falsus non est affinitate herbae Corippus; quare scripsisse autumandus *sacro spiramine limum*, facili sane lapsu librarii. [ms *lutum*.] in eadem re Alcimus Avitus, cuius ipsa verba expressit Cresconius noster, *temperat humentem consperso pulvere limum*. idem: *vertitur in carnem limus*. *spiramen* spiritum sonat. Ennius Ann. 6: *sulfureas potuit spiramina naris ad undas*. usi in eadem re Alcimus, Prudentius, Iuvencus. Barth. *limum*] sic reposui carminis lege poscente, cum antea legeretur *lutum*. Ritt. Rittershusius propter metrum emendat *limum*. quod firmat Claudian. Mamert. contra poëtas vanos v. 42: *formatumque hominem limo et spiramine sacro afflatum referens*. Althelmus in carmine v. 396: *edidit afflatim sacro spiramine pletius*. Vonck.

24. Alcimus: *tunc vero cunctis costarum ex ossibus unam subducit laevo lateri, carnemque reponit*. Barth.

25. *facto* est condito. idem Alcimus Avitus: *praecellis factis: factorem pronus adora*. *facturam* appellat Dracontius. Barth.

26. omnia divino iussu homini subdita ex his Alcimi traduxit: *haec quae mundani quondam pulcherrima cultus incrementa vides, ornatum extensa per orbem, solus habe, solusque prior dominare per orbem*. Barth.

28. *persolvet*] legebatur antea nullo sensu *persolvi*. Ritt.

29. imago dei in homine nec gentilibus ignota. Sibylla: ἄνθρωποι θεόπλαστον ἔχοντες ἐν εἰκόνι μορφήν. Manilius: *exemplumque dei quisque est in imagine parva*. Ovidius: *finxit in effigiem moderantum cuncta deorum*. Barth. recte Dempsterus; cui merito omnes adsentientur. Barth.

33. *genus*] mendum indubie. lege *genu*. Dempst.

34. apud Ruizium: *et non quae iussa videri*, in margine "forte *permissa*, aut *quae non iussa*, aut *et nunquam iussa*." *non quae*] male sic legitur. sic melius, *et quae non*; aut sic, *et nunquam iussa*; denique sic, *et non permissa videri*. elige tu lector. Dempst. *et non permissa videri*] felix emendatio Ruizii. opponit poëta ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, omniaque pariter dei oculis patere ait. Ritt. frustra turbant interpretes: nec enim *iussa* sed *iusta* arbitror scripsisse Corippum. alioquin cur ordinem intricasset, quo licebat uti plano atque facili? estque Graecanicum ἅτε ὁρᾶν οὐκ ἔστι θέμις, exemplo omnium poëtarum. sic Horatius: *quicquid corrigere est nefas*. hoc est, quae corrigi non possunt. quae non dantur visibus nostris, aetherea, aeterna dicit Paulinus: *namque caduca patent, nostris aeterna negantur visibus*. Barth. Ruizius et Dempsterus hic varie emendant, aut *et non permissa*, vel *quae non iussa*, aut *nunquam iussa*, cum

tamen nulla harum lectionum potior sit vulgata, qua nihil melius. et dicit: quae vident homines, et quae a te iussa sunt non videri, seu mortales tu videre noluisti, sunt ante oculos tuos clara, famulantur tibi, adorant te: non autem sensus elegantia in hoc poëta ubique adeo est expendenda, licet heic loci satis quidem constet. Vonck. secutus sum emendationem Barthii. *non iusta*, hoc est *non aequa* viribus potentiae visivae, seu quae nemo potest *oculorum subdere visui*, ut phrasi utar Lucretii 5 102. Fogg.

39. imitatur Lucanum 1: *iussa sequi tam velle mihi quam posse necesse est*. Dempst.

ib. *velle* voluntas. Persius: *velle suum cuique est, nec voto vivitur uno*. Silius 8: *velle ac nolle ambobus idem*. Martianus Capella: *semper ab omni velle cupis socium*. Barth.

ib. *posse* potestatem sonat. Ausonius: *bene posse adsit, tranquilla potestas*. Barth.

ib. *tu subiicis hostes*] sumsit ex Ps. 145. Ritt.

40. ex illo Prudentii: *frangit deus omne superbum*. Alcimus 5: *irridente deo, qui despicit omnem conatum rigido minitantem vana tumore*. Barth.

43. in ms legebatur *genitoque precantis*. Ruiz. concipiebatur in veteri exemplari *genitoque*, sed male meo iudicio: nam trinitatem precibus Iustini annuisse vult. bene ergo *parens genitus et spiritus sanctus*, ob Pelagianam haeresim, quae contra maiestatem sacrosanctae trinitatis commenta impia tunc excogitarat. Dempst. verum est quod et Dempsterus vidit, trinitatem hic percenseri. *genitus* enim filium, et quidem deum filium, significat. sic infra 61: *quos tibi, quos genito dignos solvemus honores pro tantis, benedicta, bonis?* Prudentius: *per Christum genitum, sancte pater, tuum*. Venantius: *humano generi genuit quos Heva dolores, curavit genitus, virgo Maria, tuus*. hymnus vetus in Zenonem Veronensem: *gloriam patri resonemus omnes, et tibi Christo, genito superni, cum quibus sanctus simul et creator spiritus exstat*. Barth.

ib. Dempsterus in veteri exemplari legi refert *genito*. quod cur adeo spernat, non video: quid enim notius inter Christianos ab omni aevo quam Christum in caelis fidelium causam agere proque iis apud patrem suum precibus intercedere? placuere itaque preces Iustini deo patri; et filio pro eo deprecanti adnuit. forte et sic legi posset: *placuere parenti orantis pia verba viri gemitusque; precanti adnuit*. neque enim Christiani, ubi de divinis personis loquuntur, trium semper mentionem faciunt, sed vel patris et filii, vel spiritus ac patris, aut filii spiritusque. Vonck.

44. quid est illud *regnator?* ea vox mendosa cum sit, omnia intricat. scribendum una littera minus *regnato*. *vox illa arcana dei* ea est quam mox dicit. sanctus spiritus inquit, *re-*

gnato. ita a tota trinitate firmatum est Iustino imperium. ita clarescunt quae nemo hactenus percepit. BARTH. hunc versum mirifice restituit Barthius. FOGG.

45. sic Ammianus Marcellinus lib. 3: *nam et oracula dubia legimus, quae non nisi casus discrevere postremi*. idque mox tribus declarat exemplis. sic noster Corippus infra 4 274 et seqq. sic prophetarum quoque vaticinia a posteriori potius quam a priori intelliguntur. RITT.

46. lege *non fierent*. BARTH. ms enim *non fieret*.

48. Sophia Augusta orat B. Mariam Virginem deiparam, *quae omnes naturae cursus in domino nostro Iesu Christo complevit* (verba D. Fulgentii), *ut omnibus ad se confugientibus feminis subveniret*. nec mirere templum ei Byzantii structum, cum totam urbem eius protectioni auspiciisque consecrarit Constantinus Augustus, Zonar. 3 Annal., et illo aevo apostolis dicatas ecclesias prodat Euseb. 4 59, et martyribus D. Augustin. Civit. dei 1 1. DEMPST.

52. sic crebrius Christiana antiquitas. Claudianus epigrammatis: *nate tuae matrisque parens*. Damasus, ut volunt, Elogiis: *innuptaque mater arcano stupuit compleri viscera partu, auctorem paritura suum*. Venantius: *portans fabricata fabrum atque humana tonantem, virgula radicem, facta creantis opem*. BARTH.

ib. nota invocationem Mariae, Iustiniani aevo iam tum receptam. RITT.

53. *speciale* aevo isto et auctoribus huius generis singulare, eximium, velut sine exemplo, significat, ut alibi. Paneg. in Anast. v. 37: *miseri specialiter Afri in te oculos atque ora ferunt*. Ruricius 3 ep. 32, 33, 34, 35 et 39. ita innumeris locis Ivonis epistolae, Petri item Cluniacensis, Goffridi Nindocinensis, et aliorum. BARTH.

55. *credula* est *credens, fidens*, ut persaepe in poëtis Christianis. BARTH.

60. *servi forma* est ex hymno Ambrosii, qui ex B. Paullo transtulit: *beatus auctor saeculi servile corpus induit*. BARTH.

62. scribendum: *pro tantis* (*benedicta*) *bonis:* parenthesi enim inclusa vox alludit hymnum Elisabethae et angelicam quoque salutationem. est vero genius huius eo aevo non contemnendi scriptoris ob id amandus, quod sui quam simillimus ubique est, more, vel natura potius, summorum auctorum aemulus. BARTH.

67. *dispositis* hoc est *consiliis*, monitionibus, coeptis. sic 1 142 ex veteri libro optime restituit Ruizius Assagrius: *dispositu nam Caesar eras*. BARTH.

69. *tutamen* tutelam significat. *tutaculum* vocat Prudentius lib. 2 in Symmachum: *quin et corporibus versat mens viva*

regendis summum consilium, fida ut tutacula nudis invalidisque paret, metuenda pericula vitet. Barth.

70. *verbis clementibus*] hoc est submissis, tacitis, ne pompae gratia aut ostentandae pietatis orasse videatur iuxta praeceptum domini, Matth. 6 6. sed *clementia* verba hic potius *pia* sonant, ut supra v. 57 vice versa *pietatem* pro clementia posuit: *o pietas miranda dei.* et Dracontius: *magna dei pietas, semper qui temperat iram.* Barth. Laberius Mimographus in Prologo apud Macrobium Saturn. 2 7, Iulium Caesarem indicans: *ecce in senecta ut facile labefecit loco viri excellentis mente clemente edita submissa placide blandiloquens oratio.* Fogg.

71. oblatio cereorum sacrificii genus erat apud veteres. sic ante orationem de eodem iam principe dixit v. 9: *cerasque micantes obtulit, et supplex lacrimis ita fatur obortis.* Barth.

72. nomen huius filiae Iustini et Sophiae nullibi monumentorum, quod ego quidem legerim, exstat: sed quam uxorem fuisse Baduarii existimaverim, de quo paullo inferius v. 284. Ruiz. quae sit haec non comperi: nam nulli Iustino liberi nisi uxor Biduarii infra, nullus imperii heres. forte proles aliqua adoptiva. Dempst. *pulcherrima proles*] emphasim quandam vox haec habet, ut apud Maronem: *ipsa tenens pateram dextra pulcherrima Dido candentis vaccae media inter cornua fudit.* clarum vero hinc Iustino filiam fuisse etiam praeter eam quae Baduario nupta fuit. unde errat Zonaras t. 8, cui ἀμοιρῶν γονῆς οἰκείας Iustinus dicitur; ut et eum sequens Constantinus Manasses. Baduarium vero generum Iustini facit et Victor Tunnonensis in Chronico, seu potius Iohannes Biclarensis, qui Victorem supplevit. pietatem Sophiae Augustae multis laudat Venantius Fortunatus eodem aevo scribens, cui cum omnia prospera voveat data quidem opera, non tamen usplam sobolis ipsius mentionem ullam facit. Barth. quod superiores Corippi illustratores latuit, filia Iustini dicebatur *Arabia.* anonymus antiquitatum Cpolitanarum auctor, qui sub Alexio Comneno vixit et a Bandurio editus est, recenset lib. 1 statuas super Milliarium positas, et has inter memorat *Sophiae uxoris Iustini, Arabiae filiae eorum, ac eorundem neptis Helenae;* quas statuas ex alio incerto auctore *enarrationum chronographicarum* apud eundem Bandurium *auro obductas fuisse* discimus. praeterea idem ille Anonymus, lib. 3 describens Portum Sophianum, quatuor in eius medio fuisse statuas testatur totidem columnis superimpositas, *Sophiae, Arabiae eius filiae, Iustini et Narsae patricii et praepositi, structurae praefecti.* Fogg.

73. imitatur Claudian. Epithal. Hon. et Mariae: *haec modo crescenti, plenae par altera lunae.* Dempst. *lunam* matrem dicit. et est imitatio Claudiani, qui omnium talium poëtarum pater: *nunc ora puellae, nunc flavam nigro miratur ver-*

tice matrem. haec nova crescenti, plenae par altera lunae. Barth.

74. *aequiparans*, et v. 80 *aequiparatque*. semper in ms Ruizii legebatur *aequiperare*, quod equidem credo verissimum, cum et ipse in aliis mss auctoribus ita constanter legerim, et in vet. gloss. ait *aequiperas* ἐξισοῖς. cur hanc veterum orthographiam mutavit? Ritt.

76. *igne micant oculi.* vel praecipuum hoc in laudatissima forma. Dio Chrysostomus: *γυναῖκα εὔμορφον λάμποντα ἔχουσαν ὀφθαλμόν.* Heliodorus 3: *καὶ αὐγὰς ἔχουσα πλέον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν σέλας ἢ τῶν δᾴδων ἀπηύγαζεν.* Anacreon in pictura formosissima pueri: *τὸ δὲ βλέμμα νῦν ἀληθῶς ἀπὸ τοῦ πυρὸς ποίησον.* Theocritus in Dyserote: *ὄσσων λιπαρὸν σέλας.* Aristaenetus 1 ep. 10: *ἄμφω δὲ λαμπροῖς ὄμμασιν οἷοι ἀστέρες ἀνταυγοῦντες ἀλλήλοις φαιδρότερον τῆς ἀλλήλων ἀπέλαυον ἀγλαΐας.* hinc Sulpicius Severus ad exprimendam formosiorem oculos solos meliores nominavit lib. 1 sacrae historiae: *erant Laban duas filiae, Lia et Rachel: sed Lia oculis deformior, Rachel pulchra fuisse traditur.* Barth.

78. sequens in Corippo similitudo seu comparatio itidem est a Claudiano: *ceu forte minor sub matre virenti laurus et ingentes ramos olimque futuras promittit iam parva comas.* Barth. in arboribus mares esse et feminas passim apud Plinium est legere, et viri docti notarunt ex Luciano et Philostrato; quod vero, *veluti mulieres, ad partus certos habeant dies*, est ex Varrone *Rei Rust.* 1 44. bene ergo *matrem* dixit Virgil. Georg. 2: *veluti Parnassia laurus parva sub ingenti matris se protegit umbra.* ex quo Claudian. in epithal. Hon. et Mariae: *ceu forte minor sub matre virenti laurus.* Dempst.

80. *aequiparatque novis maternae frondibus umbrae.*] ita debere restitui versum hunc mihi visum est, cum legeretur: *aequiperat novis materna frondibus umbra.* sed et verbum *aequiparare*, quod admodum Corippo frequens est, semper in exemplari nostro ms *aequiperare* legitur. Ruiz. adsciticiis nihil opus est. in ms fuit *aequiperat.* adiice litterulam *a*, *aequiperata:* rem ipsam habebis. voluit autem hoc versu exprimere illud Claudiani auctoris sui: *promittit iam parva comas.* Barth.

ib. *novis* illud ex superiori eiusdem loco alludit: *haec nova crescenti plenae par altera lunae.* arbor autem nova, recens florida, significatur firma, non laesa tempestate aut alio aliquo vitio. Horatius: *quam nova collibus arbor inhaeret.* Barth.

84. *divalia tecta* imperatoria. supra 1 42: *divalis origo.* imperatores Valentinianus et Theodosius lib. 10 Cod. tit. 28 c. 7: *nullique licere deinceps contra divalia statuta suas relevare possessiones.* Barth.

85. *turbae*] vulgus omnis generis, phrasi sacrorum evan-

gelliorum. Iuvencus lib. 2: *cum turbis anxius ille in mare velivolum celsam deducere iussu discipulis puppim.* eodem: *domum repetit sero turbasque relinquit.* et est is poëta omnium scriptorum simplicissimus, tamen qui plus in sinu gerat quam fronte polliceatur, ut ex nostris ad eum notis patebit. Barth.

88. habuit hunc versum ante oculos e Claudiano de raptu 2: *Parthica, quae tantis variantur cingula gemmis regales iunctura sinus.* inter ornamenta regia sive imperii insignia erat *balteus,* quem alii vocant *cingulum militare,* quod infra hic eleganter describitur 2 115 et 4 232. aurum hoc et geminae in balteo militari *bullae* dictae Virgilio ad finem lib. 12 Aen. duplex eius usus, ad ornatum tutelamque. Pers. 4: *lato balteus auro protegit.* Valer. Flacc. ad finem lib. 5: *quem balteus asper subligat.* hinc *aurati et constellati* dicuntur Pollioni in Gallienis, et Papinio initio 6 Theb. *cinctus sonantes.* Sen. Herc. fur. act. 2 choro: *aurato religans ilia balteo.* notum ex IC militaria privilegia per cingulum notari, exauctorationem per cinguli ademptionem. Claudian. in Eutrop. 2: *militiam nullam, nec prima superbus cingula dignari.* idem in satisfactione ad Hadrianum praefectum praetorio: *eripe calcatis non prospera cingula Musis.* id est detrahe mihi cingulum, et ius militandi ignominiosa missione exauctorato. adde in cingulo gestatos enses. Iohan. Saresberiens. 6 13: *honorem gladii in militari cingulo frustra portat.* Sidon. Apollin. carm. 2: *bullis hostilibus asper applicat a laeva surgentem balteus ensem.* Dempst. iterum Claudianum suum exprimit de laudibus Stilichonis 2: *quin et Sidonias chlamydes, et cingula baccis aspera, gemmataeque togas, viridesque smaragdis loricas, galeasque renidentes hyacinthis.* talem autem vestem talarem ingentibus spatiis circumcinctam, gemmis et auro intertextam in Theodori Lascaris, Michaëlis et Andronici Palaeologorum picturis conspicere possumus beneficio doctissimorum hominum, qui Nicephorum Gregoram nobis ediderunt. Barth.

ib. *cingula* nominat, quod in iis maxima cura fuerit veterum. nam et qui alioquin nulli omnino cultui studebant, immo aversabantur velut omnem, *cingula* tamen ornatiora habebant. Hieronymus epist. de vestitu sacerdotum ad Fabiolam: *tertium genus est vestimenti, quod illi appellant abnet, nos cingulum, balteum vel zonam possumus dicere, Babylonii novo vocabulo hemechanin vocant. diversa vocabula ponimus, ne quis erret in nomine. hoc cingulum in similitudine pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in rotundum textum est ut marsupium longius putes. textum est autem subtegmine cocci, purpurae, hyacinthi, et stamine byssino ob decorem et fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum ut diversos flores et gemmas artificis manu non textas sed additas arbitreris.* vides ea aetate, illa morum serietate, divinum sexem versicolorem cingulorum ornatum non ab-

nuere. mutata autem forma horum magnopere fuit sequentibus temporibus (hoc enim quod in dictis iconibus imperatores laevo lacerto gerunt, cingulum utique est), ut et diadematum: cum enim fascia esset illa olim, coepit pensilis ordo margaritarum aliarumque gemmarum a capite summo ad humeros usque fieri, ut vides in iisdem picturis. Barth.

91. *lumen,* hoc est solem, reddidit velut clariorem diemque magis illustrem. sed ex v. 108, quod solis dieique diximus, potius cereorum faciumque lumen fuit. *regalia* autem membra venusta, magnifica, insignia dixit: *κρεῖττον γὰρ εἶδος ἄξιον τυραννίδος*, ut ait Euripides. nam vultus et aspectus regum regalem etiam maiestatem prae se fert. Nonnus 3: *ἀριφραδέων γὰρ ἀνάκτων αὐτόματοι κήρυκες ἀναυδέες εἰσὶν ὀπωπαί.* Barth.

93. pro *aethere* repositum est *aethra,* ut in proxime duobus subsequentibus versibus *viso* et *die* pro *visu* et *diem.* Ruiz. erat in vetusto codice *aethere,* mendum librarii. Dempst.

94. *ardentes radios*] quia *ardentior* sol per nubes terras illustrat. sic Plutarchus amicitiam odiis exorientem ardentiorem dicit, non secus ac solem trans nubes aestuantiorem. *iubar* autem solem designat. Virgilius: *it portis iubare exorto delecta iuventus.* Barth. *viso*] hoc quoque corruptum erat et *visu* legebatur. pari inscitia *diem,* et illud depravatum. bene restitutum *die* pro *diem.* Dempst. *omnia viso*] sic Ruizius Assagrius et post eum Dempsterus reposuere, cum legeretur *visu,* et *diem.* sed haud dubie scripserat Corippus: *omnia visum congaudent elementa diem.* lineola, quae loco litterae *m* super *u* fuerat exarata, a sequenti librario neglecta est, ut id fieri frequenter adsolet, et plures notarunt alii, ac quis nescit? Vonck. *omnia viso congaudent elementa die*] haec interpolatio est Michaëlis Assagrii, qui edito hoc poëta omnem sibi posteritatem devinxit. in manu exarato libro fuit: *omnia visu congaudent elementa diem:* ex quo coniecit quondam Elias Putschius *visum congaudent elementa diem.* sane potius credibile unam litteram defuisse in scripto codice quam duas mutatas fuisse. *congaudent* omnia *elementa visum diem* pulchre expressit quod ait Claudianus: *risitque tuo natura sereno.* sic ipsemet 4 96 Corippus: *iubar axe sereno emicuit, votisque pie sese obtulit orbi, laetificans cunctas felici lumine terras. clara coruscantem lux auxerat* (ita legendum) *altera lucem cum terris gaudente polo.* quo postrema ipsa sua haec verba expressit auctor non obscuri in tanta nocte temporum ingenii. quod quidem de poëtica nocte dictum volo: nam alioquin et eo aevo, et postea Christiani doctores tanta eloquentia tantoque ingenio, licet pauci, fuerunt tamen, ut cum priorum non paucis contendere dubia victoria possint. dixit autem *congaudere diem,* ut alii gaudere gaudium. Iuvencus 1: *gaudia magna magi gaudent sidusque salutant.* Barth.

97. *gradiuntur* est restitutum pro *gradantur*, nisi aliquis malit *gratantur* reponere, quod mihi minime placet. Ruiz. viderat Assagrius in ms exemplari *gradantur*. ille restituit *gradiuntur*, nullo, ut puto, sensu: quis enim unquam audivit *gradum in luminibus?* reponi posset *gratantur*, nisi idem esset *gratari* ac *gradari*; veteres quippe usurpabant *d* pro *t*, quod ab erudito viro Ioh. Meursio observatum video, ut e contra *t* in *d* mutatur. Ios. Scal. ad Festum. Dempst. *gradiuntur*] haec eiusdem Assagrii coniectanea interpolatio est, cum in unico illo exemplari reperisset *gradantur*. non inepte exinde idem Elias Putschius *gratantur* concinnavit. nam de gaudio elementorum locutus bene subiicit gratationem luminum caelestium, cum mutuo gaudio blandius omnia sese aspiciant, et congratulatione velut vicissim data et accepta exsultent. Barth. sic legendum existimo: *ipsaque conspectis radiantur lumina terris*. dixerat nube discussa ubique iubar radios spargere, solem nitere, segetes vernare et gramina crescere. addit nunc ipsa solis lumina, ubi terras conspexerint splendentes, adeo magis adhuc radiari, et clariorem inde lucem exoriri. ceterum vir doctus ad marginem libri sui, cuius mihi copiam fecit Wielingius, notarat in ms esse *gradantur*, id quod Raizius voluerat, additque legendum *gratantur*. Goetzius inquit: *fortasse rectius numina pro lumina*. quid audio? *gradiuntur Numina conspectis terris*. huc augures! haruspices! Vonck.

98. exclamatio ob praesentiam exspectatarum rerum exsultantis. Martialis: *haec est illa dies, magni quae conscia partus Lucanum populis et tibi, Polla, dedit*. Caesar apud Lucanum 7: *haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undam promissam memini*. et est exclamatio rei insignis visae, quae elucent ceteris. Claudianus: *stes licet in populo, clamet quicunque videbit hic ille est Stilicho*. Barth.

100. *Pius*] grandiuscula littera velut cognomen hoc Iustino datum exprimi iussi. tam enim Pius fuit ut de eo scribere non vereatur Venantius Fortunatus: *Constantinum vir, Helenam pia femina reddis*. ita enim scribendum in supplemento poëmatum eius scriptoris, Elegia qua nomine Rhadegundis reginae Christo devotae gratias agit Iustino et Sophiae de missis sacrae crucis assulis quibusdam. Barth.

ib. *pios*] legebatur antea *pius*, manifesto errore. Ritt.

101. vestem candido serico, intextis auro et gemmis, simul auricolorem et albam nominat. nam in materiem albam intextum erat aurum, ut scribit de solis purpureo pallio Martianus Capella: *pallium coccineum, sed auro plurimo rutilatum*: haec ideo annotamus, ne quis diversitate colorum ad corrigendum aliquid moveatur. Barth.

104. *surae*] antiqua calceamenta suras usque pertingebant.

ras nota satis, sed tamen citabo nobilissimos auctores. Virgil. Aen. 1, unde haec sumpta videntur: *purpureoque alte suras vincire cothurno.* Calphurnius Flaccus ecloga 1: *purpureo stabis suras evincta cothurno.* Livius Andronicus, qui primus teste Cicerone fabulam Romae exhibuit, apud Terentianum Maurum: *et iam purpureo suras include cothurno, pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra. dirige odorisequos ad certa cubilia canes.* Horat. sat. 1 6: *nigris medium impediit crus pellibus.* Sidon. Apoll. in carm. 2: *concurrentibus ansis vinclorum pandas texunt per crura catenas.* DEMPST.

104. *purpureo cothurno*] ruber color etiam in crepidis inter imperatoria insignia. Nicephorus Gregoras lib. 3: *ἡ γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ μήτηρ Εἰρήνη ἡ πρώτη τῶν θυγατέρων ἦν Ἀλεξίου τοῦ βασιλέως, ὃς ἐπειδὴ γονῆς ἄρρενος αὐτὸς οὐκ ἠύμοίρει, ταύτην ἐρυθροῖς ὑποδεδέσθαι κρηπῖσι προσετετάχει, ἵν' εἴη αὐτή τε καὶ ὁ ταύτῃ συζευχθησόμενος τῆς βασιλείας διάδοχος.* ex cuius sequentibus verbis despotarum tantum coniugibus hoc integrum fuisse habitu uti simul, et eos tum temporis fuisse suspiceris despotas quos superior aetas Caesares dixerat, nimirum successores designatos imperialis dignitatis. BARTH.

ib. purpura non nisi regnum et imperatorum gestamen erat. privato, absque indultu principis, eam habere licebat nemini, eiusque rei delatores et accusatores erant; quod et Chrysostomus satis indicat homil. 2 in 2 ad Timoth. sic Lactantius 4 7 6 scribit *Romanis indumentum purpurae insigne esse regiae dignitatis assumtae.* imperatores tamen, ut innuebam, istud honoris privilegium quibusdam interdum indulsisse cum aliunde constat, tum ex hoc Chrysostomi loco didicimus, qui est homil. 5 in 1 ad Thessal.: *εἰπὲ γάρ μοι, εἴ τις ἁλουργίδος ἀξιωθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ μυρίας ἑτέρας τιμῆς, καὶ κελευσθεὶς ἀξίως ζῆν τῆς τιμῆς, ἀπελθὼν τινι προσφθαρείη γυναικί, τίνα ὕβρισεν; ἐκείνην ἢ τὸν βασιλέα τὸν δεδωκότα; ὕβρισται μὲν κἀκείνη, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως.* facit huc quod apud Tertullianum de idololatria c. 18 legimus: *purpura tantum honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem regum merebantur; unde et purpurati regum vocabantur a purpura, sicut apud nos a toga candida candidati.* eodem refero dictum Christi Matth. 11 8: *ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδού, οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.* adi et l. pen. atque ult. C. de vestib. holoseric. sed et *calcei rubri, et rubricatis pellibus*, quas *sanchas Parthicas* vocat Trebellius in Gallieno, solis imperatoribus, praesertim iis qui Cpoli sederunt, sacrati erant. vide Casaubon. in hist. Augustae scriptores p. 598. RITT.

ib. resonant] sonum hunc ab igne mutuum sumpsit Corippus: ignis enim maxime florens ac radians crepitare auditur. cum autem igni similem splendere vestem Iustini fecerit, iam

cruralibus indumentis aliud ignis proprium tribuit, sonum nimirum. pari omnino figura locutus Iuvencus noster libro 4: *sidera iam luci concedunt, et rapidus sol progreditur, radiis terras crepitantibus implens.* quem locum insulsi incogitantesque sunt qui mutant. etsi enim nemo unquam crepitantem solem audiverit, quia tamen praecellentissimus ignis est, poëta hoc iure suo illi tribuit, quod flammae florescentis proprium est. sic avium volatum crepitare aiunt alii poëtae, cum plerarumque non audiatur. Dracontius: *exsilit inde volans gens plumea laeta per auras, aëra concutiens pennis crepitante volatu.* Iuvenci autem versiculus crebra iteratione radentis velut litterae etiam sono flammam crepitantem expressit. Barth.

104. regum et heroum calceamenta antiquitus erant cothurni. id vero indumentum eleganter describit Sidonius ad Anthemium. Barth.

105. *inducere* ἀντὶ τοῦ induere posuit etiam supra: *egreditur, tunicaque pius inducitur artus.* Barth. *vinclis*] subere sublevatis cothurnis ansae quaedam per crus tendebantur, ut firmius haererent. Sidon. idem 8 ep. 11: *atque vinculorum concurrentibus ansulis, reflexa ad crus per cameram catena surgat.* Ovid. Metam. 8: *vincla duae pedibus demunt.* Manil. 4: *et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.* Fest. 1: *amenta, quibus vinciuntur solearum lora.* Scholiastes vetus Iuvenalis ad sat. 5: *calcearii cum festinant, et ansas caligarum praetereunt nonnullas.* Tibull. 1 5, 6 et 8. Ovid. Fast. 2: *vincula scindebant pedes,* et 3: *vincula plantae,* et 5: *pedes nulla habent vincula,* ut ansae vincula et lora eadem sint. de magico sacri ritu Flacc. 3 Argonaut. ex 4 Aeneidos Maronianae: *ducit et ad fluvios, et vincula solvere monstrat prima pedum.* denique Petronius: *atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calceamentorum resolvit ac trahit.* Dempst.

106. rarior apud auctores Parthicorum vellerum mentio. lynces autem puto intelligi, quarum pellibus inducta fuerit purpura. lynces Assyrias ei usui adhuc hodie commendatas docent eximii viri et primatibus omnis aevi accensendi Augerii Busbequii epistolae. eiusdem pretii puto habitas Arabicorum murium pelles, de quibus Paullinus Iunior in Eucharistico: *cultior utque mihi vestis foret et nova saepe, quaeque Arabi muris leni fragraret odore.* invenio Arabas pellibus molliendis singulare artificium habuisse. auctor libri de re militari: *vitulinis pellibus Arabica arte mollitis: est enim apud eos praecipua confectionis cura propter aquam de puteis follibus hauriendam.* ultimo aevo Phoenicum pelles in vita Caroli Magni celebrat Sangallensis monachus. Italica vero tinctura nobilissima. Horatius: *lana Tarentino violas imitata colore.* Paullinus ad Nicetam: *Appulis sed te via prima terris, te vehat longo spatiosa plano, qua Ca-*

nusino medicata fulgent vellera fuco. inde Campana peristromata puto laudata Plauto *Pseudolo.* Barth. *pelles Parthicae,* quas noster *Parthica tergora* adpellitat, memorantur quoque in l. 16 § 7 D. de public. et vectig.: *Pelles Parthicae, ebur, ferrum Indicum.* quamvis quidam codices pro *Parthica* hic scriptum habeant *Baumestiae,* referente Pio Ant. Bartolino Adnot. in Leges cap. 65 (Gruter. lamp. t. 1 syll. 3). Vonck. *Parthica tergora* sunt pelles Parthicae, quarum frequens mentio apud veteres; et in codice, qui eas curabant, Parthicarii dicuntur. Fogg. in ms *fugo* legebatur; nec tamen memini apud aliquem me legisse, qui sit Campanus fucus. septem porro versus huic proxime subsequentes optime sunt integritati suae restituti, cum a librario fuissent perversissime descripti. Ruiz. notandum est Michaëlem Assagrium impudentiuscule fecisse, quod suam nobis septem integrorum versuum correctionem obtrusit, veteri lectione codicis, quem unum solumque exstare hactenus non ignorabat, dissimulata, cum se eos corruptissimos invenisse fateatur. itaque quaecunque in obscurorum eorum explicatione dicemus, ob oculos tamen semper nobis obversabitur potius nos Ruizii alicuius quam eius scriptoris sermoni operam dare quem pro aevo et copia ad eruditionem perfectam necessaria magnopere amamus. sane dupliciter Ruizius peccavit: ordinem enim versuum luxavit [109 et 110 ante 107 positis], et pusillo mendo [*qui* v. 109] non animadverso hiantem difficilemque sententiam concinnavit. quis enim, quaeso, tam negator erit qui non assentiatur nobis hoc [qui iam restitutus est] ordine conceptos esse a Corippo versiculos? quae difficilis impeditaque erat, sic meridie clarior sententia habetur. scripsit vero *quia,* duabus syllabis in unam contractis, quod non potuit animadvertere editor Hispanus. sic causam assignat cur et pedibus conveniat Romani principis cruoris color. erat tum apud Graecos imperatores moris hostem non prius edomitum putare quam cum pedibus eius collo impressis Romanus princeps triumphum solemnem de eo peregisset. eum morem habes in eiusdem huius Iustini historia cognatum suum eodem nomine tollentis, cuius et interemti caput cum Sophia coniuge conculcavit, apud Nicephorum Callistum 17 34, a quo scriptore de hoc principe alia omnia narrantur quam et a Corippo nostro et aliis antiquioribus. nos vero fabulosis narrationibus addictiorem Callistum illum honore praefato seponimus. Barth. hos versus a Ruizio turbatos atque corruptos ita Barthius disposuit atque perpolivit; sed v. 109 pro *quia* sufficere malim *queis* seu *quis,* hoc est *plantis;* et sententiam puncto concludere in fine v. 110. Vonckius quoque ex cuiusdam docti viri indicio restituendum censuit *queis,* quam lectionem sequitur Christophorus Saxius *in Diptychon Magni consulis.* sed quia neuter versuum oeconomiam a Ruizio interpolatam correxit, ineptam Corippo

sententiam affinxerunt, quasi diceret Romanum principem consuevisse *calcare cruribus* edomitos tyrannos. contra vero, versibus in suo ordine restitutis, eleganter Corippus dicit Romanum principem consuevisse calcare pedibus tyrannos, ut etiam in Fragm. v. 2, et 1 63 et 286. Fogg.

108. *pro sacris plantis*] imperatorio, ut dixi, calceatu. Nicetas Choniates in Iohanne Comneno: *ἀμέλει τοι καὶ αὐτὸν ἐπικρίνας καταλείψειν τῆς βασιλείας διάδοχον ἐρυθροῦ τέ οἱ πεδίλου μεταδεδώκει καὶ βασιλέα ἐδεδώκει ἀναγορεύεσθαι.* Georgius Cedrenus in Michaële Rancabo: *πρὸς τὸν Λέοντα τῆς βασιλείας ἐπαγόμενον ἐξέπεμψε σύμβολα, τὸ διάδημα, τὴν ἁλουργίδα καὶ τὰ κοκκοβαφῆ πέδιλα.* Barth.

109. *quia* contraxit antiquitatis purioris imitatione, ut saepius elegantissimus scriptor, cuius ingenium et eloquentiae nitor in re difficili admirabiles sunt. Terentianus Maurus in Praefat. *sic nostrum senium quoque, quia iam dicere grandia maturum ingenium negat.* et in libro: *non semper videas spondeum posse creari, quia mutas ita coniungi natura recusat.* idem: *quia variis pedibus loquimur sermone soluto.* iterum: *nec modo quia verbo finem facit, unde putata.* denuo: *consona quia vis est illis nunc libera.* post: *quia sermo ipse manet nulloque est fine recisus.* et alio loco: *quia nec producta est, geminat nec consona vires.* et hoc non dubito quin offenderit Assagrius, cum versus perversissime scriptos a se in ordinem, si diis placet, redactos iactat. Barth.

ib. lege *quis solet,* id est *quibus.* firmant quae sequuntur v. 110. sed et sic legebatur in ms viri docti, quem laudabam, ut nihil adeo dubitandum. Vonck.

110. *collo* fastus omnis significatur, cum re vera illud calcarent victores. alibi: *properatque superbum inclinare caput subiectaque ponere colla.* Barth.

111. principum calcei distinguebantur ab aliis pretio et colore, nomine et forte materia: nam hic *mollissima tergora.* de pretio certum: nam in Caesarum soleis gemmae sculptae optimorum artificum manibus. de Carino notat Fl. Vopiscus, de Heliogabalo Iul. Capitolinus, de Diocletiano Eutropius, de Caligula, qui primus, ut puto, id gestaminis inter Romanos usurpavit, Plinius et Suetonius loquuntur. color muliebrium calceorum albus, Apul. Miles. 7, ut et venalium servorum, Plinio, Iuvenale, aliis; senatorum nigri, Horat. supra, Iuven. sat. 7: *appositam nigrae lunam subtexit alutae.* Augustorum calceamenta Byzantii purpurea proprie *campagi* dicebantur. Iul. Capitol. Maxim. Iun. *calceamentum eius, id est campagum regium, quidam posuerunt.* Trebell. Pollio Gallienis: *caligas gemmatas annexuit, cum campagos reticulos appellaret.* idem valent zancae seu *tzancae,* ut ex cod. Theodos. notat Iac. Cuiac. 21 28

observat. Curopal. tzangia vocat, in quibus lapilli et margaritae, et alio loco τζάγκαν usurpat. dictionem esse Turcicam vult Iunius, atque his soli imperatores utebantur. DEMPST. Fl. Vopiscus in vita Aureliani scribit eum tulisse viris omnibus *calceos mulleos*, ex quo Salmasius colligit non ante Aurelianum proprios tantum fuisse imperatorum calceos rubros, quos censet dictos esse *mulleos* a pisce huius nominis. enimvero Oppianus Halieut. 1 130 rosei coloris hunc piscem facit; et Seneca Nat. Quaest. 3 18: *nihil est*, inquit, *mullo exspirante formosius. ipsa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur.* praeterea, si Festum audis, *mulleis calceis reges Albanorum primi usi sunt;* et Dio 43 43, tradens Iulium Caesarem calceamentis uti interdum consuevisse more regum qui Albae regnarunt, quod ipsos genere contingeret propter Iulum, scribit quod calceamentis altioribus et rubri coloris utebatur. FOGG.

113. *mysterium*] quod in syllabam peccat, non sine sua ratione facit: nam vox illa dudum latinitate recepta erat, nec iam originem suam spectabat, usu Christianae poëseos alio flectente. per *res* rerum argumenta indicantur. Iulianus IC c. 11 ad L. Aquiliam: *multa autem iure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus rebus probari potest.* Claudianus: *quanquam nullis mihi cognita rebus fabula vix tanto risit de crimine rumor.* BARTH.

ib. *mysterium*] sic infra 4 274: ne quem offendat huius verbi syllaba contra prosodiam Graecam correpta, sciendum sacros poëtas fere omnes de industria solere hoc factitare, ut syllabas, quae apud Graecos longae sunt, ipsi breves faciant in huiusmodi nominibus quae a Graecis mutuati sunt. exempla multa tum apud alios passim obvia sunt tum apud Prudentium, ubi et Victoris Giselini eruditissima scholia hoc ipsum admonent. RITT.

114. an melius forte: *et cocto lucidus ostro?* ut Virgilius, quem imitatur saepius, *et cocto murice tinctum.* sed non opus, et magis est ut vulgatam praeferam, quamvis *lucidus* recte vocetur is qui purpura est indutus, quo modo et *lumen* de purpureo colore ac purpura dicitur. vide Salmas. ad Tertull. Pall. c. 1 p. 96. Ramires. Pentecontarch. c. 2 fin. VONCK.

ib. *cocto*] malim *facto*, hoc est elaborato. Virgil. Aen. 10 527: *sunt auri pondera facti, infectique mihi.* est igitur aurum factum aurum non rude, sed elaboratum, ex quo nimirum aliquid factum sit. Ulpian. l. Cum aurum. D. de aur. et arg. legat.: *cum aurum vel argentum legatum est, quidquid auri argentique relictum est legato continetur, si factum sive infectum sit.* FOGG.

115. fulgorem baltei sumsit a Marone mutuum: *infelix humero cum apparuit alto balteus, et notis fulserunt cingula bullis.* est vero *balteus* tam muliebre quam virile gestamen, ut

vides apud Iuvenalem 6, nisi tamen ille locus aliter capiendus: *balteus et manicas et cristas crurisque sinistri dimidium tegmen.* certe glossam huc facientem ad muliebria indumenta veterem reperi. BARTH.

115. *heriles*] imperatorios: *herus* enim princeps. Ausonius ep. 16: *exceptis tribus, herus heroum maximus.* hoc est Theodosio Valentiniano et Arcadio, quibus tum simul principantibus scribit etiam sic Symmachus 10 epistolarum. BARTH.

117. *fusa*] imitatur Claudian. de raptu 2: *crispatur gemino vestis Gortynia cinctu, poplite fusa tenus.* DEMPST.

120. dixi supra positas principibus pedestres et clipeatas equestresque statuas exserta dextera ad auctoritatem et imperium significandum. ritus principium a familia Cethegorum, quibus familiare sic incedere. Lucanus 2: *exsertique manus vesana Cethegi.* Sil. Italic. 8: *ipse humero exsertus gentili more parentum.* DEMPST.

ib. lumina] diem nimirum, *solaria lumina.* sic supra v. 91. BARTH.

122. fibulas gemmis distinctas gestabant principes, et exemplum apud Vopiscum in Carino. Aurelianus (refert idem) *concessit militibus fibularum aurearum usum.* et verius ornant quam vestiunt. Plin. 33 1, Mart., Iuven., Virgil. passim. Ulpian. IC lib. 44 ad Sabinum exstat constitutio Leonis Aug.: *fibulis in chlamydibus his quoque utantur* (privati), *quae solae auro et arte pretiosae sunt.* DEMPST. in vestitu imperatorio *fibula* pretiosissima ponitur. Spartianus in Hadriano: *cum vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemma fibulam stringeret.* Trebellius Pollio Galienis: *cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis Romae visus est.* ex quo apparet tum pro nota superbioris cultus sumptum; posteriora autem saecula omnem in talibus disciplinam perturbarunt. BARTH.

124. principum aula Ravennae erat, tum quia magna illa et populosa urbs illo saeculo, tum quod praesidiis navalibus apta. vide Cassiod. 10 ep. 15. Savaro ad Sidonium Apollinarem. primam producit, cum alii corripiant. Mart. 3 56 et alibi saepe. Claudian. de 6 Hon. consulatu: *antiquae muros egressa Ravennae.* sed nomina propria pro habitu corripiuntur producunturve. Serv. ad illud Aeneid. 10: *nova gaudia Cydon.* DEMPST.

125. *Belisarius.* omnium ducum hic maximus quos aetas illa tulit. in nummo inscripto: *Belisarius Romanorum decus.* Cedrenus. nam Iustiniani auspiciis in Africa Vandalos vi domuit, in Oriente Persas, in Italia Gothos. sed ingratus princeps eruit benemerito duci oculos, qui in tuguriolo prope urbem, quod reliquum erat vitae, stipem emendicando transegit. cuius has ae-

cepi voces, *date obolum Belisario, quem fortuna fefellit.* alii sic, *quem invidia, non culpa caecavit.* haec Crinitus, Pontanus, Volaterranus, alii. sed contra Andr. Alciat. parerg. 4 24. DEMPST.

130. Persarum moribus inter insignia regia erat torques aureus. Aemilius Probus in Datame: *ornavit etiam torque atque armillis aureis ceteroque regio cultu, ipse agresti duplicique amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam.* is transivit ad principes Cpolitanos, luxu et mollitia omnibus Asiae regibus non inferiores. BARTH.

ib. *Armati* nomen videtur esse proprium viri cuiuspiam, uti apparet ex eo quod subditur v. 135. cum tamen nomen sit inusitatius, praecipue illo aevo, et pro homine simpliciter armis induto non posuerit Corippus, suspicatus aliquando sum vitiosam scripturam ex abbreviatione in ms codice expressisse Michaëlem Assagrium, et scribendum *Martinum.* eum autem Martinum esse suspicor, qui ex tribuno isto postea factus fuerit patricius et copiarum, licet aequo timidior, dux; cuius meminit Zonaras in vita Iustini Iunioris. in qua coniectura magis etiam confirmor, cum Nicephorum Callistum 17 37 et 38 eum hominem Martianum nominare video; quod utique nomen corruptum est apud Corippum ex abbreviationis contractione (licet enim solemnibus verbis de his talibus loqui), ignorantibus librariis, vel et inscio editore, accentum in hoc genere, non derivationem sequi poëtas aevi inclinantis; qua de re non repeto quae in Prolegomenis ad Claudianum puer notavi. itaque vix dubito utroque loco *Martiani* nomen esse restituendum. BARTH. ex sequenti v. 136 videri potest proprium esse cuiusdam viri nomen; et hoc inusitatum non fuisse probant Fasti consulares, ubi annus sal. 476 notatur consulibus *Fl. Armatio* et *Fl. Basilisco,* et an. 477 *post consulatum Basilisci 2 et Armati,* qui interfectus est iussu imperatoris Zenonis. vide Evagrium 3 24. verum mihi potius videtur Corippus generica *armati* voce esse usus ad designandum unum ex militibus candidatis corporis principis protectoribus, qui aureo torque insigniti erant, subitaneo impetu et inopinato Iustini collo torquem imposuisse suum, non secus ac *Maurus quidam nomine abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Iuliani confidenter imposuit,* cum Iulianus cognomento Apostata salutaretur imperator, narrante Ammiano Marcellino lib. 20. hanc mihi suspicionem auget ac fere suadet historia inaugurationis Anastasii Dicori apud Constantinum Porphyrogennetum *de ceremoniis aulae Byzant.* 1 92, ubi pariter legitur quod sublato Anastasio in scuto ascendit campiductor lancea-riorum, et imposuit eius capiti torquem suum sibi abstractum. FOGG.

131. Ruizii lectionem in textu intactam reliqui, sed corruptam puto: quid enim est Armatum ter collo novi imperatoris torquem imposuisse? si quid audere licet, legerem: *quod faciens, terno dextram pro munere tendens,* quia mos erat ut novi imperatores certa nummorum aureorum summa milites donarent, quae ab Ammiano Marcell. *ob nuncupationem Augustam debita* dicitur, et quam trium aureorum fuisse colligo ex imperatoris Macrini concione ad milites, postquam eius filium Diadumenum ei in imperio consortem acclamarunt et nominarunt Antoninum: sic enim in ea Macrinus loquitur: *habete igitur, commilitones, pro imperio aureos tres, pro Antonini nomine aureos quinos, et solitas promotiones, sed geminatas.* vide Lampridium in vita Antonini Diadumeni. Fogg.

133. sciolus aliquis *Augustum* in ms emendaverat: at nobis magis veterem lectionem *Augusti,* uti erat, placuit retineri. Ruiz. in veteri codice exaratum fuerat *Augustum:* reposuerat Assagrius *Augusti.* prior tamen lectio melior. Lampridius Severo: *Augustus primus est huius imperii auctor: in eius nomen* (sic legit Faber Semestr. 1 14, cum antea *omnes* legeretur) *veluti quadam adoptione iure hereditario succedimus;* de qua re abunde, ut spero, dictum ad illud de 6 consul. Hon. *et in nomen Romanis rebus adoptans.* confirmatur haec lectio 1 152. porro haec solemnia sunt consecrationis verba: *ego tibi confero imperium.* respondebat imperator: *ego te tribunum constituo.* Dempst.

135. *felix*] iam novum numen erat nimirum Iustinus, postquam Augusti nomen acceperat; itaque vocem divinam audiisse primus creditur Armatus iste. sic libro primo dixit *novum numen condere,* quod est novum facere principem. Barth.

ib. *Armatus*] tribuni cum crearentur pugione donabantur, praefecti gladio ad potestatem in facinorosos animadvertendi significandam. Turn. 12 6. Mart. 14 32: *militiae decus hoc et grati nomen honoris, arma tribunitium cingere docta latus.* inaugurato imperatore hi donabantur armis, Sidon. Apoll. carm. 5, idque coram senatu, evaginatis: *cui, teste senatu, ipse etiam strictum commiserat Ulpius ensem.* Papin. Silv. 5 2: *cuique sacer primum tradit Germanicus ensem.* vetus lapis: Publio Maecio Memmio Furio Balburio Caeciliano Placido. c. v. praefecto annonae. urbis sacrae cum iure Gladii. Dempst.

137. antiqua et frequens consuetudo, nuper creatum imperatorem scuto impositum humeris erigere et elevare, ut vulgus militum conspicue videre posset. Nicetas Choniat. de Alexio Emmanuelis filio, Zonaras in Iustiniano. Ammianus Marcell. 20: *impositus* (Iulianus a Gallicanis militibus) *scuto pedestri et sublatius eminens, populo silente Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre.* exemplum apud Nicephorum lib. 4 principio.

corrigendus Cassiodor. 10 ep. 31: *indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum, scuto* (non ut legitur in vulgatis codicibus *scutorum*) *supposito regalem nobis contulisse, deo praestante, dignitatem.* Tacit. Hist. 4: *impositus scuto more gentis* (Caninefatum) *et sustinentium humeris vibratus dux eligitur.* Dempst. *sublimibus*] sic restitui pro *sublimius.* observandus hic priscus mos et ritus inaugurandi principem, quod videlicet in clipeo erectus stans sublimis per quattuor lectos iuvenes attollebatur. mos iste Germanis etiam fuit teste Tacito hist. 4 15. apud Cassiodorum var. 10 Gothorum rex: *indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios more maiorum scuto supposito regalem nobis contulisse, praestante deo, dignitatem, ut honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.* de Chlodovaeo Francorum rege electo Gregorius Turon. 2 40: *at illi ista audientes, plaudentes tam palmis quam vocibus, eum clipeo evectum super se regem constituunt.* hunc morem Romani quoque milites a Germanis didicerunt, unde illud Herodiani 8 8 15: ἀράμενοι δὲ τὸν Γορδιανὸν Καίσαρα ὄντα αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες. sed et in Graecia idem mos observatus. de Hypatio seditiose contra Iustinianum electo scribit Zonaras in vita Iustiniani: καὶ ἀσπίδι αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες ἀναγορεύουσι βασιλέα. et Curopalates de officiis aulae: ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου κατατεθεὶς ἐπαίρεται εἰς ὕψος. Nicephorus Gregoras de Theodoro Ducae filio: ἀνηγορεύετο δ' ὕστερον βασιλεὺς παρ' ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων, κατατεθεὶς ἐπ' ἀσπίδος κατὰ τὸ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦν ἔθος. de solemni levatione imperatorum vide Pith. advers. 2 3, ad Sidon. Apoll. carm. 7 571. Ritt.

137. ut sensus evadat, lege *clipei,* et sic quoque coniecerat vir doctus. Vonck.

ib. clipei] Andreas Goetzius (et hoc unice profert in sua Corippi editione scitu dignum) adnotat quod Christianus Gotlibius Schwarzius (in sua *de antiquo ritu elevandi principes inaugurandos et de quibusdam sacris formulis et elevandi caeremoniis* Altorfii 1730, § 8 p. 19) hanc certissimam lectionem proposuit, animadvertens voci *clipei* ex sequenti voce *sublimius* litteram *s* male allitam fuisse. enimvero Corippus loquitur *de ingenti orbe unius clipei,* cuius amplitudinem confirmat v. 148. Fogg.

138. *lecti* pro *leti* restitutum; quod tribus versibus inferius non ausi sumus facere in *qui,* cum alioqui pronomen hoc ad *nomina* referendum videatur. neque vero huius rei abstinuimus sine causa legitimaque ratione, ut lectori diligenti discutiendum relinquimus. Ruiz.

ib. lecti. sunt candidati Caesaris, quibus cura elevandi novum imperatorem humerisque gestandi, qui mos non alio eget interprete quam Claudiano, cuius hi sunt e 6 consulatu Honorii

versus, praeter inscriptiones ab Onuphrio Panvinio citatas: *atque inter niveas alte veherere cohortes, subnixisque simul pubes electa lacertis sidereum gestaret onus.* infra 4 230: *electi iuvenes.* animadversum aliis, sed non ideo mihi omittendum, qui Corippum in manus tironum dare constitui. Iul. Capitol. Gordiano: *propere ventum ad oppidum Tysdrum, inventusque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lectulo; qui circumfusus purpura humi se abiecit, ac retrectans elevatus et imperatorem se appellare passus est.* idem Maximo et Balbino: *inter haec Gordianus Caesar sublatus a militibus imperator est appellatus.* Claudian. de 4 Honor. consulatu: *at mox cum solita miles te voce levasset.* corrige me duce *solito miles te more:* nam elevare principem voce est fausto clamore tantum prosequi, quod ritum solemnem non penitus explicat. Curopalates: *νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς ἐπαίρεται εἰς ὕψος.* Dempst. *lecti* proceri, decori. Virgilius: *vix illud lecti bis sex cervice subirent.* Ausonius Perioch. Odyss. 24: *mirati lectorum iuvenum cum grege densitatem uno agmine commeantem, causas interitionis accipiunt.* et bene *lecti* correxit Assagrius: nam aetate habituque pares ad talia legebantur. hinc Corippus 4 229. Barth.

139. intelligit Iota litteram, quae figura inter omnes alias rectissima est. Plautus longam litteram vocat. appellat vero *suam,* quod Iustini nomen ab ea scilicet incipiat; *sacratamque tribus nominibus* propter Iustinum primum, Iustinianum et Iustinum Caesarem secundum aut minorem, cui ita Corippus toto hoc opere pro viribus adulatur, quique sibi invicem alter alteri in imperio Romano successere. Ruiz.

140. *littera*] ab elementis primis nominum augures captabant imperiorum omina: nam oraculum eum Valenti successurum praedixit, cuius nomen a θ ε ο et δ inciperet; unde Theodorus elatus regnum affectavit, sed *scelestae cupidinis supplicia persolvit,* ut loquitur P. Victor in Theodosio. et vetus illud Carthagine dictum, *Gamma persequebatur Beta, nunc Beta Gamma,* id est, Gensericus Bonifacium, nunc Belisarius Gelimerem. Paulus Diacon. 16. littera ergo hic significata est I: nam tres continua serie imperatores sunt Iustinus Iustinianus et Iustinus hic noster. pulchre 1 352. Dempst.

143. *iuge*] similis numerus in invoc. Sedulii: *semper principium, sceptrum iuge, gloria consors.* Dempst. perperam syllabam corripit; sed exempla in omni genere Christianorum poëtarum. Barth.

ib. potestas Italico idiotismo hodie magistratum sive magistrum sonat. id bono ex usu latinitatis est sumptum. sic enim Petronius ad Fortunam: *rerum humanarum divinarumque potestas sors, cui nulla placet nimium secura potestas.* nec mutandum in iis versibus quicquam. sic Priscianus medicus 2 29:

stomachus omnium membrorum sortitus est dominium, reliquorum sibimet famulantium potestas virium, quibus aut deficitur aut recte valetur. Barth.

148. *princeps fortissimus.* Zonaras: Ἰουστῖνος δὲ τὸ γένος τυγχάνων Ἰλλυριὸς κουροπαλάτης πρὸ τῆς βασιλείας τετίμητο, καὶ ἦν τὴν φύσιν εἰς ἅπαντα δεξιός, τὴν γνώμην δὲ μεγαλόψυχος καὶ εὐσεβής. Barth.

151. in ms *nomen* legebatur perperam; nec aliud quam *numen* in vocandi casu reponi potest. Ruiz.

152. *mensuram*] capacitatem. sic in Fragmento ad Anastasium: *mensuram transfusa meam.* Barth.

155. *rependis*] ob versum: valet *perpendis.* Claudianus Panegyrico Mallii: *qui facta rependens consilio punire potest.* Barth.

158. sic Pindarus Isthm. 4: τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνᾶεν ἕρπει, εἴ τις εὖ εἴποι τι· καὶ πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντου βέβακεν, ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί. quae postrema quinque verba nullo negotio transposita hunc nobis versum iambicum suppeditabunt: ἄσβεστος αἰεὶ ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν. qui Latinus talis esse possit: *operum bonorum lumen extingui nequit,* vel *inextinctum manet.* Ritt.

160. *Iohannes pontifex,* qui ad Corippi poëmatis marginem dicitur consecrasse Iustinum, fuit sine dubio Iohannes ille Scholasticus, qui postremis vitae annis Iustiniani, Eutychio patriarcha Cpolitano ab ipso imperatore in Amasiam relegato, ex apocrisiario Antiocheno ipsi Eutychio in patriarchatu Cpolitano successit. ex Iohanne Zonara. Ruiz. *pontificum summus*] Orientalium nimirum, quos inter iam eminebat patriarcha Cpolitanus. tunc autem hanc dignitatem gerebat Ioh. Scholasticus, qui eam vivente legitimo patriarcha S. Eutychio mox invaserat; et quia facilis Iustino coronam statim imposuit, ita eum sibi devinxit ut ad mortem usque, quae contigit a. imperii Iustini 12, in dignitate manserit. quinetiam cum Anastasius episcopus Antiochiae in responsione sua ad synodicas litteras Ioh. Alexandrini, a Ioh. Scholastico ordinati, tum ordinatum tum ordinatorem perstrinxisset, e sede sua ob hanc causam deiectus est a Iustino, teste Theophane in Chronico. Fogg. ineptit veterum argumentorum marginalium auctor, qui ad Romanum pontificem refert, omnino vero bene Assagrius, qui ad patriarcham Cpolitanum. ab hoc enim coronam sumebant imperatores Graeci. Nicephorus Gregoras libro 3, non paullo melior scriptor cognomine illo suo: Ἀνηγορεύετο δ᾽ ὕστερον παρ᾽ ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων καθεσθεὶς ἐπ᾽ ἀσπίδος κατὰ τὸ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦν ἔθος. ἔδει δὲ αὐτὸν καὶ διὰ πατριαρχικῆς χειρὸς τὸ βασιλικὸν ἀναδήσασθαι στέφος. ἀλλ᾽ ἦν τηνικαῦτα ὁ πατριαρχικὸς θρόνος ὠρφανισμένος τοῦ διιθύνοντος, ἐπεὶ πρὸ βραχέος ἔφθη γενόμενος ἐξ ἀνθρώπων

ὁ πατριάρχης Γερμανός, ἀνὴρ συνετὸς καὶ ἀρετῇ καὶ λόγῳ τὸν βίον κοσμήσας. quo loco eruditissimus Wolfius non satis bene *sedentem in clipeo* vertit: nam stans illo elevabatur imperator, ut expresse scribit Corippus v. 139. ungebantur vero etiam imperatores Graeci ab illo eodem praesule, quod summi honoris eorum fuisse apparet ex eo, quod libro 2 idem Gregoras scribit Iustinianum archiepiscopo patriae suae pleraque maxima tribuisse. de Michaële: αὐτίκα δὲ καὶ βασιλείας ἑαυτῷ περιτίθησιν ὄνομα, καὶ χρίεται βασιλικῶς παρὰ τοῦ τηνικαῦτα τὴν τῆς Βουλγαρίας ἀρχιεπισκοπὴν διιθύνοντος· πλείστοις τε γὰρ ἄλλοις αὐτὴν ὁ βασιλεὺς ἐκ παλαιοῦ τετίμηκεν Ἰουστινιανός, ἑαυτοῦ γεγονυῖαν πατρίδα, καὶ πρῶτον ὠνόμασεν Ἰουστινιανήν, καὶ δὴ καὶ αὐτονομεῖσθαι ταύτην εἰς τὸ διηνεκὲς προσεπετάχει, πλὴν οὐχ ὥστε καὶ βασιλέας χρίειν Ῥωμαίων· τοῦτο γὰρ ἄλλοις ἐφεῖται παρὰ τῶν νόμων. illi alii alii non sunt a patriarchis, quos diximus, Cpolitanis. ita enim idem auctor scribit libro 3 initio: ἐπὶ τούτοις ὁ βασιλεὺς παρὰ τοῦ πατριάρχου χρισθεὶς καὶ τὸ στέφος ἀναδησάμενος πρὸς ἐκστρατείαν παρεσκευάζετο. Barth. Iohannes pontifex cognomento Scholasticus in epigraphe numeris praefixa inveniebatur. sed contradicit historia: nam consecratum Iustinum ab Eutychio patriarcha constat ex Diacono et aliis, nisi memoria lapsum dicamus: nam Eutychio in patriarchatu successit. Zonar. Dempst.

161. benedicebat patriarcha novum imperatorem manus ei imponens. ita patriarcha Epiphanius Iustinianum M. inauguravit, ut in vita S. Sabae archimandritae narrat Cyrillus eius discipulus. Fogg.

163. *sancire* non est Latinum; quare censeo legendum *vincire*, aperto sensu. Claudianus de nupt. Hon. et Mariae: *quod gener est, invicte, tuus, vincire corona.* Dempst. *sancire* nihil aliud est quam firmare, confirmare, testatum facere, ut apud Silium Italicum *dicto ocius acer intorto sancit iaculo.* poëtis autem Christianis sanctificare, ut Corippo hic. Sedulius lib. 4: *nam corporis atque sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit, atque cibum potumque dedit*, hoc est consecravit. nec vero quicquam Corippus melius dicere potuit, cum eo modo velut sanctum sacrumque et inviolatum reddatur caput principis. ita Maro de Iove: *audiat hoc genitor, qui foedera fulmine sancit.* Barth.

ib. *sancire* hic non est Latinum, ait Dempsterus, quare mallet *vincire*. sed *sancire* longe magis emphaticum: notat enim inaugurare, sanctum et ab aliorum violatione immune reddere, consecrare. sic *sancire templum* dixit noster 4 284. Vonck.

ib. Marcianus fuit imperatorum primus, quem certo novimus ex testimonio Theophanis coronatum fuisse a patriarcha Cpolitano. Fogg.

164. *feliciter*] deerat reliquum huius versus. ego supplevi sic: *feliciter, insonat omnes;* aut *hoc domino, inquit. feliciter* autem recepta formula dictum. Suet. Domit. 13: *acclamari epulari die in amphitheatro libenter audiit "domino et dominae feliciter."* Iuven. 2: *signatae tabulae, dictum feliciter.* dixi *omnes,* ut omnium ordinum in creando imperatore consensus signaretur: nam facto SC. clamabatur *omnes.* Fl. Vopisc. Tacito: *facta concione a Metio Nicomacho senatore clamatum clare, omnes, omnes.* idem in Probo: *decerno igitur P. C. vobis omnibus concinentibus nomen Caesareum, nomen Augustum. post haec acclamatum: omnes, omnes.* Lamprid. Commodo: *omnes censemus unco trahendum.* aut certe sic, *feliciter hoc domino, inquit,* ex Suet. supra. Dempst. *feliciter accipe, dixit.* sic explevi hunc hiatum, et distinxi: possis etiam *feliciter acclamavit.* de hac formula acclamandi recordor aliqua dixisse in notis ad Phaedrum atque ad Guntherum. Ritt. *aequor* ms exemplar. nec mutandum, cum non absit longe pelagus. vide supra 1 103 de domo Iustini. non vero in publico, sed in sua domo sumpsit Augustalem habitum Iustinus, et ita ornatus solemnia peracturus repente in Hippodromo comparuit, ut scribit Nicephorus Callistus 17 33. Barth.

ib. iam antea invaluerat ut novi imperatores coronarentur, quod constat ex libris Constant. Porphyr. *de ceremoniis aulae Byzantinae.* Fogg.

166. in vetusto codice *aequor* erat. aliis placuit *aether* restitui, nulla necessitate, cum constet ex situ Cpolis posse *aequor* legi. Dempst. lego *aether.* Barthius ut probet legendum esse *aequor,* citat 1 103, sed frustra: neque enim in domo sua, sed in regia arce imperatorias vestes Iustinus induit. Fogg.

170. *discrimine* perperam legebatur: repone *discrimina.* auctor elegiae de Philomela, e quo hic locus depromptus, *tu Philomela potes vocum discrimina mille;* licet antiqua lectio ferri potest. Dempst.

ib. imitatur Virgil. Aen. 6 646. Fogg.

172. *regnate pares.* ad vota coniugibus voveri solita pertinet: *paritate* enim Concordia intelligitur. Calpurnius: *este pares, et ob hoc concordes vivite: nam vos et decor et cantus et amor sociavit et aetas.* de paritate autem quaerenda in coniugio pulchre Aeschylus Prometheo: ἦ σοφός, ἦ σοφὸς ἦν ὃς πρῶτος etc. Barth.

174. *tandemque quievit*] pulchre lenitudinem considentis clamoris indicavit: non enim subito tanti vulgi adclamatio conticescit. et multa talia in Corippo curam, quam pro eo aevo, feliciorem referentia. sic scitissime talem *tumultum* instar considentis, ventorum animabus, ut Arnobius loquitur, sensim exspirantibus, pelagi referre cecinit Claudianus noster. Barth.

175. *solium conscendit avitum*] ex adoptione verum est, non natura. Iustinianus enim ἄτεκνος quoad prolem masculam fuit, nec vero tum ulla filiarum successio, nisi per adoptionem aut generorum aut eorum sobolis. *avitum* vero solium illud dicere poterat, non vero paternum, nisi iterum per adoptionem, ut infra v. 302. *sedes* autem illa imperatorum Graecorum etiam in palatio altior erat aliis sedilibus, ne comprimi aut molestari concursu posset imperator; de quo more sedendi ex Cedreno et Gregora alibi plura adnotavimus. Barth.

176. antiqua fidelium consuetudo, signo venerandae et salutiferae se crucis munire. Lactant. 4 26: *signum sanguinis, id est crucis quae sanguinem fudit, in sua fronte conscripserunt.* D. Hieron. epitaph. Paullae: *cum os stomachumque signaret, et matris dolorem crucis niteretur impressione lenire.* infinita sunt apud scriptores ecclesiasticos exempla virtutis sanctae crucis, D. Augustin. Civit. dei 22 8, Ioh. Sarisber. Policrat. 2 1. id ex institutione apostolica factum auctor est Tertullianus lib. de corona militis. Prudentius Cathemer. hymno ante somnum: *frontem locumque cordis crucis figura signet.* Alcimus Avitus 5: *sic nos, Christe, tuum salvet super omnia signum frontibus impressum.* infra 2 300. sed de eius cultu dixi ad lib. 2 in Ruffin.: *veneranda salutat vexilla.* Dempst.

178. *ore pio haec orans ait*] *haec* repositum est pro *sic* in hoc versu, ut sibi constaret; nisi iam mavis hoc modo legere: *ore pio orans sic ait.* Ruiz. sic in ms codice: *ore pio haec orans sic ait.* male. lege *haec orans dixit.* Dempst. non est recipienda lectio quam Ruizius ingerit *ore pio haec orans ait,* utpote versui contraria, ut non reperta in membranis, ut ab ipso interpolata, voce nota non genuina effarcta. in quam posteriorem culpam venit etiam Dempsterus cum suo *dixit.* sed traiectiuncula adhibita, vetus lectio servanda erit hoc pacto: *orans haec ait ore pio.* quam neutrum interpretem, hunc vero etiam tantae eruditionis virum, vidisse mirari subit. Barth. *ore pio haec orans ait*] rescribe *inquit,* exigente carminis lege. Ritt. *ore pio sic orans ait*] cum lectionem hanc salva caesura haud constare animadverteret Ruizius, pro *sic* reponebat *haec.* sed adhuc dum remanebat vitium in *ait,* cuius primam corripi oportuerat. Dempsterus legit *ore pio haec orans dixit.* optime in ms viri docti: *ore pio sic orsus ait.* Vonck. Ruizius in codice se legisse dicit: *ore pio sic orans ait.* error seu librarii in scribendo seu Ruizii in legendo exstat in voce *orans.* lege *orsus,* et in reliquis ms codicem sequere. Fogg.

180. *regendi* restituimus pro *regenti;* ut statim inferius *probante* pro *probate* in v. 184. Ruiz. *regenti*] ita fuit in unico illo exemplari, quod fuit penes Assagrium, qui *regendi* de sua liberalitate supposuit. ego, quamvis hoc blandiatur, tamen contra

fidem membranarum non receperim, utcunque laudet auctor paterque. alluditur enim regimine curarum ad officium *curopalatae*, quod habuit ante principatum Iustiniani obitu delatum Iustinus noster. Zonaras: *Ἰουστῖνος δὲ τὸ γένος τυγχάνων Ἰλλυριὸς κουροπαλάτης πρὸ τῆς βασιλείας τετίμητο*. Cedrenus: *Ἰουστῖνος ὁ ὀρθόδοξος ὁ Θρᾷξ*. ubi curopalaten addit interpres, quam vocem male omissam in Graeco Cedreni textu existimo. vide Nicephorum Callistum 17 33. BARTH. *regendi*] sic Ruizius et Dempsterus reposuere pro *regenti*, quod etiam praeferebat ms viri docti. utrumque non male, et suum habet sensum. VONCK.

183. *suscipimus*] idem mendum irrepserat in Praefationem num. 8: *suscipiens cornua lunae*. utrobique lege *suspicimus*. DEMPST.

ib. optime Assagrium reponere puto *suspicimus*. BARTH. ms enim *suscipimus*.

ib. legendum *grates agimus gratosque fatemur*, non duplici loco τὸ *grates* ponentes. BARTH.

184. Lucani est: *Iuppiter est quodcunque vides, quodcunque movemur*. similia apud Aratum principio Phaenomenon, Paullinum epistola 8 ad Ausonium, Arnobium libro 1 et alios. BARTH. sic Paullus apostolus 1 Cor. 15 10: *gratia dei sum quod sum*. et idem pro concione in Actis 17 28 ait: *in ipso vivimus, movemur et sumus*. RITT.

ib. *probante* ab Assagrio manavit: nam in ms fuit *probate*. at ego istud magis pro Corippo esse arbitror, quem suspicor sententiam suam ita concepisse: *ipsius est quodcunque sumus, ratione probare, et rerum certas licet enarrare figuras*. est quidem in lacunis talibus scriptis codicibus opus, sed tamen tale quid exigunt universa omnia quae sequuntur. pietatis vero merito studiosum et gnarum facit Iustinum suum Corippus, cum idem illi testimonium detur ab omnibus scriptoribus, licet Cedrenus et Nicephorus alioquin illum vituperent. nos cum talia legimus, deploramus interdum aut miseremur statum summorum principum, quorum res gestae non aliter a nobis quam per monachorum manus leguntur traditae. ita fit ut, uti quisque in hoc genus hominum affectus fuerit, ita posteritas eum aestimare nunc cogatur. lacuna vero hoc loci maior esse videtur quam unius hemistichii, ut censent viri docti. BARTH.

185. lacuna hic erat. implessem hoc modo: *et rerum certas animo moderante figuras*, vel ex se ipso: *habitu distante figuras*, aut *moderatur mente figuras*, nisi putassem sensum imperfectum, et aliquid deesse. utinam mihi contingeret quilibet codex e situ antiquitatis erutus, cuius opera fidenter auctorem integritati suae restituerem. DEMPST. *certas nobis praebente figuras*. sic fortassis licebit complere hoc carmen. illud autem mox sequens *componens hominem natus* ita restituo: *componens ho-*

minem naturae foedere iussit. et mox, *atque regantur,* lego ac distinguo, *utque regantur.* Ritt. supplevi *posuit deus ipse figuras,* Corippum ipsum imitans in Paneg. v. 16. vide etiam in hoc libro v. 20 et 154. Fogg.

187. Ptolemaeus: ἀρχὴ πάντων τῶν ἐν ἡμῖν μηρίων ἡ κεφαλή. capitis autem huius nomine se ipsum censet Iustinus, Sapientiae et Vigilantiae nominibus mox coniugem et matrem, quarum vocabula artificiose in ipsas rationes intexit, ut non fortuna sed merito videantur adeptae imperium. Barth.

188. lacunam supplevi ex coniectura Rittershusii; nec displiceret sufficere *fecit* pro *iussit.* Fogg.

189. sic in impresso libro lectum, *atque regantur;* in margine tamen notatum *ipsa.* quare censeo sic legendum interpungendumque: *omnibus ut membris caput imperet, ipsa regenti coniuncta est capiti sapientia.* Dempst. audax Assagrius pro *atque* nobis coniectavit *ipsa.* at mihi dubium non est scribendum *utque,* quam lectionem excogitavit olim amicus noster optimus et eruditissimus vir Gothofredus Iungermannus. Barth.

190. *arcem*] quibusdam placuit caput dignitatem habere, cui alia membra parere debeant. Plato in Timaeo. ob id illustres quidam philosophi animae sedem in illo posuerunt, Herophilus, Straton, alii, referente Plutarcho, ut quod in urbibus arx munita, id in humano corpore anima, unde in omnes partes genitalis vigor exeat. Claudian. de 4 Hon. consulatu: *hanc* (mentem) *summa capitis fundavit in arce, mandatricem operum prospecturamque labori.* Dempst.

ib. *corporis arcem*] sic Q. Serenus Sammonicus: *principio celsa de corporis arce loquamur.* et Manilius: *stetit unus in arcem erectus capitis.* vide notas meas ad Serenum. pulcherrime autem fabricam corporis humani accommodat ad reipublicae atque imperii ordinem et gubernationem, imitatus magnos auctores. nota loca Livii et apostoli Paulli. Ritt.

191. *retinens*] tenens exponendum. ut apud Catullum de Minerva: *diva retinens in summis urbibus arces.* sed distinguendum apud Corippum: *Sapientia: corporis arcem quae retinens, oculis speculetur membra serenis.* *arcem capitis* multorum egregiorum auctorum imitatione dixit, de quibus ad Claudianum. optime autem huc faciunt verba Minuti Felicis Octavio: *oculi in summo velut in specula constituti, omnes ceteri sensus quasi in arce constituti.* Barth.

192. *ut* pro *et* repone. Vigilanti maiuscula initiali littera scribendum: alludit enim nomen Vigilantiae imperatricis. Barth.

193. *pestis* quemvis morbum sonat, nec tamen non etiam pestilentiam Latinis, ut peccet hoc negans Obertus Gifanius. comparatio autem Corippi satis elegans: sed ille nimis laxam

facit, ut tota haec oratio eo vitio est distenta. sed hoc aevi potius quam Corippi est. pari laxitate disiungit Iustini ad Avarum legatos sequentibus libris, quae alioqui et satis arguta et non indiserta est. BARTH.

196. *quod fas est dicere.* malum omen cavet cautione hac addita, quod veteres nostros solentes fecisse una voce *praefiscini* omnibus iam notum esse existimo. ominis vero non boni suspicio in eo est quod ait *compositum esse* imperium. natura enim duce dicitur omnem compositionem resolutionem praeponere et metuere. Romanum autem imperium perpetuo cognomine velut aeternum, ab omnibus aevi illius superiorumque scriptoribus dictum, ut mille locis codicum Iustinianei et Theodosiani vel solorum firmare licet. metus itaque erat ex superstitione publica, ne compositione partium memorata epitheton illud perpetuum mendacii alligare vellet. quam autem ominosorum vocabulorum haec cautio, etiam bene Christiano aevo, fuerit religiose observata, alibi exemplis a nobis agetur. ab hac cautione mox etiam subdit *solidati corporis,* partes nimirum in unum iam solidum concrevisse autumans, nec metuendam solutionem. eruditissimus olim amicus noster *solida vi* legendum censet. nobis piaculum in mutatione esse videtur, quamvis ita loquatur Ennius: *rem repetunt regnumque petunt, vadunt solida vi.* sed illud nihil ad hunc locum. BARTH.

198. etiam hic delicias facit ambiguitate nominis *Sapientiae,* quod et proprium et appellativum est. RITT.

200. hic etiam tineae dictionem arroserant: ego putavi reponendum *sede sedens una.* Iul. Hygin. Astron. poët.: *Cassiopea sedens in seliquastro collocata est, cuius sedilis et ipsius Cassiopeiae pedes positi sunt in ipsa circuli circunductione, qui arcticus vocatur;* ubi sedere in seliquastro idem est atque in sede: nam *seliquastrum* sedile est Festo et Varroni 4 de ling. Lat. DEMPST. maxime congrua est coniectura Assagrii legentis: *sede sedens una.* idem commentum sibi et Dempsterus vindicat gaudemus de concursu vel concinentia potius iudiciorum. BARTH.

201. huc fere pertinent verba Arcadii et Honorii in l. 5 princ. Cod. ad leg. Iul. Maiest.: *senatorum etiam: nam et ipsi pars corporis nostri sunt.* et hoc quoque, uti alia plura, ex Corippo imitatus est Gunther. Ligurini 5 48. VONCK.

202. *vos brachia*] a rebus scilicet gestis aut gerendis. sic *dexterae* principum dicuntur ministri praestantissimi. auctor Elegiae in obitum Maecenatis: *regis eras genus Etrusci, tu Caesaris almi dextera, Romanae tu vigil urbis eras.* sic ad primum Officiorum Angliae Iohannes Sarisberiensis: *Anglorum regis dextera firma boni.* *pectus* cum eos vocat, vim consiliorum senatus intelligit, *brachia,* robur rerum gerendarum atque bellicum. BARTH.

206. vetus illa reipublicae forma, omnia senatus auctoritate agi, huius auspiciis bella geri, foedera iniri. Sueton. Tib. 30. Salustius Crispus monet Liviam apud Tacitum Ann. 1: *ne Tiberius potentiam dominandi resolveret, cuncta ad senatum vocando*. Sarisber. 5 9: *patres conscripti appellati, qui alios sapientia aetate et affectu paterno praecedebant. penes istos consiliorum erat auctoritas et omnium publice gerendorum.* quid poëtas citem? Lucanus 5, unde haec sunt sumpta: *cunctaque iussuri primum hoc decernite patres.* et 1: *consulibus fugiens mandat decreta senatus.* Claudianus de laud. Stilich. 1, et alibi saepe, ut ostendi: *neglectum Stilicho tot iam per saecula morem rettulit, ut ducibus mandarent praelia patres.* Dempst.

211. *miracula* res aspectu mirandae. *pulchri* epitheto etymon mundi alludit. Alcimus Avitus: *tum pater omnipotens aeterno lumine laetum contulit ad terras sublimi ex aethere vultum, illustrans quodcunque videt. placet ipsa tuenti artifici factura suo, laudatque creator dispositum, pulchro quem struxerat ordine, mundum.* vide scriptores ad Alexandrum, Appuleium, et Plinium 2. Barth.

214. exprimit se ipsum supra ex lib. 1 183. Barth.

217. imitatio est Martialis *Spectaculis*: *cum verus patriae diceris esse pater.* Barth.

ib. *disponere* solemne regendi verbum illo aevo. sic *dispositorem* moderatorem alibi dicit. *dispositiones* imperatoriae ordinationes, Anastasius imp. c. ult. C. de fructibus et litium expensis. Id.

218. totum hunc locum habes eleganter discussum apud Ioh. Sarisber. Policrat. 6 20: *pedes, qui humiliora exercent officia, quorum obsequio reipublicae membra per terram gradiuntur.* porro pedum nomine servi intelligendi. Art. 1 50. Dempst.

221. allusit ad fabulam caeci claudum portantis, qui ipsi qua eumdem commonstraret. vide Ausonii Epigramma 124, translatum ex Philippo et Platone poëtis Graecis non adeo antiquis. Barth.

223. *interiora*] ad longinquitatem protensi visus pertinet. tamen amici olim coniectura non displicet, *inferiora.* sic enim supra dixit v. 193: *subiecti corporis artus.* Barth.

224. *ante pedes planate vias*] ex evangelio, cuius et phrasim retinuit. sic infra eodem verbo usus v. 329. qui commentarium scribat, plerarumque apud hunc scriptorem locutionum exempla e sacris litteris producere possit. Barth.

228. *qui* ms: bene [Assagrius] *quin.* Dempst. *quin nec caussa*] mendum est, quod non erat Assagrii exstirpare. tu emacula: *quin et cauda* usque adeo, inquit, pedibus suus honor non est negandus, ut et si qua est rebus propositis cauda non sit negligenda, licet vilissimum corporis membrum, et tamen membrum.

supra enim dixit: *non minor est membris cura impendenda minutis.* per *caudam* vero sive postremam corporis partem utique intelligit Corippus servos, domesticos, qui officiis in familia minus honestis erant destinati, quorum quidem per singula ministeria nomina et velut officia erant divisa. *diurnum cultum* autem huius caudae dicit, quia diurni cibi servis in mensem dabantur, qui *demensi* nomine censentur a scriptoribus. vide quae scribimus ad Claudianum bello Gildonico v. 71. et haec emendatio verissima est, quales non paucae nobis in hunc ultimum vatem Romanum excogitatae. BARTH. visus est mihi Barthius nimis acute hunc versum corrigere voluisse. *causam rei* dici plebes puto, quia *magnis officiis summisque laboribus aptas,* ex quibus officiis et laboribus publica privataque res pendet. *ut igitur in seminibus caussa est arborum et stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti,* scribit Cicero 2 Philipp. en quo sensu accipienda videtur vox *causa.* dicit autem Corippus v. 216 *plebes* in plurali numero non secus ac Columella, S. Augustinus aliique sequioris aevi scriptores; et manifesto eam partem populi intelligit, quae a patribus distinguitur, et quae in varios ordines et classes divisa atque disposita reipublicae inservit. FOGG.

230. conferatur haec institutio reipublicae cum principe, quem Theodosius format apud Claudianum de 4 Hon. consulatu: multa enim inde mutuata. DEMPST.

231. verbum *priventur* minus usitate usurpatum est: hoc enim vult, exstirpentur, compescantur, contrahantur. nec est quod quis de lectionis veritate dubitet: sic enim etiam v. 336. hoc est in ordinem velut redigantur, quorum alioquin licentia erat hactenus intolerabilis. BARTH.

ib. versus uno tantum verbo mutatus repetitur infra v. 337. mire autem dictum *priventur* pro *auferantur, tollantur de medio.* RITT.

232. ad usuras referendum puto, quas immaniter tum vexasse populum alibi Corippus noster testatur. sed et *usus rei* pro re ipsa dicitur a bonis scriptoribus. Horatius 3 1: *quodsi dolentem nec Phrygius lapis nec purpurarum sidere clarior delinit usus.* BARTH.

233. alludit ad Virgilium. Aen. 6 853: *parcere subiectis et debellare superbos.* RITT.

234. quod in omnibus bene constitutis imperiis certum esse debet: cum enim peccat quis, poenae certus est. sic *culpa ipsa punit nocentem.* par sensus est in illo libri 1 60: *quisquis erit vestrae per se cadet invidus aulae,* suo nimirum scelere ipsum ulciscente. BARTH. nam regula est iuris, *peccata suos tenere auctores oportet, nec ulterius extendi metum quam reperiatur delictum.* l. 12 Sancimus, C. de poen., l. 26 crimen, ff. eod. tit. RITT.

238. ut supra in servis aut talibus *cultum diurnum* pro vita diurna dixit, ita modo de rusticis. sic *vitam diurnam,* quo in diem opus quisque habet. infra v. 376. Barth.

240. *bonos* colonos dicit, quod innocentissimum genus vitae agricultura aestimatum sit fere semper. sic apud veteres Romanos, qui maxime laudabatur bonus vir, *bonus agricola bonusque colonus dicebatur,* ut tradit M. Cato initio *de re rustica.* et apud Aristotelem Politic. 6: βέλτιστος δῆμος ὁ γεωργικός. versus autem isti Corippi divini sunt et quovis maximo vate digni. Barth.

243. imitatus est Horatium 1 od. 7: *mobilibus pomaria rivis.* Dempst.

244. quod sensum terrae adscribit, quae culta respondeat velut grato animo cultori, alludere videtur dialogismum perelegantem ruris cum colono apud Septimium Serenum, qui opuscula ruris conscripsit, ubi ait: *inquit amicus ager domino: si bene mi facias, memini.* sic *gratus ager* nominatur a Martiali 10 47: *non ingratus ager, focus perennis.* contra *mendax fundus,* qui plus pollicetur quam praestat, apud Horatium 3 1. Barth.

245. magis puto ex genio Corippi, *sic bene promeritos.* Vonck.

ib. *promeritos*] ita restitui, cum antea legeretur *pro meritis.* Ritt.

ib. distinctio sequentibus apud Corippum nihili est vulgo. sic ordinanda: *terra velut pinguis, cuius spes magna: senatus hic floret virtute.* sed tamen et senatus spes magna rei publicae dici potest. Barth.

246. Barthius ita distinguebat ut verba *cuius spes magna* ad pinguem terram referrentur, sed mihi arridet magis referre ad rempublicam. Fogg.

250. fiscum imperatorium comparat ventri humano, ut Menenius apud Halicarnass. 6 ad finem senatum ventri eidem: ἔοικέ πως ἀνθρωπείῳ σώματι πόλις, quem locum debeo eruditissimo viro et amicissimo Ioh. Cordano IC, quia ut inde derivatur alimentum in omnes corporis partes, quo singula membra vegetentur, ita regum opes subsidio esse debent civibus inopia laborantibus. Traianus Augustus dicebat *fiscum lieni similem, quod eo crescente artus reliqui tabescerent.* Aurel. Victor in Iuliano; notat Corasius. Claudian. de 4 Hon. consulatu: *non tua privatis crescunt aeraria damnis.* ubi aerarium, quod totius est civitatis, posuit pro fisco, qui veluti privatum Caesaris est patrimonium. Alciat. emblem. 146: *humani quod splen est corporis, in populi re hoc Caesar fiscum dixerit esse suum. fisco aucto reliqui tabescunt corporis artus, fisco aucto arguitur civica pauperies.* adi ad commentaria eruditissimi senis Claudii Minois. Dempst. elegantissima comparatio, qua et Hadrianus pontifex usus est apud

Iohannem Sarisber. Policrat. 6 24, ubi se de sinistris rumoribus, qui de rapacitate aulae Romanae iam tum passim spargebantur, excusat. *stomachus,* inquit, *licet vorax sit et avidus alieni, non sibi tamen petit, sed aliis membris, quae eo exinanito nequeunt sustentari. tale est, si attendas recte, in corpore reipublicae, ubi, licet plurimum appetat magistratus, non tam sibi quam aliis coacervat. si enim exinanitus fuerit, nihil est quod membris valeat impartiri. nam stomachi in corpore et principis in republica idem officium est, secundum illud Q. Sereni: qui stomachum dominum totius corporis esse contendunt, vera niti ratione videntur.* Ritt.

251. Menenius apud Livium 2 32: *ventris haud segne ministerium, nec magis ali quam alere, reddentem in omnes partes corporis hunc quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas, maturum confecto cibo sanguinem.* ὑπογάστριον, inquit Artemidorus 1 45, τὴν τοῦ σώματος ὕπαρξιν σημαίνειν νομιστέον. paria invenies apud Achmetem Oneirocrit. 78 et 79. Dempst.

252. *robore* pro *ab ore,* quod perperam legebatur in exemplari ms, reposuimus. Ruiz. *robore* bene repositum pro *arbore.* Dempst. nihil certius hac restitutione Assagrii, et frustra laborabunt qui aliam lectionem quaerent. Barth. *ab ore* exhibet quoque ms viri docti. Vonck.

254. *omnibus sufficiunt*] mirum quo viderint interpretes Lucilianam hanc synaloepham hic tolerantes. nam ut elidatur S, Corippo exempla petenda erunt ab Lucretii aut ad summum Ciceronis aevo: non enim puto post illum quemquam poëtam tale quid sibi indulsisse. scribendum vero citra controversiam *omnia.* manifesto enim captat collusionem contrariorum: cum supra dixisset *omnia deficiunt,* nunc opponit *omnia sufficiunt.* Barth. metrum et sensus flagitat ut legamus: *omnibus officiunt sacrati commoda fisci.* Vonck.

255. hoc loco, ut et inferius 3 359, *levamen* restitutum est pro *libamen,* quod contra carminis et sententiae rationem erat. Ruiz. ego puto legendum *litamen.* Dempst.

256. τὸ tutetur παθητικῶς accipiendum est. ne desit sua fisco tutela, quatenus id fieri post sine ullius laesione non merentis: improborum enim alia ratio est. ea sententia est etiam infra v. 262. verbo *tutandi* ita usus Claudianus, quem saepissime Corippus exprimit, de laudibus Stilichonis 2: *natos dederat quos ille monendos tutandosque tibi.* *tuendi* Varro de re rustica 3 1: *non sine causa maiores nostri ex urbe in agris redigebant suos cives, quod et in pace a Romanis alebantur et in bello ab his tuebantur.* Barth.

263. lectum *factum actumve.* addendum *est,* ut possit carminis ratio constare. Dempst. Dempsterus intruso *est* facile fulcit carmen. sed quale tandem discrimen habebimus inter f

cere et agere? praesertim ut argumentum hoc poscit. mea opinio est, cum subiiciat multa sub Iustiniano non solum omissa, multa sed etiam non recte acta (quia curam is nulli rei impendere iam senio velut frigidus poterat) et non ita ut tactus fuerit bonae in commune bonum voluntatis scopus, tale quid hic scriptum a Corippo, quale utrumque delineare possit, sic fuerit: *factum tactumve.* tangi enim dicitur, cuius petitus finis obtingit alicui. Gratius in Cynegetico: *partes quisque secutus exegere suas, tetigitque industria finem.* et ita nunc opinamur. non enim demit etiam iam frigido, ut ait, Iustiniano bonam voluntatem erga rem publicam. eodem facit verbum *correctum,* quod sequens versus habet. Barth. *factumve actumve*] legebatur *factum actumve.* Ritt. repetitio illa verborum *factum actumve* sententiam misere languere efficit. sed nec metrum constat. lege: *quod minus ob senium factum aetatemve parentis.* Vonck.

266. paene stolidam Iustiniani M. senectutem a Corippo in sanctimoniae studium *frigide* versam censet Alemannus in notis ad c. 8 Hist. Arcanae; quod tamen multo frigidius a docto viro notatum esse crediderim. Fogg.

267. *in caelum erat,* ut optimi scriptores, non secundum canonas locum usui τοῦ *in* praefigentes, illud usurpant. vide quae notant doctissimi viri Gifanius indice Lucretiano, Meursius et alii ad Plautum, Ausonius Popma ad Catonem, et nos denique multis ad Apuleium. Barth. *in caelo*] legebatur *in caelum.* Ritt.

268. *mundi faciem transisse*] παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, inquit Paullus 1 Cor. 7 31, ad quem locum Corippus hic procul dubio respexit. inde symbolum nobis delegimus: *figura mundi praeterit.* Ritt.

273. sic Traianus, optimus princeps, cum procuratore fisci sui pari libertate litigari voluit qua cum adversario quovis privato: adeo *nunquam mala causa est fisci* nisi *sub bono principe,* ut argute ait Plinius in Panegyrico 36. estque memorabilis eiusdem principis vox, fiscum lieni similem esse, quo nimium crescente ceteri artus contabescant. Ritt.

274. hoc est iustitia, legum beneficiis. et hoc ideo dicit Iustinus *iure frui,* ne se et fisci sui auctoritatem legum ordinationibus eximere velle videatur. sic alii probi principes, quamvis solutos se legibus scirent, secundum leges tamen vivendum sibi arbitrabantur. Barth.

281. consules iureiurando adacti nihil se quod non esset e publico bono acturos, fasces sumebant pro rostris. Plin. in panegyr. Traiani: *in rostris simili religione legibus te subiecisti, iurasti in legem attendentibus diis.* et post pauca: *toties procedere in rostra, hic suscipere, hic deponere magistratus quam dignum te fuit?* inde in forum ac mox in Capitolium senatu praeeunte

ibatur. Claudian. paneg. de cons. Olybrii et Probini: *unanimes fratres iunctos praeeunte senatu ire forum.* et de 6 Hon. consul. *desuetaque cingit regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.* infra 4 233: *incessit laetus praeclara in veste senatus.* quorum quidem nonnulla animadversa sunt a viris doctis, omnia a nullo, quod sciam. itaque sacris peractis senatus ducebat domum consules. Ovid. de Ponto 4 4: *inde domum repetes toto comitante senatu, officium populi vix capiente domo.* Dempst.

283. de Marcello Iustini fratre nullibi mentionem factam invenio. *Baduarius* vero aut *Badoarius* (nam utroque modo in exemplaribus ms legitur) gener fuit Iustini Caesaris, qui anno ipsius imperii decimo missus in Italiam contra Longobardos ibi proelio victus est nec multo post etiam mortuus, ut ait in Chronico Iohannes abbas Biclarensis. Ruiz.

ib. Marcellus] non est is qui cum Albanio insidias Iustiniano imperatori est molitus, et coniuratione detecta gladio incumbens inconsultae temeritatis poenas a se morte exegit, ut narrat Diaconus, sed alius, cuius mentio nulla apud historicos eius saeculi quod sciam, et tamen eum Iustini fratrem facit Corippus. Dempst. non legitur in ullis veterum monumentis *Iustino fuisse fratrem*, cum aliae eius minus artae necessitudines notatae sint. quare suspicor *fratris in obsequium* ad curam amoremque principis novi velut fraternum potius quam sanguinem referendum esse. notissimum, qui artissime amantur et amant, germano fraternoque amore se diligere invicem dici. quodsi hoc commentum minus placet, per fratres duarum sororum hic mariti intelligi possunt, imperator nimirum novus et iste Marcellus. potest vero et Baduarii frater fuisse Marcellus iste. sed certi nihil scimus. Barth. Assagrii lectionem intactam reliqui, sed si fas est, malim legere per synaeresim *Marcianus*, quem Iustinus Orientis ducem renuntiavit, et quem imperatoris ἐξάδελφον, id est consobrinum, vocat Theophanes Byzantius apud Photium, de familia imperatoria Theophylactus Simocatta, Iustino genere coniunctum Evagrius. Martinus nominatur in Chronico Theophanis tum Graeco tum in Latinum verso ab Anastasio bibliothecario; qua de re eodem nomine potuit etiam, si mavis, a Corippo appellari. hinc autem intelliges quoque cur hic in comitatu novi imperatoris primus recenseatur, postposito etiam Baduario, qui novi imperatoris erat gener et mox factus curopalata. Theophanes cuiusdam Marcelli meminit, quem Iustinianus copiarum ductorem in Persas misit a. 561. Fogg.

284. gener Iustini fuit *Baduarius, Badoarius,* vel aliis *Biduarius,* quem octavo imperii anno pugnis caesum a cubiculariis senatui exhibuit; cuius rei indignitate (erat enim comes imperialium stabulorum) mota Sophia flexit Iustinum ad poenitentiam; qui in stabulo commissa supplicibus verbis deprecatus est Biduariumque convivio adhibuit. haec Diaconus. sunt qui

referunt biennio post haec in expeditionem contra Longobardos missum, acie victum vitam finiisse. vide lib. 1. DEMPST. nomen corruptus ex *Bandario* videtur. sic enim eundem virum appellat Iohannes Biclariensis in Chronico anno 10 Iustini: *Bandarius gener Iustini principis a Longobardis proelio vincitur et non multo post vitae finem accipit*. estque nomen, ut pleraque eius aevi omnia, a dignitate deductum: nam βάνδον vexillum est, de quo vide notata eruditissimis viris Iohanni Meursio in lexico Graecobarbaro et Fr. Lindebrogio ad Paullum Warnefridum. BARTH. al. *Biduarius, Bidurius etc.* cuius nominis magister militum in Scythia Iustiniani a. 12 memoratur a Theophane, et Iustini a. 8 quidam comes stabuli imperatorii, qui ab eodem Theophane Iustini frater appellari videtur. verum Baduarium, cuius hic meminit Corippus, ab utroque distinguunt tum viridis aetas tum dignitas curopalatae. a Iustino cum exercitu missus contra Longobardos ab his victus est, et non multo post obiit a. 576. FOGG.

285. *soceri*] hoc est, ipsius imperatoris Iustini, cuius filiam Arabiam Baduarius iam in uxorem acceperat. FOGG.

291. *pallere sidera* eleganter dixit, quae comparata cum clarioribus minus lucida videntur. sic Varro Atacinus, modo is sit, de luna: ..... *cum videre casso pallescat teres umbra rotae*. et eodem *tabere eum fulgorem* dicit: *purpureumque iubar nivei cur tabeat oris*. BARTH.

292. Papin. Theb. 9: *et adflatas ortum iubar inficit herbas*. DEMPST.

294. lucernam signum Circensium vult fuisse, idque ex more recepto, quod mihi fateor nusquam lectum, quod sciam. nam *lineam* a praetore extensam indicendorum ludorum notam patet, ut et *mappam* de linea Martial. 8 78: *omnis habet sua dona dies, nec linea dives cessat, et in populos multa rapina cadit*. huc trahunt illud Ovidii de Arte 1: *et bene te cogit, si nolit, linea iungi*. et Amor. 3 2: *quid frustra refugis? cogit nos linea iungi*. Servius ad Aen. 5 316: *regulam aut signum de creta factum exponit*. alii: *longum sedendi ordinem, non signum commissionis*. Rodigin. 5 14. de mappa quis post tot doctos dicat? tu tiro adi ad Novellam Iustiniani 105 Turnebum 18 33 dictionem punicae esse originis, ideoque serius in urbem invectam disces ex Quintiliano 1 5. mos sub Nerone introductus, Cassiodor. 3 ep. 51. mittebatur mappa haec a praetore, Tertullian. de spectac. c. 16. Martial. 12 29: *praetor cretatam cum vellet mittere mappam, praetori mappam surripit Hermogenes*. Iuvenal. 11: *interea Megalesiacae spectacula mappae*. nec tantum a praetore mittebatur mappa, sed interdum etiam a dictatore. Liv. 8: *praetore gravi morbo detento, dictator in Megalesiacis ludis mappam misit*. et a liberto. Sueton. in Nerone 22: *liquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent*. deni-

que a consule. Cedrenus. vetus scholiastes Iuvenalis ad illud sat. 10: *in tunica Iovis. mappam,* inquit, *mittentem in circo consulem describit poëta: nam tunicam Iovis togam palmatam dixit.* eius usus non tantum ad signandas munerum commissiones, sed etiam ad feras incitandas et ad iram provocandas. Sen. de ira 3 39: *ursos leonesque mappa proritat.* certum itaque illud, mappam, sive a praetore seu a dictatore vel consule aut denique ab aliquo e famulitio mitteretur, signum fuisse ludorum Romae, ut et lucernam Byzantii. sed testem adhuc quaero. Dempst. non est quod novum morem hunc quaerant viri doctissimi. ignem imperatoribus Romanis praeferri suetum notissimum, et illustravit eum morem multis doctissimus Lipsius commentario ad Tacitum. *lucernam* autem eum ignem vocat propter versum Corippus, quia clausum fuisse suspicamur (fax certe non fuit), vel quia ut lampadem, ita et lucernam hoc genus scriptores omnem ignem appellant. lampadem autem praelatam imperatoribus docet Antoninus imperator, a Lipsio dicto commentario productus. ex Corippo insuper notandus is mos, quod lampadem illam deposuerit eo loco cursor quo imperator consessurus erat. meminit huius lampadis imperatoribus Cpolitanis praeferri solitae etiam Codinus, et eam duabus corollis cingi solitam tradit Theodorus Balsamon, ut notat cum nonnullis aliis Bulengerus de Imperatore 2 30. Barth. lege indubius *lacerna,* et nota plane suam versiculo restitutam interpunctionem, qua turbata nemo usque dum eum recte interpretatus est. Reiskius in notis ad Const. Porphyrog. admonet de eo agere Eschenbach. Diss. Academ. p. 538: sed hasce dissertationes cum non viderim, nescio quid vir eruditus meditatus fuerit *); certus tamen adfirmo, si qua alia ad

*) Eschenbachii haec sunt verba. "Io. Pierius Valerianus Hieroglyph. l. 46, Iul. Caes. Bulengerus de Imperatore 2 30, Tho. Dempsterus Antiq. Rom. 5 31 paralip. ignem Augustis praelatum lucernam fuisse asserunt, hancque suam sententiam probant Corippi loco. ego vero mihi temperare non possum quo minus alium ritum hic quaeram. consideret quaeso quis et perpendat singula Corippi verba: vel magna sponsione excidam, nisi aliud quid velle auctorem intelliget. quorsum enim quaeso haec verba et quid ad hunc ritum, *iamque operit nova astra dies?* quae proxime praecedunt et cum quibus immediate cohaerent illa *praenuntius ante* etc. deinde illa verba *praenuntius ante cursor signa dedit* nonne notabile et satis longum temporis spatium innuunt, quo cursor iste imperatorem in theatrum venientem praeverteret? atqui ignis imperatoribus praeferri solitus immediate illos cum reliquis maiestatis insignibus praecedebat. cursor autem hic quid in solemni hac pompa et gravi, ut ita dicam, processione? num forte pro lampadario positus? absit sane hoc a doctissimo poeta, ut tam splendidum lampadarii munus cum vili cursoris officio permutaret. si igitur in tantis tenebris coniecturae relictus est locus ullus, arbitrarer potius, quod tamen sine auctore affirmo, in aula Cpolitana moris fuisse ut, si quando imperator in theatrum vel circum venire decrevisset, cursor quidem notabili ante adventum principis spatio, lucernam iuxta imperatoris sedile (quod an suggestus fuerit, uti Romae in amphithea-

eum explicandum instituit via, cum ceteris aberrasse. itaque nullatenus cursor, sed populus in circo collectus *lacernam* posuit, cuius moris testem habeo Suetonium Claud. c. 6, ubi ut comprobet Claudio nunquam aut officium hominum aut reverentiam publicam defuisse, etiamsi ad otium concessisset et ebrietatis et aleae quoque infamiam subiret, Suetonius hoc memorat, *quod ordo equester spectaculis advenienti assurgere et lacernas deponere solebat.* utrumque morem tum assurgendi tum deponendi lacernas, ut nunc pileum, indicat Corippus; et quia hanc alteram honoris speciem Ferrarius *de re vest.* 2 1 39 ab uno Suetonio sibi indicatam dicit, en modo Corippum habes huius moris alium testem. Fogg.

294. haud moror dicere quale vestimentum esset *lacerna;* sed quia pluviae ac frigoris causa, praesertim in theatro ac ludorum spectaculis, lacernam superinduere Romani consuevere, animadvertas velim Corippum rem enarrare quae facta est mense Novembri. Fogg.

295. *iucunda*] hoc est *hilaria, iocabunda, laeta.* iucundari enim hoc genus scriptoribus valet laetum hilaremque esse, et ita in voces pares ei affectui erumpere. Pacianus Paraenetico: *tristitia iucunditate, asperitas lenitate emendatae proficiunt.* Eulogius lib. 1 Memorialis Sanctorum: *ergo libet mihi, fratres, paululum iucundantis more loqui vobiscum, et pro caritate verborum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari sanctorum.* Barth.

296. *herilem*] infra 4 368 diu nulla in spectaculis discretio, sed promiscue vulgus cum senatu iisdem gradibus sedens spectabat. discreti postea ab optimatibus plebei, et data ordinibus sua dignitas, P. Scipionis Africani maioris consulatu secundo, septimo anno post secundum bellum Punicum. Tullius Corneliana, Valer. Max. 2 1. *sedes* porro *herilis* locus est soli Caesari concessus. *podium* appellat Suetonius in Nerone 12, Spartian. in Severo. Iuven. 2, ut taceam Vitruvium, *omnibus ad podium spectantibus.* Dempst.

299. *egreditur cum luce sua*] elegantissimum: *dies* enim clarior fieri videtur exortu velut principis. sic Claudianus de Stilichone: *sideris instar emicuit Stilichonis apex.* sic Livius *exoriri equites auxiliares afflictis* dixit lib. 29. sic enim ut caelestis aliquis fulgor in principis adventu suspicitur. Papinius silv. 4 consulatu 17 Domitiani: *insignemque aperit Germanicus annum, atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris, clarius ipse nitens et primo maior Eoo.* Mamertinus Panegyrico

---

tris, definire non audeo) deposuerit, eoque ipso populum monuerit imperatorem ipsum ibi certo compariturum."

Maximiani: *trabeae vestrae et fasces consulares et sellae curules et haec obsequiorum stipatio et fulgor et illa lux divinum verticem claro orbe complectens vestrorum sunt ornamenta meritorum.* qui de diademate gemmato loquitur. sic de divino quodam fulgore Henrici 4 imperatoris, qui bellum eius Saxonicum descripsit, auctor incertus libro 3: *rex cunctas acies excellens vertice celso alto fertur equo, mediis in milibus exstans. arma nitent aurata, nitentibus addita membris. emicat e cunctis, rutilans ut Lucifer, astris. suam* autem lucem dixit, ne confundantur cum solari. sic infra v. 335: *nullus sua gaudia turbet.* quae omnibus quodam eius diei privilegio peculiariter debebantur. Barth.

300. signum sanctae crucis intelligit, quo munire velut sese in aërem ante se figurato vetus ecclesiae mos erat. Prudentius Cathem. 5: *fac, cum vocante somno castum petis cubile, frontem locumque cordis crucis figura signet.* Athanasius contra gentes initio: *πᾶσα δαιμόνων φαντασία τῷ σημείῳ τούτῳ ἀπελαύνεται.* Barth.

301. *salutato*] turpissimum adulandi genus, principes viros se ad plebeiae multitudinis venerationem dimittere; et vix scio an ante Neronem a quoquam principum factitatum: is enim *flexus genu* (Tacit. Annal. 16) *et coetum illum manu veneratus sententias opperiebatur ficto pavore.* Claudian. de 6 Hon. consulatu: *quantamque rependit maiestas alterna vicem, cum regia circi connexum gradibus veneratur purpura vulgus.* quod quidam ibi ex Suetonii Claudio c. 12 adfert, *spectacula edentes voce ac manu veneratus est,* ad magistratus, non ad plebem spectat, ideoque male eo trahitur. Dempst.

303. pulvinaria veterum, ut nunc etiamnum nostra, plumis avium, tapetibus inductis, erant effulta. *altam* ad maiestatem pertinet. et sic infra locutus 4 123. in altitudine autem talium soliorum mira monstra faciebant Graeci, gens colendis imperatoribus suis ineptissima et deponendis levissima et crudelissima. quo referendum illud, quod Luitprandus Ticinensis in historia Europaea describit, quo, nullo homine viso qui thronum elevaret, subito imperator cum sua sibi sella ad usque altissimi laquearis confinia elevatus videbatur. *plumea* autem tomenta et alia eo genere confecta tam veteribus erant frequentia, ut *plumariorum* peculiare nomen sit artificum, qui plumariis operibus conficiendis victitabant; de quibus non satis pro re commode sentire videtur Nicolaus Fullerius, vir eximie doctus, Miscellan. 1 20. non enim tam ad artificium solum quam et ad materiam artificio iunctam spectat haec appellatio. de artificio quidem *Publius* clare apud Petronium: *tuo palato clausus pavo pascitur, plumato amictus aulaeo Babylonica.* de materia Seneca epist. 91: *avium plu-*

mae in unum vestis conservantur; quem laudavit inibi etiam olim amicus noster Ioh. Wowerius. Barth.

306. *censores* non legebantur apud Romanos nisi homines gravitate conspicui, unde *censuram* gravitatem morum dicebant. quare his versibus exprimere voluit, quam summi scriptores in heroibus priscarum aetatum desiderant, serietatem hilarem, imperantem cum alacri et laeta quadam gravitate, cum gravi et observanda comitate. sic de Stilichone suo Claudianus noster: *non odium terrore moves, nec frena resolvit gratia; diligimus pariter, pariterque timemus.* Barth.

307. in plausibus et acclamationibus, quae in theatris dabantur principibus, certi moduli servabantur, et formulae illae velut ad numeros dabantur. et respondebant sibi invicem opposita vulgi agmina. idem Corippus: *Iustino vitam tercentum vocibus optant; Augustae totidem Sophiae plebs tota reclamat.* et iterum v. 213: *studiorum gaudia surgunt, alternisque sibi respondent omnia dictis;* ubi studiorum gaudia dixit, ut infra v. 336. Barth.

310. *partes*] studiorum factiones oppositae, de quibus dixi ad 1 320. infra 4 8: *tum partes munire suas.* Dempst.

314. hic lacuna erat. sic lege mecum: *emittunt dextras pariter, pariterque remittunt.* nam 319 et 3 170 eodem pacto. ex Claudian. Epithal. Hon. et Mariae: *diligimus pariter pariterque timemus.* Dempst. lacuna repetita voce *pariter* explenda est. sic Virgilius: *cedebant pariter pariterque ruebant.* qua restitutione socios et velut conscios habemus primum Eliam Putschium, cuius notulae variantium aut mutatarum lectionum a Gothofredo Iungermanno ad nos venerunt, deinde Thomam Dempsterum commentario ad hunc locum, Theodorum Marcilium ad Persium, Hadrianum Behotium Apophoret. 3 4. *emissio* autem sive *subrectio* illa dextrarum, quam mox *denseam undam manicis albentibus* appellat, signum favoris, signum dati et probati imperii est, ut notamus ad Claudianum; et ita auctor suo aevo optimus Witechindus Corbiensis lib. 2 de rebus Saxonicis: *en, inquit, adduco vobis a deo electum et a domino rerum Henrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus regem factum Oddonem. si vobis ista electio placet, dextris in caelum levatis significate. ad haec omnis populus dextras in excelsum levans cum clamore valido imprecati sunt prospera novo duci.* elegantissime autem iactationem manuum illam per cuneos adscendentem fluctibus comparavit, ut iam diximus. Barth. significat eas quas Graeci χειροτονίας vocant. mutilarat nobis hunc versum librarius eadem occasione qua et alios, quum putaret perperam iterari eandem vocem. sic supra v. 201 omiserat librarius τὸ *sede;* sic v. 359 τὸ *ingens* semel tantum positum erat cum detrimento versus. Ritt. supplet Barthius *pariter pariter-*

que, cum Putschio ac Dempstero; et sic legendum notarat vir doctus in margine libri sui. ceterum non raro contingere ut voces, quae geminandae fuerant, semel duntaxat a librariis ponerentur, dudum monuit Muretus var. lect. 6 14. VONCK. recte Barthius lacunam explevit. Statius Achill. 2 156: *thyrsos pariterque levant pariterque remittunt.* FOGG.

316. legendum *ut veniunt,* uti cohaereant dicenda dictis. BARTH.

317. carmen hoc ita emendatum est, cum non bene in ms codice legeretur: *et modum.* quo loco nobis audendum aliquid profecto fuit, ut versus ipsa ratio constaret. RUIZ. *modulos*] sic excusum bene, cum in exemplari esset *et modum.* DEMPST. *et modum* etiam in ms viri docti apud Vonckium. ita restituit lectionem priscam et modum Michaël Assagrius, non sine Corippiano quodam genio; nec contradicimus, quamvis possit ingeniosius aliquid excogitari. in ms erat *et modum. motum* forte malis, ut ad numerosos illos plausus etiam surrexisse dexteras dicat. usque adeo autem modulati illi plausus erant, ut integros versus pronuntiarint laeti et faventes illi Quirites, qualis est a Tertulliano memoratus: *de nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.* quod autem de motu dixi, pulchre firmat mox (318) de omnibus membris dicens: *nunc simul erectis, pronis nunc ardua membris dant capita.* quem morem solemnem fuisse testimonio est omnium par motus, quem subiungit (319): *accedunt pariter pariterque recedunt;* quibus verbis in similitudine ab undis sumpta permanet Corippus, ut et iis verbis (320): *fertque refertque globum moles condensa virorum.* BARTH.

321. subiiciuntur duae comparationes sane suaviter prolatae, modo verba duo utramque non paullum adtaminarent, nimirum *exaltata cacumina* pro erectis et vento sublevatis, et deinde v. 329 *mansuetis planatur aquis;* quibus infelicitatem saeculi, non auctorem imputes. BARTH.

325. nempe a Silentiariis, quos Agathias lib. 5 appellat τοὺς ἐπιστάτας τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς. FOGG.

326. *clamosi*] imitatur Ausonium in epitaphio equi admirabilis: *Phosphore clamosi pannosa per aequora Circi.* Mart. ante utrumque 10 53: *clamosi gloria circi.* Iuven. 10: *clamoso insistere circo.* DEMPST.

330. distingue: ..... *tunc solis honore omnia clara, silent etc.* sic 4 254 et 289. FOGG.

331. distinctionis ordo cum paulla mutatione ita concinnandus: *tunc solis honore omnia clara silent tranquillis aequora ripis: ut clamor magnus populi, strepitusque quievit,* etc. BARTH. ms *et.*

336. *caedes*] videtur prohibere gladiaturam, sublatam iam quidem antea multis constitutionibus, a Claudio, Suet. c. 21, a

Nerone, Tacit. Ann. 13, a Nerva, Zonar. t. 2, quod *miserum esset humanis carnibus alvos ferarum expleri* (verba Salviani Massiliensis lib. 6) *et cum circumstantium laetitia comedi homines.* sed regnante Honorio, cum putaretur clades imminere reipublicae ob neglectas religiones, revocata cruenta gladiatorum commissio, quod dolet lib. 2 in Symmachum Prudentius: *tu mortes miserorum hominum prohibeto litari; nullus in urbe cadat, cuius sit poena voluptas.* denique Constantinus Aug. lata lege gladiatorum crudeles conflictus penitus sustulit lib. 11 C. de glad. penit. toll. Dempst. *privari* est *tolli.* de quo alibi. *studiorum iurgia* est traiectio vicinarum dictionum: nam *iurgiorum studia* dicendum erat. ut supra *studiorum gaudia surgunt,* gaudiorum itidem studia. Barth.

337. *promitto*] fortasse haud inepte *permitto.* Ritt.

341. *secta* est institutio, mores. quod posterius a Claudiano est in 4 consul. Hon. Barth.

ib. *saeclorum secta meorum.* sic saepe in rescriptis suis imperatores in cod.: *secta meorum temporum non patitur.* item *diciplina meorum temporum.* vide exempla collecta diligenter a Fr. Iureto in notis ad Symmachum. plura quoque attuli in comment. ad lib. 10 epistol. Plinii et Traiani p. 350; quibus adde ea quae notavit Gruter. discurs. 2 in Tac. part. 1 p. 16. Ritt. sic saepe loquuntur imperatores in utroque codice. vide Brisson. de verb. signif. ed. noviss., et Rittershus. ad Plin. 3 ep. 98. Vonck.

342. *mores componere* est tranquille et placide vivere, sine querela. Hieronymus in historia Iohannis monachi: *vitia et passiones resecent ex animo suo, moresque componant.* Barth.

345. *iustitiam facere* est Bibliorum phrasis. Barth. *fora nulla timebit*] *iusto* enim *non est lex posita,* inquit Paullus 1 Timoth. 1 9. hinc et Sophocles: ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν. similia apud Plautum Amphit. act. 2 sc. 2: *quae non deliquit, decet audacem esse, et confidenter pro se et proterve loqui.* et Pseud. act. 1 sc. 5. et Phaedr. 4 25 18 et seqq. Ritt.

346. *illi* potius quam *ille,* ut in ms est, legendum nobis videtur. Ruiz.

347. *vigor.* male reponere volunt *rigor: vigor* enim tantundem fere valet. est enim *vigor* stabilis quaedam excellentia, recto ordine incedens, nil timens, nulli blandiens; unde ad alia transfertur. Claudianus: *mens circumflua luxu noverat intactum vitiis servare vigorem.* legum autem seu iuris vigor saepius legitur in codice Iustinianeo, quem tum recens promulgatum in multis sequitur Corippus noster. Barth. *este*] in impresso codice *estote,* sed male: non enim patitur lex carminis. Dempst.

349. inepta est scriptura. quid enim illud *iubeo* sibi vult? parari videlicet, frequentari, coli, exspectari. nugae et tenebrae.

repone ex ductu similium litterarum *tribuo*. quanta autem Quiritum etiam Graecorum, ut a Sidonio vocantur, in spectaculis flagitandis insania fuerit, ut ego arbitror, toti imperio Orientis exitialis, non est hic opus disseri. Barth. *tribuam* Fogginus.

351. hoc ideo a Corippo dictum est, quod post Basilii Iunioris consulatum per 25 annos Oriens sine consulibus fuerit, usque ad primum scilicet annum Iustini Iunioris, qui factus imperator consulis nomen usurpavit, et ita post eum subsequentes imperatores; ut ex Marcellini fastis Graecis et Maffeiorum diligentissime probat Onuphrius Panvinius. Ruiz.

352. pertinet ad restitutionem consularis officii, quia Iustino imperium ineunte 26 annis, a consulatu nimirum Basilii V. C., vacaverat is magistratus in Oriente, quem restituit quidem Iustinus aliquo modo, sed eius tamen temporis historiae non iam per consules annos numerant, ut in Iustiniani rebus fecit etiamnum Victor Tunnonensis, sed per annos principum, ut Iohannes Biclarensis Victoris suppletor. quod autem inter populi beneficia recenset Iustinus consulatus restitutionem, propter *dona* illa *calendarum* suarum dicit: nam immanis pretii sparsiones in vulgum impendebantur, quibus patrimonia praeditium civium exhauriebantur; unde insanis illis sumtibus interdixerunt quandoque principes, ut Valentinianus et Martianus cap. 2 de coss. lib. 12 cod. Iustin. Iustinianus vero interdictionem eam sustulit Novella 105. Barth.

354. Iustinianus enim imperator obierat Cpoli idibus Novembribus anno Christi 565, unde iam novus annus seu calendae Ianuariae instabant, quibus mos erat apud antiquos et varios ludos exercere, auspicia novi anni capere, dona et strenas accipere mutuo et dare, sed praesertim conferri ab imperatoribus, ut inferius libro 4, et tandem eodem etiam die iniri consulatum. Ruiz.

359. sic in exemplari erat male: *per laetos ingens fremit undique murmur*. Dempst. mancus est versus, sed restituendum existimo: *per laetos, ingens fremit undique, et undique murmur;* quae coniectatio etiam Eliae Putschii fuit. Dempsterus aliter. Barth.

ib. rationem emendati vel potius suppleti versus reddidi supra ad v. 314. Ritt. lacunam supplebat Rittershusius, duplicans vocem *ingens*. Meursius in Crit. Arnob. 4 15 supplendum censuit: *fremit undique et undique murmur*. utrumque probabile. Fogg.

360. hunc locum laudavit Bulengerus, vir maximus non minus in sacris quam humanioribus litteris. is ergo lib. 1 de theatro c. 51 adducit e Claudiano de 6 Honor. Consul. hos versus: *consensuque cavae sublatus in aethera vallis plebis adoratae reboat fragor*. et sic vult legi: *consensu caveae sublatus in ae-*

thera clamor. sed pace tanti viri liceat mihi auctorem meum asserere. non ea est poëtae mens (ut omittam ms meum et omnes excusos contradicere), qui vult magnos populi plausus oppositae vallis obiectu reddi maiores. id autem bene per vallem significatum. Plin. 2 44 et 36 15. deinde ipse reclamat Claudianus, cuius haec sunt e lib. 2 de laud. Stilich. *quoties vallis tibi Martia ducat nomen Aventino Pallanteoque recessu.* et est e Lucano 4: *cava regni vires in valle retentat.* denique Circo Romano propinqua vallis. docuit me Ovid. Fast. 2: *quaque iacent valles, maxime Circe, tuae.* ut sileam apud Claudianum de Circensibus agi: in Circo autem nullae caveae, illo aevo, sed in amphitheatro. Cassiodor. 4 ep. 51. Dempst. *cavos plausus* a forma et perpetuo epitheto theatri dixit, nec opus ullis ambagibus. Barth.

361. *spoliant subsellia*] scilicet corporibus suis, id est, nuda relinquunt. eadem fere dictum ratione qua supra v. 232 et 337 *privari caedes* dixit. Ritt.

363. *chartas* intellige vel *libellos supplices* vel potius *syngraphas*, quas v. 390 vocat *cauta*, id est cautiones seu chirographa, quae Iustinianus suis creditoribus dederat. reliquit enim moriens magnum aes alienum, quod initio statim imperii sui dissolvit Iustinus, combustis in omnium conspectu syngraphis. Ritt.

368. exhausit fiscum ante obitum Iustinianus, et multo aeri alieno se obstrinxit, dum esset supra modum avarus. Suid. in ἀείναος et historici; vide argumentum operis. supra hoc lib. 260. porro syngraphum ceu χειρόγραφον, privata cautio manu alicuius scripta, debiti index. Ascon. Pedian. in 3 Verr. et ipse Cicer. lib. 1. in Academic. 1: *an in commentariolis et chirographis et libellis acta Caesaris firma erunt?* Auson. Consulatu: *debere te dicis cui? quando? quo nomine? lege syngrapham, nomina creditorem.* eleganter transtulit Symmach. 4 ep. 64: *fides amicitiae syngrapham non requirit.* vide Sueton. Aug. 64. hinc Ulpianus IC lib. 41 ad Sabinum *inanis* chirographi meminit. Iuven. 16: *vana supervacui curans chirographa ligni.* quam satyram frustra sunt qui eripiant Iuvenali auctori suo: nam eius esse docet auctoritate sua Servius ad illud Aen. 2: *omnes uno ordine habetis Achivos.* Dempst.

369. *iubenti*] nimirum iubet rogando cum rogat potentior; quamvis alioquin, ut ceteri contractus, ita et mutui, consensu constet sitque voluntarius. *credendi* verbum hic de *mutuo* usurpari manifestum est, ut cum dicimus *creditae pecuniae actionem*, significat eam quae de mutuo datur. Ritt.

371. *vestrum est quod mundus habet*] siquidem verum est *imperatorem mundi esse dominum*, de quo nostri disputant ad l.

ἀξίωσις 9 ff. ad l. Rhod. de iact., et l. bene a Zenone C. de quadr. praescript. vide et Senecam de benefic. 7 4 et 5. Ritt.

372. de fisco multa supra. ille principis, ut aerarium reipublicae. Plinius Paneg. Traiani: *non eadem severitate fiscum qua aerarium cohibes, immo tanto maiore quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis.* post eum Spartianus in Hadriano: *damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in aerario publico recepta.* bene ille apud Diaconum 11: *quidam improbas exactiones detestans dicebat fiscum esse lienem, quod eo crescente reliqui artus tabescant.* crescebat autem ex *addictione bonorum proscriptorum.* Cassiod. 4 32. de aviditate Domitiani Iuvenal. 2: *quicquid conspicuum pulchrumque ex aequore toto, res fisci est ubicunque natat.* tamen apud auctores bonos confunduntur. locus elegans apud Symmachum 10 ep. 54: *fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis sed hostium spoliis augeatur.* dixit ad Consul. Manlii Claudianus: *abductoque hominum cumulant aeraria censu.* Dempst.

373. subiecti nimis pressi gravati atque exhausti non sufficiunt tandem tributis pendendis. *novis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt,* inquit Plinius Panegyr. ad Traianum 29. hinc de sui aevi Gallia Sidonius carminum 5: *Gallia continuis quanquam sit lassa tributis.* vide et Salvianum de gubernat. dei 5, et Savaron. ad Sidon. 5 ep. 17. quare callidissimus princeps Tiberius recte aiebat *boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere;* semperque laudati sunt principes qui tributa minuerint, ut Gratianus, de quo Ausonius in gratiarum actione; ut Valens, de quo Themistius Euphradas Oratione de pace; ut Iulianus, qui ipse de se in Misopogone testatur *se quintam* partem Antiochensibus remisisse. Ritt.

375. Du-Fresnius Const. Christ. lib. 2 p. 154 hunc versum Corippi allegat, ubi agit de loco in quo imperatorum bona patrimonialia recondebantur, et quem ἰδικόν vocabant. enimvero *privatum* absolute pro re privata principis usurpat L. 5 cod. Theod. de exact. sed mihi videtur Corippus uti hic voce *privata* non secus ac superius v. 257 ad designanda cuiusvis privata bona, quae omnia esse tamen principis ad assentationem dicit. Fogg.

376. *diurnae*] in singulos dies frumentum suppeditabatur plebi, cum annona incipiebat deficere. nulli, quod sciam, observatum. Claudian. de bello Gildon. Roma fame laborans. *gaudetque diurnos ut famulae praebere cibos.* alias in menses fiebat frumentatio, ut observant docti. Dempst.

378. *parvi cibi* tenues sunt, pauci. vide quae lib. 37 supra ad Caelium Aurelianum notavimus. Barth.

379. lege *flere diu tantos* pro *tot,* ut 1 252. Vonck. malim me legisse cum Vonckio *tantos.* Fogg. ms *tantis.*

380. exemplum hoc pertinet ad l. 4 C. de legib., et l. Princeps ff. eod. l. 23. ex imperfecto, D. de leg. 3, l. 3 C. testam. § ult. Inst. quibus mod. testam. inf. adde, quod in contractibus princeps eodem, quo privati, iure uti debeat. Ritt.

382. liberalis in principio principatus fuit Iustinus: nam omnia debita a Iustiniano contracta creditoribus exsolvit statim atque adeptus est imperium. supra 261. nec vero omiserim nobile factum Sophiae Augustae, quae tertio Iustini anno, accersitis pecuniarum venditoribus et notariis, deferri *cautiones debitorum et breves* iussit, et praebuit eas debitoribus et reddidit dominis. Paul. Diacon. nisi forte, quod historici in tertium annum Iustini, hic in principio ponit, et quod illi Sophiae, hic ipsi Iustino adscribit; quod non est omnino alienum. Dempst.

383. elegantissime; nec locum elegantiorem in toto Corippo exstare existimo. primum enim quam pulchre *heres substitisse* illi dicitur, cui proximus erat et mox successurus? deinde *vivus heres* quasi genuinus, et is quem Iurisconsulti nostri *suum* (vide Corasium Miscellan. 3 16) vocant, licet poëta latius hoc sumserit in hoc principe. talis nimirum, qui non aliunde ascitus sed ad eam hereditatem natus sit, ut *vivi* lapides, *viva* unda et mille talia a poëtis elegantia paene non effabili dicuntur, de quibus multis secunda recensione Claudiani. vulgo minus haec intellecta docet distinctio corrupta. at mirum eruditissimum virum Thomam Dempsterum tam nobili loco nihil plane notasse. Barth.

ib. celebrat Iustini laudabilissimum facinus, syngraphas collectas abolevisse populoque debita remisisse. id vero mulieri divinae ipsius coniugi tribuit Zonaras Annal. 3. et meminit Constantinus quoque Manasses, nec omisit memorare Michaël Glycas. quod non debebat omittere commentarium scribens eruditissimus Dempsterus. aliud simile exemplum habes apud res gestas Gregentii a Palladio Alexandrino descriptas, de rege converso ad Christum: *καὶ τὴν πᾶσαν ἄδικον συγγραφὴν κατασπῶν καὶ πᾶσαν πονηρὰν ψῆφον ἀναιρῶν.* Barth.

385. *libris*] calendaria vocant libros in quibus accepti expensique continetur ratio. Sen. de benef. 1 2: *nemo beneficia in calendario scribit, nec avarus exactor ad horam et diem debitorem appellat.* lib. 7 10: *quid fenus et calendarium et usura nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina?* epist. 88: *quia magnus liber calendarii evolvitur.* qui locus mire huc convenit: aliis notatum, sed non ideo silendum. Tertullian. de habitu muliebri in fine: *graciles aurium cutes calendarium expendunt.* Scaevola IC lib. 6 digestorum: *instrumenta calendarii et nummos reliquit.* ratio, quod calendis feneratores et collybistae exigerent fenora, ponerentque pecunias. Ovidius de remed. Amor. 2, Martial., et Horatii interpretes ad Epod. 2. at

vero liber in quo expensi diurni acceptique ratio descripta, ephemeris. Propert. 3 22: *me miserum: hic aliquis rationem scribit avari et ponit duras inter ephemeridas.* Ovid. Amor. 1 12: *inter ephemeridas melius tabulasque iacerent, in quibus elapsas fleret avarus opes.* DEMPST.

386. *turmae*] apud Fogginum *summae.*

389. *cauta*] Sarisber. Policrat. 3 12: *rerum privatarum participationem et calculi cautiones.* est autem *cautum* syngrapha, qua debitor se pecuniam creditori exsolvisse ostendit. a Constantino Aug. et Cassiodoro 12 ep. 8 *apocha,* a Diocletiano et Maximiano Augg. pecuniae solutae professio, denique a Iustiniano *securitas* vocatur lib. 17 C. *si certum petatur.* Lucillius poëta: *Φαῖδρος ἔγραψε, λαβὼν εἰκονικὴν ἀποχήν.* DEMPST. *cauta* sunt cautiones, syngrapha scripta de eo quod creditum erat. *recauta* dicebant alii, ut notavit Ioh. Meursius in Glossario. non semper autem Romanis moribus tales cautiones exigebantur, cum Polybius scribat sua aetate iuramento contractus transigi consuevisse, et plus in una tali sponsione hominis Latini momenti fuisse quam in multis Graecorum autographis. BARTH. *cauta* vocat syngraphas seu obligationes seu instrumenta, quae usitatius *cautiones. recauta* sunt apochae, quibus cautiones vacuantur, ut S. Augustini faciam mea. vide Cuiacium in exposit. Nov. 130, ubi et Suidam allegat. *cauta* et *cautiones,* ut pacta et pactiones, conventa et conventiones, idem. vocantur *cauta* etiam securitates. exempla collegit Savaro ad Sidon. 5 ep. 13. de suscepta vet. interp. Nov. 72. RITT.

395. *chartas flammis subigunt.* pulchre dictum: ex magnis enim acervis parvi admodum fiunt. et ita τὸ subigere mille locis usurpant scriptores. BARTH.

396. *lancem*] ad antiquum ritum respicit: nam olim non numerabatur sed pendebatur pecunia. Fest. 14: *pendere poenas solvere significat. eo quod aere gravi uterentur Romani, penso eo, non numerato debitum solvebant.* Plin. 33 1: *non amplius quam mille pondo auri.* Plut. in Camillo Flor. 1 13: *mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio superbe victis increparent.* Sil. Ital. 1: *hic galeae Senonum, pensatique improbus auri arbiter ensis inest.* et 4: *pensantes aurum Celtas umbone ferebat.* ad lancem ergo et stateram exigebantur pecuniae debitae. multa ad illud lib. 1 in Eutrop. Claudiani: *in geminas nutat provincia lances.* Priscian. 6. Horat. ep. 2 2: *quod quis libra mercatus et aere est.* Sulpicia in Satyra: *tectina Galli fugere relicta.* eadem locutio apud Iuvenalem 6: *lance beata Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.* qui plura cupis, vide Hotmanum de pondere pecuniarum disserentem Antiquitatum Rom. 4. DEMPST.

397. *sinibus*] Sen. ben. 2 16: *est tamen aliquis minor quam ut in sinum eius condenda sit civitas;* quod modestiae et gravitatis est. Apul. Asin. 8: *stipes aereas, immo vero et argenteas, multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo.* laxus igitur erat togae sinus, quo expanso dona condebantur. Rutil. Numat. Itiner. 1: *impleat Augustos barbara praeda sinus.* Stat. Silv. 1 ult.: *desunt qui rapiant, sinusque pleni gaudent dum nova lucra comparantur.* Mart. 8 78: *nunc implere sinus securos gaudet.* infra 4 71 et 210. Dempst. *quaestus* censum sonat, pecuniam, aurum. nisi illud ad usurarum quantitatem referendum dicas. sed ita auctor vetus Vitae B. Frodoberti: *quaestum copiosum servorum ancillarum acquirens.* Barth.

398. *elatisque oculis*] id est *sublatis,* scilicet in caelum. alias *elati oculi* sunt superbi. Ritt.

399. *me pater.* existimo legendum *patre,* ut velit eum praeferre Iustiniano munificentia: erat enim ille avarus. Evagrius, alii. et dixi supra. Dempst. scribendum cum Ruizio *patre.* Barth.

400. mens habendi avaritiae votum, eleganter. Dempst. τὸ *mentem* non est extra suspicionem, nisi quod *mentem habendi* barbarismo quopiam pro avaritia dixerit, cum totam illa mentem occupare soleat. vide Iohannem Cassianum lib. 7 Institutionum c. 7, Prosperum de vita contemplativa c. 15, Paullinum Natali 10 Felicis, et alios. Barth. rectius dixisset *cupiditatem* vel *amorem habendi* quam mentem, si versus passus fuisset. significat autem θυμὸν κρείττονα τῶν κτεάνων, ut ait Pindarus. praeclare Horatius 1 ep. 10 47 et seq. Ritt.

401. *debita.* hic erat lacuna. explevi, *privato cum debita.* Dempst.

ib. *dum debita*] sic implevi versum, in quo deerat particula *dum.* Ritt.

ib. sic lacunam supplendam fore Ioh. Meursius etiam censuit loc. cit. Fogg.

402. nos hoc loco libenter emendavissemus *servos miseratus egenos,* nisi Corippus ita semper loqueretur. Ruiz. loquendi formula affectata Corippo, inquit Assagrius. at nec usus latinitatis id fert, nec scriptura negat restitui: facile enim fuit librario vel imperito vel festinanti *servis* pro *servos* scribere. itaque sic lege *servos miseratus egenos,* et illum locum 3 348 sic interpunge et corrige mecum: *servis miseratus, egenis et profugis quod dona dedit.* Dempst. *miserari alicui* phrasis Corippiana. sic scriptor Periocharum vetus, et ipsemet fortasse Corippus, hoc libro c. 8: *quibus ille miseratus debitum persolvit avunculi.* Barth.

404. exempta periodo sic legendum: *priscorum hoc uno vicit novus omnia facto facta prius, princeps: quamvis meliora*

sequantur, hoc primum tamen omen erat. Barth. apud Ruizium enim (*quamvis meliora sequantur*). *prius*] lege *pius*. Vonck.

406. carmen hoc ita correctum a nobis est, cum in manuscripto corrupte admodum legeretur: *Augustus nunquam cecinit fecisse priore.* Ruiz.

ib. Casaubonus ad Suetonium Aug. c. 32 notavit hunc versum falsissimum esse nisi *mollius commoda interpretatione* accipiatur; quod quidem constat ex Suetonio loc. cit., ex Dione 53 p. 497, ex legibus Theodosii Valentiniani Arcadii et Honorii in cod. Theodos. relatis, ex Spartiano in Hadriano, ex Vopisco de Aureliano, et ex secundo Ausonii Panegyr. ad Gratianum. si vero Constantinum Manassem audias, suggessit hanc Iustino liberalitatem uxor Sophia. Fogg.

409. imitatus est Claudian. de 3 Hon. consulatu: *quanti tum iuvenes, quantae sprevere pudorem, spectandi studio matres.* Dempst. gnome elegans, similis illi: *extrema pericula semper dant veniam culpae.* Barth.

ib. *nescit servare pudorem*] sic et *nimiae laetitiae decoris sunt et gravitatis immemores,* ut ait Mamertinus Panegyrico in Iulianum 29 n. 2. Ritt.

410. *afflictae* res miserae, adversae, ut supra v. 377. Calpurnius: *legemque priorem reddet, et afflictum melior deus auferet aevum.* Barth.

413. *cara* nomen, quo usus hoc loci Corippus est, quoque nos Hispani, ut et Itali et Galli, omnes vulgaribus nostris linguis, pro uniuscuiusque idiomate non uno modo, hodie utimur, Graecum procul dubio est, κάρη scilicet Aeolibus, κάρα autem Doribus. quod etsi proprie Graecis *caput* significet, aliquoties autem pro tota ipsa facie plenoque oris vultu usurpatum invenitur, quemadmodum ab H. Stephano apud Euripidem est observatum. neque vero nomen hoc ab alio, qui Latine scripserit, quam hic a Corippo, graecissante nimirum, ita dictum invenio. Ruiz. mos Latinorum scriptorum dictiones graecas in suum idioma transferre Latinisque elementis scribere. ex Plinio notat Muretus *probata,* et ex Cicerone et Virgilio *acta,* 1 3. ex hoc genere est *cara:* nam κάρα apud Dores est caput, ut κάρη Aeolibus, pro toto vultu usurpatum. Dempst. *cara* caput, vultus. quia in Graecia scribebat Corippus, Graeco vocabulo maluit uti, cum nullo omnino negotio scribere potuisset *verendum caput.* patet autem hinc communi usu loquentium etiam *caram* usurpatam, ut *testa* hodie apud Gallos et Italos idem notat, quia testa a medicis et poëtis dictum cavum convexumque os, quo cerebrum continetur, et ita Prudentius in Romano: *comam cutemque verticis revulserat a fronte tortor, nuda testa ut tegmine cervicem ad usque dehonestaret caput.* sic legendum apud Guilielmum Brito

nem lib. 7 Philippidos, in summa et miserabilissima fame: *vidimus inter eos quendam, miserabile visu, qui caram perstabat adhuc portare caninam.* nisi ibi tamen melior vulgata lectio *coram: core* enim interpretatur calvitium sive calvaria, ut scribit in farragine glossariorum Papias. BARTH. recte explicat Ruizius; quibus adde haec ex Festi decurtatore Paullo: *caput ex Graeco dictum, quod illi interdum κάρα dicunt.* sic σχῆμα Graecorum apud Latinos in schema migravit. RITT.

415. *vincula*] pene erat ut hunc locum de manumissione interpretatus fuissem: solemne enim post munera prima novorum consulum servos manumittere, quod fusissime a me dictum ad illud Claudiani de 4 Hon. consulatu: *deductum vindice morem lex celebrat, famulusque iugo laxatus herili ducitur.* quod huc quadrare non potest: nam et nuptae maritos et matres natos ab eo petunt. cum inter servos non matrimonia sed consortia essent, deinde additur *a crimine solvit.* suspicor ergo solitos imperatores, cum principatum inirent, captivos e carceribus liberatos dimisisse, praesertim quos reatus criminis detinebat. Sidon. Apollin. carm. 2 in fine: *captivos vincture novos, absolve vetustos.* DEMPST.

417. *tua gaudia* eleganter, quasi quae tu mundo confers, tibi debita. Claudianus ad Honorium: *risitque tuo natura sereno* Corippus fragmento v. 33: *urgetur terrore tuo.* BARTH.

421. *solvi cunctos a crimine iussit*] solius enim imperatoris est capitalis criminis gratiam alicui facere et vitam donare. eiusdem quoque est restituere famam, quae vita comparari solet et pari cum ea passu ambulare dicitur. vide Cassiod. 3 var. et Symm. 3 epist. RITT.

422. *deus*] prisca adulatio et foeda, sub imperatoribus nata, eos deos vocare divinisque afficere honoribus, quos vix invenies (de primis loquor) qui reiecerit. illud in Domitiano impium, *quod epistolam formalem dictans inceperit, dominus et deus noster sic fieri iubet.* Suet. 13. Mart. omnibus pene paginis, 9 ep. 95, 8 ep. 2. 5 ep. 8: *edictum domini deique nostri.* quod salse carpit Iuvenalis 4: *cum laudatur diis aequa potestas.* dissimili tempore Claudian. ad Honor. Aug. praefat. de 3 consulatu: *audet magna suo mittere Roma deo.* Sen. de tranquill. 14: *tumulus in quo Caesari deo nostro fiebat quotidianum sacrum.* simili modo Horat. 4 15 de Augusto: *et signa nostro restituit Iovi.* aras enim, templa, flamines habebant imperatores mortui. notum omnibus. DEMPST. vides quantopere etiam Christianis principibus *deitas illa* affectata arriserit. non audet Corippus aperte deum dicere Iustinum, quia Christiana lex aliud suadebat: non audet abstinere ab omnibus dato honore. itaque et vocat deum et se Christianae legi excusat. sic in *Iustiniani rescriptis* nihil nisi divina omnia, omnia *sancta,* omnia sacra,

ad nauseam usque et taedium legentis. sic *barbarae* et immanes nationes reges suos, cum alia numina non haberent, deos censebant, ut de Hunnis scribit Priscus Rhetor in Legationibus, aut dei filios, ut de Taunestanis Theophylactus Simocatta 7 9. BARTH.

LIBRI 3 v. 1. *Augusti.* sic curavi excudendum, cum in omnibus hactenus impressis haberetur *Augustus*, male: nam Virgil. Aen. 7: *augusta ad moenia regis*, et *tectum augustum ingens.* Servius docet *Augustum locum esse augurio consecratum, in quo poterat haberi senatus.* Suet. Aug. 7. vetus poëta apud Tacitum, ut puto, de German. moribus: *auguriis patrum et prisca formidine sacrum.* Sil. Ital. 1: *concilium vocat augustum castaque beatos paupertate patres.* dixi ad consul. 6 Hon. Claudian. *collecti trabeatus adit delubra senatus.* DEMPST. *Augustus*] melior sonus *Augusti*, sed talibus id aevum ignoscendum. memorabile autem et summum elogium, quod huic Iustino dedit posteritas, *δικαιότατον* illum velut cognominando; quod nomen non aliunde quam ab iis gestis accepisse videtur, quibus secundum librum clausit Corippus, quod nimirum Iustiniani avunculi debita solvit, immensam auri vim impendens; quod sane non quivis imperator fecisset, cum potior fisci causa visa fuisset. sic vero de eo Codinus in commentario *παρεκβολ. πατρ. Κωνσταντ.: μετὰ δὲ τὸν θάνατον Ἰουστινιανοῦ ἐκράτησεν ὁ ἀνεψιὸς αὐτοῦ Ἰουστῖνος ὁ ἀπὸ κουροπαλάτων, ὁ δικαιότατος.* BARTH.

3. *grata* reposuimus pro *rata*, quod in ms codice legebatur. RUIZ.

6. lacuna hic erat. supplevi *pompa.* Tacit. Annal. 3: *fuerunt qui publici funeris pompam requirerent.* at correctio est ex Claudiani epithal. Hon. et Mariae: *ante fores iam pompa sonat, pilentaque sacram praeradiant ductura nurum.* DEMPST. *pompa fuit*] ita dextre explevit lacunam Thomas Dempsterus, et ante eum coniectaverat Elias Putschius. BARTH. *turba fuit*] sic restitui, cum antea hinc abesset *turba.* RITT. Rittershusio adsentior supplenti *turba*, sed restituo *ruit.* sic inferius 4 14. et hac voce ad significandum multitudinis festinantis concursum saepe utitur Virgilius, Aen. 2 64 et Georg. 4 185. Claudianus de 4 consul. Honorii v. 623: *ausi Danubium quondam tranare Gothunni in lintres fregere nemus, cum mille ruebant per fluvium plenae cuneis immanibus alni.* FOGG.

7. *longis*] hoc ex Virgil. Aen. 2: *porticibus longis fugit.* DEMPST. horum enim pretium in longitudine. Virgilius Aeneide 2. Plautus Mostellaria. BARTH.

10. *ceris*] cereis imaginibus, Plin. 35 2: *aliter apud maiores in atriis erant. expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilicia*

funera; semperque defuncto aliquo totus aderat familiae eius qui unquam fuerat populus. quid attinet exscribere Senecam Iuvenalem Ovidium et alios a vulgo criticorum citatos in hanc rem? hoc tantum addo, quod necessarium huic loco, diligenter asservatas ab atriensibus imagines, et velis intectas ad comitatum funebrem productas. praeter Plinium citatum Tacitus Annal. 3 in funere Germanici: *circumfusas lectulo Claudiorum Iuliorumque imagines.* Stat. Theb. 6, quem auctorem animus mihi olim illustrare (neque enim ullus magis mihi arridet, et habeo quae non sunt luce indigna forte): *arma etiam et veterum exuvias circumdat avorum, gloria mixta malis.* cadaver deinde rogo imponebatur, urebaturque cum lectulo, imagines ad atria deferebantur. Dempst.

11. *patrum more*] secundum avitos ritus. pompam *funebrem* imaginum describit pulchre Polybius libro qui nunc sextus. recte exposuit haec verba auctor Periocharum marginalium. Barth.

12. *triste ministerium*] Virgilianum hoc est Aen. 7 19: *foeda ministeria.* Ritt.

ib. latam] sic restitui, cum *laetam* esset antea male. Dempst. *latam aulam* reponunt Rutzius et Dempsterus, me invito: *laeta* enim ante hoc est. auro et argento et marmore aliisque ornamentis conspicua fuerat aula, hoc autem ministerio illa eadem tristescit. sed mirum quid visum fuerit doctissimis hominibus ita prorsus sine nota transire τὸ *feriebat.* an *triste ministerium feriebat in latam aulam,* clamorem flentium famulorum, quem dixit per omnem aulam auditum, designat? poterat tale quid exaudiri, si praecedentibus, ubi de luctu ministrorum, insertus legeretur hic versus, vel isto loco de tali aliquo sermo esset. scribendum existimem *laetam fervebat in aulam.* τὸ *in* vocula non secundum canones paedotribarum posita corrumpendo loco fuisse videtur. *fervere* autem ministerium ad diligentiam et laborem famulorum pertinet. sic Maro de apibus: *fervet opus.* et de exercitu Claudianus: *fervet cristatis exercitus undique turmis.* Petronius, specimine belli civilis: *totasque per Alpes fervere Germanico perfusas sanguine turmas.* sed cum penitius inspicies, totum hunc versum superfluere videbis, ut in hoc auctore alii sunt, et nos alibi indicavimus. Barth.

13. *stamina*] purpurea stragula. sic ego restitui, cum in priori editione *stramina,* legeretur, quod quam sit absurdum in principis funere, quis non videt? adi ad 1 n. 18. Dempst. stramina sunt tapetia instrata aut substrata. quod non cepit doctissimus Dempsterus, ideoque *stamina* reposuit, male. sed gemmae sunt lapides pretiosi, etiam marmora melioris adspectus. verum verius de tapetis instratis funeri et reliquae pompae loqui Scrippum. gemmae autem, quas viridem Nereum misisse dicit,

margaritae sunt. Claudianus: *et variis vivat Nereia bacca figuris.* texebantur enim margaritae eo ordine ut vultus figurasque viventium referrent. BARTH. *stramina*] sic vestes *stragulas* appellat, ne quis stramina ex culmis rusticorum hic exaudiat. RITT.

14. in ms *humana* et non *Romana* fuit. RUIZ. *Romana*] *humana* antea fuerat lectum male. Virgil. Aen. 8: *Romana potentia caelo aequavit.* DEMPST.

15. *Nereus.* confer totum hunc de gemmis locum cum Claudiano de 4 cons. Hon.: *et variis spirat Nereia baca figuris etc.* non *bacca*, ut antea in omnibus excusis legebatur. ibi docui fuse ex aliis scriptoribus, licet ms meus contradicat, et Venetus antiquissimus. DEMPST.

ib. Indica. Plin. 37 13: *gemmiferi amnes sunt Acesinus et Ganges, terrarum autem omnium maxime India.* nobilissimae autem gemmae, quas Indica regio fert, *adamas, lychnites, beryllus, chrysoberyllis, chrysoprasos, hyacinthus.* Solin. 55. Priscian. in perieg.: *haec eadem gemmis nimium decoratur honestis.* Claud. supra: *asperat Indus velamenta lapis.* adde et in tentoriis militaribus gemmas. Claudian. de laud. Stilich. 1: *hic gemmata niger tentoria fixerat Indus.* DEMPST.

17. nota historia ex Plutarcho in Antonio. ingens apparatus gemmarum est ex Lucano 10 petendus: *plena maris rubri spoliis, colloque comisque divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.* nobilis illa sponsio de duobus unionibus, quorum unum exsorpsit pretio centies sestertium, alterum etiam aceto maceratum consumptura, nisi Plancus iudex obstitisset. Saresber. 8 7, Macrobius Satur. 3 17 fine, et ille ex Plinio 9 35, ut non omittam dissentire ab iis Catullum ep. 27: *ducenties comesset aut tricenties.* DEMPST.

18. *frangeret et rupto.* super historia variatum. Caesar civilium 3 19 bello expulsam a Ptolemaeo fratre scribit, consentiente Plutarcho in Caesare, qui addit a Photino regia eiectam. sunt quibus placeat non modo a regno fugatam, sed et in carcerem detrusam, inde corruptis custodibus evasisse. Lucan. 10, unde haec petiit Corippus: *parva Cleopatra biremi corrupto custode Phari laxare catenas.* qui plura cupis, lege Sidonium carm. 5, Sueton. Iul. 35, Strab. 12, Saresber. 3 10, Paul. Oros. 6 14, et poëtas passim. et de custodia egregie multa Lipsius ad Tacit. Annal. 3. DEMPST. pulchre custodem pro custodia dixit de Cleopatra Corippus. sed *ruptum custodem* barbarismo solemni pro corrupto posuit. exprimit enim et sequitur illa Lucani. BARTH. Barthius hic *ruptum* exponit *corruptum.* sed re vera *custos* pro *custodia* ponitur, quam perrupisse Cleopatram ait, idque firmat quod anteoesserat et *vincula fratris frangeret.* parili modo optimos quosque loqui, dubitabit arbitror

nemo. Vorck. Graecismum restitui, quo Corippus utitur etiam 1 80 et 224. itaque nulla in eo barbaries, sed manifesta imitatio Lucani 10 56. Fogg.

19. *cernebant*] apud Fogginum *certabant*. *fulgura*] designat, ut puto, *ceraunion* gemmamque. species est Iaspidis. Plin. 37 9: *fulgorem, inquit, siderum rapiens,* bene ad hunc locum. sic dicta, quod cum fulminibus cadat, ut et Brontia: fulgur enim est fulmen, Suidas in κεραυνός. Isidorus 16 13 duo ponit ceranniorum genera, unum quem Carmania mittit, crystallini similem: si sub dio ponatur, fulgorem (Plinium, ut solet, transcribit) rapit sidereum. alterum Hispania: in Lusitanis littoribus gigni. inde lux Claudiano de laud. Serenae, quem librum ms meus Giraldo cuidam attribuit: *Pyrenaeisque sub antris ignea fulmineis legere ceraunia nymphae.* infra 257. Dempst. *fulgura* sunt ictus velut quidam et radii gemmarum. Claudianus: *amethystus inest, et fulgor Iberus temperat arcanis hyacinthi caerula flammis.* sed quid sibi vult illud *cernebant* in Corippo? qui me audiet, *certabant* reponet. ita sane elegantissime dixerit, ut fulgor gemmarum invicem velut pugnaverit alio alium supervenire contendente. poëtice sane et pervenuste. memini superioribus commentariis ad Propertium quaedam notare paris elegantiae. quodsi omnino nihil mutandum censebis, uti et re ipsa nihil omnino puto, *cernebant* frigidum erit, nisi eadem huius *certabant* potestate id exaudies. cernere enim erudito Romano usu idem est quod certare, a quo et hoc ductum. Barth.

20. de luce feriente laquearia imitatio est Maronis. his autem versibus inseri non incommode poterat qui supra a nobis explosus est, 11. scribe: *tura Sabaea — succo. triste ministerium laetam feriebat in aulam. centum aliae etc.* ferire in aulam barbarismus est, cum idiotismo etiam Germanico egregie consonans. transpositiones autem huius generis in priscorum auctorum libris a nobis reperiri mirificum non est: cum enim non raro codices ipsi non in longas, ut hodie ubique mos est, sed in admodum breves membranas, latissimas vero, et saepe non omnibus locis pari puritate exscriberentur carmina, facillime unius paginae inceptor versus potuit in alterius latus transire, aut notula quadam insignitus locum suum demonstrare non possidere: notulis autem illis erasis aut longo tempore consumptis, in alienum contubernium facile una linea correpsit. nec ego facile etiam castigatissimum vulgo habitum auctorem quempiam reperiri existimo, qui prorsus hac labe careat; in aliis vero integrae periodi eadem hac occasione corruptae offenduntur. Barth.

22. *tura Sabaea cremant*] et mox v. 25: *sacrum servantia corpus.* sic Prudentius cathemerin. 10 51: *adspersaque*

myrrha Sabaeo corpus medicamine servat. plura de unguentis et aliis rebus ad arcendam putrefactionem cadaveribus adhiberi solitis, diligenter adnotavit Ioh. Kirchmannus de fun. Rom. 1 8. Ritt.

22. *fragrantia* mella recte flagrantibus substituerunt doctissimi Elias Putschius et Eustathius Swartius ex illo Maroniano: *redolentque thymo fragrantia mella.* Barth.

24. *species* externae fruges, aromata, aut alioquin singularia condimenta. Caesarius Arelatensis Homilia 38: *videte, fratres, quam caros nos dominus habuit. non auro, non argento, non speciebus, sed de suo sancto sanguine nos redemit.* Theodorus Priscianus 3 6: *frequenter ita rebus gestis vi et vapore adhibitarum specierum haemorrhagiae provenerunt.* Barth.

26. nullis coniecturis opus hoc versu. est imitatio Maroniana Aen. 5: *ergo agite, et cuncti laetum celebremus honorem.* Barth.

ib. forte *celebrabat.* Ruiz.

27. *melior*] Ovid. Met. 15 fab. ult.: *vinci gaudet ab illo.* Symm. 4 ep. 20: *eloquentissimus iuvenis, ut fando comperi, proximis facundiae calcibus urget parentem. o te beatum, amice, si vinceris,* non ut in vulgatis *viceris:* quae enim gloria filium a patre superari? at magna e contra. Plin. 4 ep. 15: *Asinius Bassus iuvenis (nescio an dicam quod me pater et sentire et dicere cupit, adolescentis verecundia vetat) ipso patre melior.* Paul. Diacon. 9: *incredibile est quantum, quem imitabatur, patrem* (Vespasianum) *anteierit.* Nemesian. Cyneget.: *nec taceam primum quae nuper bella sub arcto felici, Carine, manu confeceris, ipso pene prior genitore deo.* Sid. Apoll. 7 ep. 9. Claud. de 4 Hon. consul. ad Theodosium Aug., ubi multa: *aspice, completur votum. iam natus adaequat te meritis, et quod magis est optabile, vincit.* Dempst. non Iustinianum, quod visum Dempstero, ut eius notae arguunt, principem dicit, sed ipsum Augustum, a quo ceteri hoc honoris nomen obtinuerunt. Augusti vero memorabilis pietas in exsequenda morte Iulii Caesaris, ut et inferiis ei procurandis, fuit, cuius mentio apud Claudianum quoque. Barth. acclamabant principibus novis: *felicior Augusto, melior sis Traiano.* vide Ioh. Sarisber. policrat. 5 8, et quae notavi ad Guntheri 3 2. Ritt.

28. non comminiscor quid sibi τὸ *prius* velit: nec enim ullo modo eius praesentia opus est, aut quicquam quo id referatur superest. sed legendum arbitramur: *ut pius ingrediens corpus miserabile vidit. pius* enim sive in loco sive extra locum epitheton heroum veterum est, quos imitatur hoc loco noster Corippus; cui quidem nullum aeque convenit tamen: maxima enim pietas curare defunctos. Prudentius hymno exsequiali: *haec provida Christicolarum pietas studet, utpote credens fore protinus*

omnia viva, quas nunc gelidus sopor arcet. et sic de suo hoc Iustino alibi. v. 61 hoc libro de Iustiniano: *quod pius ipse sibi puro construxerat auro.* exempla aliorum ubivis in promptu. BARTH. Barthius *pius.* at quid opus? an non primus omnium ingrediebatur Iustinus? sic puto. VONCK. secutus sum Barthium, qui sufficiebat τὸ *pius* pro *prius.* at haec quoque lectio improbari nequit. FOGG.

29. *frigida*] quia aliud genus osculorum, dum moriturus ultimam agebat animam. Serv. ad Aen. 4 685. Ovidius: *non super incubui, non oscula frigida carpsi.* Stat. Theb. 12: *ignem miserae post ultima quaerunt oscula.* putabant tali officio aut obeuntis retineri posse animam vel in suum pectus transfundi. Tull. 7 in Verrem actione: *matres extremo amplexu liberorum exclusae nihil aliud orabant nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Auctor consolat. ad Liv.: *non animam apposito fugientem excepit hiatu.* Ovid. de Arte 3, in Cephali fabula: *excipitur miseri spiritus ore viri.* DEMPST.

31. simili antitheto usus est Carolus M. in epitaphiis versibus, quibus decoravit Rolandum, sororis suae filium: *tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis: te tenet aula nitens, nos lacrimosa dies.* RITT.

33. *laetus abis* Claudiani est, ubi ait Theodosius, in *Gildonico, cum divus abirem, res incompositas, fateor, tumidasque reliqui.* BARTH.

ib. *posito corpore.* Maronianum est, de angue, Georg. 3: *cum positis novus exuviis viridique iuventa volvitur.* BARTH.

34. *frueris meliore die.* Seneca Consulatione ad Polybium respicitur: *fruitur nunc aperto et libero caelo; ex humili atque depresso in eum emicuit locum, qui solutas vinculis animas beato sinu recipit. mundum piorum* elegantissimis et nescio quomodo mirifice animum afficientibus versiculis notat Nemesianus Ecloga 1: *quem nunc emeritae permensum tempora vitae secreti pars oris habet mundusque piorum.* quanquam scriptus liber *priorum* ibi referat, ut melioris saeculi illos patres dicat, qui aureo tempore vixisse a poëtis dicuntur. *frui* autem ad intemerabilem usum beatae lenisque vitae pertinet: nam voluptas et iucunditas quaepiam eo verbo invehitur. Manilius libro 1: *aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur.* BARTH.

ib. *meliore die* Elysios campos intelligit, aut respicit poëtarum, quibus sol clarior illucere dicitur. Claudianus de raptu lib. 2: *amissum ne crede diem: sunt altera nobis sidera; sunt orbes alii, lumenque videbis purius, Elysiumque magis mirabere solem.* et solem ibi perpetuum sine successione noctis lucere innuit Corippus, imitatus Valerium Flaccum Argonaut. 1: *donec silvas et amoena piorum deveniunt, camposque, ubi sol totumque per annum durat aprica dies, thiasique chorique virorum.* Clau-

diani locum adscripsi non ut publice ille nunc, sed ut in ms codice legitur, quem nos collatum cum aliis ad secundam editionem examinavimus. Barth.

35. miserrime hic versus truncabatur, sic in exemplari, quo sum usus, conceptus: *nos, cui nullus, ait salve, pater.* restitui hoc pacto: *nos, queis nulla salus sine te.* Dempst. contaminatos esse hos versus res ipsa testimonium dicit. nam expletiones interpretis nihil moror hoc loco: sunt enim nimium confidentes. certum autem, idque caeco patere potest, commendare Corippi ore Iustinum caelestem vitam, spernere eius comparatione istam caducam et transituram. illud vero non vidit hactenus quispiam, solem caelestem illum in hac comparatione dicere deum ipsum, verum nimirum vitae solem. at ubi hoc constiterit, ut constare lectori debet? inducemus illum nullo negotio, ut voculam *nos* sequenti versu etiam corruptam dicat, aut consentiat dicentibus. scribe: *et frueris meliore die, sub lumine solis, nox cui nulla suvit.* nec vero inusitatum vel sacris litteris vel aliis piis scriptoribus solem dicere deum. sacra loca cuivis in promptu. Boëthius Consol. 5 2: *uno mentis cernit in ictu, quae sint, quae fuerint veniantque; quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem.* Gaudentius Tractatione 1: *oportebat enim solem iustitiae Christum et Iudaeorum caliginem et rigorem Gentilium, ante ardorem futuri iudicii, placido resurrectionis suae lumine dimovere.* Tichonius regula 7: *sic et dominus deus noster Iesus Christus sol aeternus partem suam percurrit, unde et meridianum vocat.* Drogo de sacramento passionis lib. 1: *beatus autem, qui vigilat ad monumentum tuum, et custodit te, et luctatur mane cum Angelo resurrectionis, nec dimittit eum, donec audiat aliquid de nomine eius, quod est mirabile, ut et nomen Iacob commutetur in Israel, et transmisso amne doloris statim oriatur ei sol iustitiae.* Idiota lib. 1 de amore divino: *o domine Iesu Christe, sol, unde fluunt radii amoris, quanta insania plenus est ille qui solummodo se ipsum amat!* Martianus Capella per solem illum diei illuminatorem alterum verum solem innuens: *quem vocitant solem Latii, quod solus honore post patrem sis lucis apex.* Iustinus Confessione de Trinitate: οὕτω μοι νόει τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον πᾶσι μὲν ἐπίσης κατ᾽ οὐσίαν ἅτε δὴ θεὸν ὄντα. pariterque alii infiniti. Barth. *suvit* antiqua scriptura *subit* valet. Barth. horum versuum mirificam restitutionem Barthio debes. Fogg.

36. *vale.* Brissonius et alii formulares in funeribus notarunt esse has voces, *salve, vale.* Artemid. 1 85, Aen. 11 97, Donat. grammat. in Andriam act. 4 sc. 2, Serv. ad Aen. 3: *supremum voce ciemus.* Dempst. ad veterum conclamationem respiciunt *salve* et *vale.* Virgilius 2: *salve aeternum mihi, maxime Palla, aeternumque vale,* quod vero ait idem *aeternumque*

vale, in Corippo non paganice intelligendum est, ut in omnem aeternitatem se ipsum non revisurum dicat filius Iustinus, sed vitam suam cum hac voce complectitur; quali significatione etiam ethnicos sapientiores in conclamatione carorum accepisse, aliorum interpretatio nos accurate inspicientes edocet. cum enim alii dicunt defunctis *aeternum valeas*, alii *longum* dixerunt, eadem utrique potestate. Bion epitaphio Adonidis: *φεύγεις μακρόν, Ἄδωνι, καὶ ἔρχεαι εἰς Ἀχέροντα*, ubi certe in omnem aeternitatem ipsi commanendum erat. sic *diu* eadem vi usurpavit Papinius, grandis eruditionum pater, Theb. 8: *ite diu fratres, indiscretique supremis ignibus, et caros urna confundite manes.* hoc est aeternum fratres. pari ratione *antiquum* pro aeterno Christiani scriptores nostri ponunt. Hilarius in Genesi: *ipse perennis spiritus, antiquo vivens per saecula motu.* Barth.

37. *sublime* sublimiter denotat, et est usu praeclarorum auctorum receptum. Virgilius ecl. 2: *cantantes sublime ferant ad sidera cygni.* Lucretius 3: *nocturnasque faces caeli sublime volantes.* Prudentius in Romano: *praecipit sublime tollant et manu pulsent nates.* recte autem *nutu* dixit satis doctus poëta: magnorum enim principum etiam *nutus* imperia sunt, et obsecundant illis subditi, si qui sunt boni animi. Ennodius Panegyrico Theodorici: *metuebat parentes exercitus, quem meminisse originis suae admonebat honor alienus: nam ire ad nutum suum legiones et remeare pavore algidus imperabat.* Barth.

39. faces funebres tam frequenter nominant auctores ut nefas sit de ea re quidquam dicere. quod cereae fuerint, non legi nisi hic: nam Seneca clare docet *pueros ad cereos, viros sive adultos ad faces efferri solitos.* Lipsius observat. tu vide Senec. ep. 123, de brevit. vitae c. ult., de tranquill. animi c. 11. hinc constat antiquum fuisse in ecclesia ritum, quem hodie etiamnum servant, comitari funera accensis facibus, distinctis ordinibus ecclesiasticis, praecinente sacerdotum choro puerisque phonascis. theologos non exscribo. Dempst.

ib. notissimus veterum paganorum mos, efferre mortuos cum facibus cereis; hinc etiam *funus* a funibus seu funalibus accensis dictum volunt grammatici, Donatus, Servius, Isidorus. eundem morem etiam ecclesia retinuit, hac significatione, quasi defuncti tanquam athletae quidam deducantur facibus accensis et praeportatis, ut devicto saeculo, ad supremum illum *βραβευτὴν* ac designatorem pergant, coronas ac praemia pugnarum strenue pugnatarum percepturi. docet me hanc significationem S. Chrysostomus homil. 4 ad Hebr.: *εἰπὲ γάρ μοι, τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί; οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοὺς προπέμπομεν*; allusit ad eundem morem et Alcimus Avitus lib. 5: *nulla vacans a morte domus, dum lumine multo tota curatur populosum funus in urbe.* Ritt.

42. Isidorus 7 12: *Levitae,* inquit, *ex nomine auctoris vocati: de Levi enim Levitae exorti sunt, a quibus in templo dei mystici sacramenti mysteria explebantur.* hi Graece *diaconi,* Latine *ministri* dicuntur, quia, sicut in *sacerdote consecratio,* ita in *diacono ministerii dispensatio* habetur. Ritt.

43. *virgineus tonat inde chorus*] τῶν γυναικῶν τῆς κλίνης ἡγουμένων καὶ ψαλλουσῶν Iustinianus quoque, cuius hic exsequiae ducuntur, meminit Nov. 59. sed cur *hymnos* et *psalmodias* funeribus Christiani, ut hodieque facimus, accinebant? nimirum ut gratias deo agerent, quod eum qui e vita excessit iam a laboribus liberarit, quod metu mortis exemtum secum habeat immarcibili ornaturus corona. docuit nos hoc quoque, ut multa alia, S. Chrysostom. homil. 4 ad Hebr. nec dubitat sanctus et gravissimus orator affirmare deum ipsum istiusmodi quasi munimenta humanorum animorum exstruxisse (hoc enim est ἐπιτειχίσαι, quo verbo Chrysostomus utitur) ad perversam illam consuetudinem plangendi et mortuos insolabiliter lugendi evertendam. plura vide apud Kirchmann. de fun. Rom. 2 6. Ritt.

44. *ritu nivis*] eo pertinet, quod omnia copiose ingruentia nivis appellatione censeant auctores. Severus Enteleichius: *quam densis fluitant velleribus nives, tam crebrae pecudum neces.* Barth. sic infra 4 12: *more nivis.* Homerus χιὼν ὥς. Ritt.

45. ad morem veterum respicit lacrimas vestibus excipientium, ut ingens flumen earum videretur. meminit supra Corippus; et sunt exempla in Ovidio et Propertio. Barth. *proprioque in fonte*] elegantissimum. ut Cornelius Severus, sive alius quis Aetnae auctor: *ipse suo flueret Bacchus pede.* Barth.

46. *madentes*] turpe mendum, quod licet contra versum non esset, cum rerum tamen natura ipsa pugnaret: si enim nihil aliud quam maduissent oculi, impossibile fuisset alias res ut possent rigare. sed extra controversiam est scribendum *manentes.* nec animadverterunt tamen mendum tam crassum, qui eum et alios poëtas commentariis exornare voluerunt. Barth. legebatur perperam *madentes.* sed nemo non videt rectum esse *manantes;* quod Kirchmannus quoque agnoscit 2 11, ubi hunc locum allegat. Ritt.

47. *matres* feminae aetatis provectioris, quales praeerant fere planctibus. Prudentius hymno exsequiali longe illo dulcissimo: *iam maesta quiesce querela, lacrimas suspendite matres. crinis* etiam solutio luctus indicium. commentator Germanici in Cassiopea, *unde et illam dissolutis crinibus propter luctum ire asserunt.* Cebes in tabula: ἡ τὰς τρίχας τίλλουσα ἑαυτῆς καλεῖται ὀδύνη. Barth.

49. ob iniuriam facile inferendam a turba in magnis quibusque pompis femineus sexus spectatum destinabatur in altiores aedium partes. Martialis 10 6: *et omnis florebat Latia culta*

fenestra nuru. Claudianus in 6 consulatum Honorii: ...... *nudare videres ima viris, altas effulgere matribus aedes.* Barth.

52. *cogit.* Solin. 16: *manifestum est in septentrionalem plagam hieme grues frequentissimas convolare.* Tull. de nat. deor. 2: *grues calidiora loca petentes maria transmittunt.* Homer. Iliad. 3: *χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον· κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.* sed propius ad mentem nostri poëtae Virgil. Aen. 6: *quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus, trans pontum fugat et terris immittit apricis.* apud Homerum grues fugiunt imbrem, apud Maronem hiems fugat grues, ut hic cogit. Homero tamen concors Sen. Oedipo act. 3: *gelidi Strymonis fugiens minas permutat hiemes ales.* et Lucan. 7: *quae Nilo mutare soletis Threicias hiemes.* passim talia apud poëtas, et multa notata a me ad Claudianum de bello Gildon.: *ingenti clangore grues aestiva relinquunt Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo.* hoc tantum addo, volatu per disciplinam observato effingere in aëre quasdam litterarum notas. Solin. et Claudian. supra, Cassiodor. 8 ep. 12: *litteras ex gruum volatu collegisse Mercurius fertur.* Hygin. c. 277. Lucan. 5: *primoque volatu effingunt varias casu monstrante figuras.* Dempst.

ib. *coactis* pro *coactae* repositum est. Ruiz. *coactis* fuerat in editione, cum vidisset in ms *coactae.* bene et aperto sensu; si sic legatur: *aspera cogit hiems glacie nivibusque, coactae innumerae glomerantur aves.* ut sit hiems aspera glacie, et coactae aves glomerentur. Dempst. male, mea sententia, correxit *coactis*, cum poëta significare voluerit undique ex ea regione vi tempestatis coactas aves convenisse, uno omnium consilio, hibernare incipientem earum terrarum aërem deserere. innuit autem potissimum grues, imitatione Lucani et Claudiani, quorum postremus priorem secutus est in multis, ipse vero omnia sequentia saecula traxit in suam aemulationem. Barth.

55. quia transiturum illac erat funus imperatorium, incendebant odores per vicos. est vero *σφάλμα ποιητικὸν* auctoris in syllabae modulo; quanquam illa aetas talia neglexerit, ut vides apud Fortunatum, qui in Occidente ad eandem imperatricem scribebat quam Corippus multis huius poëmatis locis commendabat in Oriente. pariter et utroque antiquior Sedulius 1: *rettulimus sancti coniuncto spiritus actu.* iterum: *dicemus sancti coniuncto spiritus actu.* et 3: *nec origine carnis germanum gestare odium, sed spiritus igne flagranteis abolere doli monumenta vetusti.* *cremari* autem apposite thuri applicatur; quin sonum velut eius, dum conflagrat, exprimit. Virgilius: *congesta cremantur thurea dona.* Barth. impegit poëta in regulam prosodiae corripiendo ultimam syllabam *transitus.* sic alibi primam in *flagitant* brevem facit *ἀλόγως.* Ritt.

59. *apostolici* nomine omne quod egregium est inter sacra honoratur, ut apostolicum vocat templum Cpolitanum, quod alioquin S. Sophiae dicatum erat, Corippus. Barth. Barthius ad hunc locum historiae minus peritum se prodit. Constantinus M. praeter aedem Sophianam templum etiam ss. apostolorum condidit, quod non secus ac aedem Sophianam Iustinianus M. renovavit. in hoc autem templo illis solummodo, qui de Augusta erant familia, sepeliri fas erat. vide Procopium lib. 1 de Aedificiis. itaque ibidem depositus est Iustinianus. Fogg.

60. Iustiniani sepulcrum usque ad Latinorum invasionem stetit, et Nicetas Choniates *de statuis Const.* narrat Latinos, apertis imperatorum sepulcris positis in Heroo ad magnum discipulorum Christi templum, noctu omnia diripuisse, et Iustiniani cadaver inviolatum tunc esse repertum. vide Bandurium Imp. Orient. 1 lib. 6 p. 107. Fogg.

61. *pius*] *prius* puto melius, id est antequam obiret: nam monimenta sibi vivi struebant. Sueton. Aug. c. 100. Sen. de brevit. vitae c. ult.: *disponunt etiam quae ultra vitam sunt, moles sepulcrorum.* Dempst. intelligit imperatorem Iustinianum, q. d. ὁ μακαρίτης, ὁ τῆς εὐσεβοῦς λήξεως, ut imperator de retro principibus loqui amat in Novellis. quare non probo coniecturam Ruizii legere volentis *prius* pro *pius*. Ritt.

ib. hinc creditum est Iustiniani sepulcrum ex auro fuisse. sed hoc, quod minus verisimile videri posset, falsum etiam esse constat ex manifesto Constantini Porphyrogenneti testimonio de caeremoniis Aulae Byzantinae, ubi 2 42, inscripto *de sepulcris imperatorum, quae sunt in templo ss. apostolorum*, notat sarcophagum, in quo iacebat corpus Iustiniani M., fuisse *ex marmore peregrino rari et miri coloris, qui medius fere sit inter colorem Bithynii et Chalcedonici marmoris, similis marmori Ostritae.* itaque in hoc Corippi versu Ruizium male legisse suspicor *construxerat*, et potius legendum esse *constrinxerat*, vel quia serras ex auro apposuerit (sic enim Cicero pro Sext. 16 scripsit, *constringi catenis, constringi laqueis*), vel quia adiecerit aliqua ex auro vel ex metallo aurato ornamenta, qua significatione utitur voce *constringo* Martialis 11 57: *constringatque tuos purpura texta toros*, hoc est *cooperiat*. Fogg.

63. in publica privataque laetitia velabant fores coronis et postes sertis. Iuven. 6: *necte coronam postibus, et densos per limina tende corymbos*. id ramis protensis fiebat. idem sat. eadem: *ornatas paullo ante fores, pendentia linquit vela domus et adhuc virides in limine ramos.* Claudianus de raptu 2, ubi plura: *pars aulaea tenent, alii praetexere ramis limina.* et in epigr. de magnete: *festa frondentia myrto limina cinguntur.* Dempst. *sacra moenia* sunt aedes sacrae, templa. sed quomodo *tectis?* lege *coronatis textis*, hoc est *textilibus coronis.* et

hic sutilium florum copiam indicavit, subiicit mox solutorum. Barth. Statius, quem aliquoties imitatur noster, Theb. 6 366: *dumque chelym lauro textumque illustre coronae subligat*. Vonck. non solum privatorum domus, sed etiam urbis et arcis sacra moenia ornata sunt coronis. sic videntur ornata cuiusdam urbis moenia in veteri ara, quae adservatur in museo Capitolino. vide monumentorum huius musei editionem t. 4 tab. 66. Fogg.

64. *honos*] hemistichium hoc ex Claudiano est de raptu 2 72. Dempst. *nemus refertum* frugibus sunt rami arborum cum ipsis fructibus avulsi, ut studium honoris Iustino certatim collati indicet plenius. notandum tempus anni, quo Iustinianus vivis excessit. nemora sunt arbores. Lucanus 3: *procumbunt nemora, et spoliantur robore silvae*. Barth.

66. *arundine*] quamvis grandiore herba, frutici quam plantae similiore. alioquin fateor, quem cultum arundo postibus dederit, me ignorare, nisi arundinem κατ' ἐξοχὴν nobiliorem aliquam cannam tum ad talia usurpari suetam capias. Barth.

67. *velamina*] *tapetia* intelligit talibus pompis praetendi solita. Pacatus Panegyrico: *quid portas virentibus sertis coronatas, quid aulaeis undantes plateas accensisque funalibus auctum diem referam?* Barth.

68. *laudibus addere laudes*] ad geminationem praeconiorum alludit, quae frequentabatur adeo ut numeratores non defuerint, qui recenserent quoties quaeque acclamatio honori principis data repeteretur, ut exempla in Historia Augusta apparent non pauca. alioquin concinnius legatur: *lusibus addere laudes*. vir doctissimus et singulari industria Thomas Dempsterus, quem honoris et amoris gratia toties laudo, qui videlicet in illustratione huius poëtae et Claudiani etiam mecum eodem animo concurrit, plane intacta haec reliquit. Barth. Barthius non male. alioquin edita firmatur ex 4 164 et 275. atque ita passim. Vonck.

69. Virgilianum est Georgicorum 3: *altius ingreditur et mollia crura reponit*. ne quis putet de nihilo esse. *reponere* autem illud sublationem et restitutionem crurum denotat. ut *removere* fila apud Venantium Fortunatum, quae pulsa repulsantur. Barth.

72. carmen hoc ita quidem est restitutum, cum perverse legeretur in ms: *organa, plectrum, lyra et totam insonuere per urbem*. sed et in proxime duobus subsequentibus *convivia* pro *convicia* et *discursus* pro *discussus* emendavimus. Ruiz.

ib. *lyrae*. bene sic restitutum. antea pessime legebatur. Dempst.

73. in ms codice legerat Assagrius *convicia*. expunxerat, reponens *convivia*, sed pessime: nam optime huic loco convicia quadrant. Quintilian. 1 3: *gaudemus si quid dixerint (pueri ingenui) licentius. verba ne Alexandrinis quidem permittenda*

deliciis osculo ac risu excipimus. Stat. Silv. 5 ult.: *non ego mercatus Pharia de puppe loquaces delicias, doctumve sui convicia Nili infantem, linguaque simul salibusque protervum. convicia* igitur puto esse *sales compositos et verba meditatam lasciviam sonantia*, quae interesse conviviis Romanis solita quis nescit? ex Syria quippe et Aegypto pueri, e Gadibus puellae accitae, *quae molliores supra naturam canora dulcedine et saltationis lubrico* (Macrob. 2 1) *exercerent philosophantes.* dixi abunde, ut spero ad Claudian. ad illud de laud. Stilich. 2: *non pueri lasciva sonant.* Dempst. *convivia mille*] ita edidit Assagrius. at in scripto codice fuit *convicia mille;* quod Dempsterus bene defendit. *conviciorum* enim vox latius patet quam vulgo norunt, etiam ad res non illaetabiles. manifeste etiam iocularia scommata hac censentur, quae libertatis cuiusdam novae hilaritate sibi plebs indulgebat, Iustino hoc ad principatum evecto. et ita perspicue proprietatis Latinae scriptor optimus Apuleius 4: *hi, simili lavacro refecti, inter foros sociorum sese reponunt; nunc sorte ducti ministerium faciunt. estur ac potatur, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis. clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis iocantur.* ita *honestissimum convicium* dixit Cicero 12 Familiarium, ut notat Iacobus Raevardus *Variorum* 1 3. deinde et *τὸ mille* sane melius conviciis quam conviviis convenit, cum plures unum faciant convivium, unus autem plura convicia. Barth. quemlibet plurium concentum convicium indicat. conf. commentat. ad Phaedr. 1 6. Vonck.

74. *discursus*] prius *discussus*, male.

76. ignaviam ultimorum Iustiniani temporum indicat, cum ait populum consuisse sese post senium tum iuvenescere. magna tranquillitate populi imperium sumpsisse Iustinum scribit Victor Tunnunensis. Barth.

77. *formae.* imitatur Claudian. in Ruffin. 2: *rursus ad humanae revocat primordia formae.* Dempst.

79. urbem et orbem Romana ambitione iungit, velut horum fatum inseparabile et idem imperium foret. Ovidius: *gentibus est aliis tellus data limite certo: Romanae spatium est urbis et orbis idem.* Rutilius ad Romam: *urbem fecisti quod prius orbis erat.* quo nihil ambitiosius et eruditius pariter dici poterat. Barth.

80. pro *addita addite* scribendum censemus. vulgo nec scriptura nec distinctio sana est: utramque vitiosam reliquit Dempsterus. illud *decus addite*, velut difficilioris, ut grammatici loquuntur, constructionis, imposuit exscriptoribus. est ex illo Virgilii 8: *salve, vera Iovis proles, decus addite divis.* Barth.

81. *retro principes* sunt praedecessores, ut aliis vocantu

Ambrosius: *a pluribus retro principibus inhibita interdictaque.* Barth. *retro principes* saepe etiam a Iustiniano aliisque passim in libris *iuris civilis* dicuntur *anteriores,* οἱ ἔμπροσθεν, οἱ πάλαι βασιλεῖς. sic *retro principum dispositiones,* et *retro latae sanctiones,* et *a multis retro saeculis,* et *retro familiaritas, retro iuvenes.* est enim manifeste graecissans ellipsis. Ritt.

87. *epulas*] hoc e Papinio expressum Theb. 2: *postquam regales epulas et gaudia vulgi bisseni clausere dies.* Dempst.

88. *Sarepta.* Plin. 5 19. Sidon. Apollin. carm. 17: *quaeque Sarepteno palmite missa bibas.* male *Serapteno* legebatur. Dempst. *Sarephtha, Saraphta, Sarafa* promiscue haec urbs Phoenices designatur. vino fuit nobilis; inde dicit Alexander Trallianus 1 13: καὶ ὀλίγον οἶνον, καὶ μάλιστα τὸν ὑδατώδη, οἷός ἐστιν ὁ Κνίδιος καὶ ὁ Σάμιος καὶ ὁ Σερεφθῖνος. contra Fulgentius lib. 2 Mythologicon, ubi de Dionysio: *Indos vero vicisse, quod haec gens valde sit vino dedita, duobus scilicet modis, sive quia fervor solis eos faciat potatores, sive quia ibi sit Seraptenum vinum vel Meriotanum, cuius vini tanta virtus est quod vix quamlibet ebriosus sextarium toto mense bibat.*

ib. *Gaza*] Strab. 11, sed nihil de vino aut vitibus, nec Curt. 4. at est Isidori 20 3, Cassiod. 12 ep. 12. Dempst. vina iungit Sareptena et Gazetica pariter Sidonius ad Ommatium, quod epigramma a Iacobo Sirmondo nomine Martini Dumiensis editum est: *vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna, quaeque Sarepteno palmite missa bibas.* Barth.

89. *Ascalon.* oppidum Syriae. Mela 1 11. nihil de vite. Dempst. Ascalon Graecam urbem vocat Corippus, quod illa, ut et Ioppe, prius Graecos dicatur habuisse colonos. Ascalum et Tantalum fratres fuisse ex Xantho scribit Stephanus περὶ πόλεων, quem vide. cetera sunt proclivia. Barth.

90. *Africa.* Plin. 14 1: *stat provinciarum aliquarum per se vitis sine pedamento, artus suos in se colligens, et brevitate crassitudinem pascens. vetant hoc alicubi venti, ut in Africa.* Dempst.

91. *Cypros*] Plin. 14 7. Dempst. *Cypron candidam* dixit ob amabilitatem, qua Veneri eadem insula dedicata: *candida* enim Latinis florens, nitidum, oppositum omni tristifico et absono. unde *candor* etiam animi virtus. Alanus Commentario 3 in Prophetiam Merlini: *candidi enim in scripturis tam saecularibus quam divinis vocantur homines benigni et modesti atque in omni morum mansuetudine et honestate conspicui.* Silius Italicus 15: *decurrent albusque dies horaeque serenae.* Sedulius 3 Mirabilium dei: *mox agmine verso deponens trepidum, recidivo tramite, luctum, candida felicem revocavit pompa parentem.* idem libro 4 eiusdem operis: *cunctaque dispensans custodibus igne minaci venerat in forma Christum quaerentibus alba.* luculenta et pura

quaevis veteribus alba. scholiastes Aeschyli: *ἀργὴν τὴν βοῦν καλεῖ ἢ διὰ τὸ τοῖς θεοῖς ἀεὶ τὰς βοῦς θύεσθαι, ἢ διὰ τὸ ταύτην εἶναι λευκήν· τὰ γὰρ λευκὰ καὶ καθαρὰ καὶ φωτεινὰ καὶ ἀρρύ-πωτα.* Marius Victor lib. 2 in Genesin: *sic olim ante sui praesensit candidus Abel invidiam fratris.* Alcimus Avitus lib. 2: *tunc mens intactos servabat candida visus.* idem lib. 6 ad Fuscinam sororem: *nec enim ulli candida virtus invidet, invidiae quanquam est subiecta malignae.* Arator. lib. 1 Hist. apostolicae: *nivei mentitus honorem callis ad excelsi pergit vestigia regis.* Barth.

93. cum vinum pretiosissimum et antiquitatis maximae indicare vult, hyperbole poëtica dicit plantatum Ulyssi. Barth.

94. *arce sub Ibalia Laërtia flumina servans.*] carmen hoc ita corruptissime legitur in codice ms: *parces ubi balia lacertia lumina servans;* quod nos nec emendare omnino potuimus, neque emendatum ab aliquo et ad marginem adscriptum placuit, ita scilicet: *arce sub Acilia Lernaeia flumina servans.* quin et aliquot versus subsequentes mihi suspicione non carent, sed quos animus non est emendare, nisi insigniores duntaxat mendas in his nostris observationibus indicare. Ruiz. corrige *Oebalia,* claro sensu. Dempst. correctio [ad marginem adscripta] nullius momenti est, uti nec illa etiam quam ex vulgata Ruizii commentus est Dempsterus: cum enim Ibalia illa arx nullius pretii sit nec ad ullam historiam alludat, nequaquam poterit magni fieri ea lectio quae ex vitiosa servata exsculpta est. sequendi omnino sunt ductus manuscriptae lectionis, quae procul dubio veritati proprior est quam correctiones ex ea natae, et longius etiam recedentes ab historia quae inesse debet. longum enim quaesieris, priusquam in rebus Ulyssis arcem Ibaliam aut Oebaliam inveneris, in gratiam quidem Assagrii, qui vitiosam lectionem vitiosius correxit, ex qua correctione postmodum alia monstra nata sunt. nos initialis litterae auctoritate servata, quae nequaquam facile de *P* in *A* transvenire potuit, aliam lectionem et litteris et historiae convenientem sumus commenti, quae utique ista est: *pace sub Iliaca Laërtia limina servans.* Ithacensia vina laudat et recenset Corippus, quam insulam a fertilitate commendat Homerus. cum, ait, *nondum ad Iliacum bellum profectus foret Ulysses, originem huic vino eius plantatio dedit, qui Ithacam suam vineis opplevit.* ante tempora belli Troiani vacabat Ulyssi talia facere et limina domus suae servare. *servare domum* est recte suis rebus praeesse, bonum patremfamilias esse, ut in veteri inscriptione de femina honesta et frugi: *heic est sepulcrum haud pulcrum pulcrai feminae. nomen parentes nominarunt Claudiam. sermone lepido, dum autem incessu commodo, domum servavit, lanam fecit. dixi. abi.* estque fictio poëtica et elegans, data occasione, herois quondam tanti cultura com-

mendare vina eius insulae, quae alioquin non nobilissima, Ulyssis tamen nomine talibus accensentur. Pomponius Mela 2 6: *Same, Zacynthos, Dulichium, et inter non ignobiles Ulyssis nomine Ithaca maxime illustris*, praecipue apud poëtam, cui eam sacram fecit πολυπαιπάλου inter omnia Graeca operis, Ulysseae nimirum Homericae, gloria. haec utique verisimillima est loci hujus lectio, si non vera ipsa, a qua procul sunt commenta ceterorum. argutari quis, otio inepte abutens, ut sunt ingenia hominum nihil non audentium, possit alia de *Ibana*, quo nomine Cretensibus vinum dictum notat Hesychius: sed non est aliunde accersenda explicatio, quae domi subnascitur. confirmat autem emendationem nostram maxime versus sequens: *nondum Troiani vitans discrimina belli*. Barth. pro *Ibalia* Dempsterus correxit *Oebalia*. sed et pro *lumina* legendum videtur *limina*. passim haec confunduntur. vide Virgil. Aen. 2 567. ubi quidam *lumina*. L. 8 Cod. sentent. resc. non posse: *sed eos, qui talia rescripta meruerunt, etiam lumine iudiciorum expelli*. al. *limine*. quidni melius? at haec diutius persequi infiniti foret operis. Vonck.

95. *vitans*] simulavit Ulysses insaniam, ne ad bellum Troianum iret. Hygin. 95, Ovid. Metam. 13: *detrectavitque furore militiam ficto*. sed quas ille suis manibus plantarit vites, non legi quod sciam, nisi nobilissimum, Homero celebratum vinum Maroneum accipiamus. Athen. 1 30, Plin. 14 5. Papinius: *Maronaeo foedatus lumina Baccho*. Dempst. pulchre de simulata insania Ulyssis notat Dempsterus: omnino enim eorsum alludit Corippus. Barth.

96. *quaeque*] expungendum *que*. Virgil. Georg. 2: *quae Methymnaeo carpit de palmite Lesbos*. Silius 7: *Methymna ferax Latiis cessura Falernis*. Modius ep. 31. legit *ferox* et *lacubus*. Horat. sat. 2 8, Mart. 8 51, Callimach. epigr. 20. Dempst.

ib. lege *quae*. erat autem Methymna civitas in Lesbo insula, *habens pretiosissimum vinum*, ut notat Servius ad Virgil. Georg. 2 90. Fogg. ego, quod codex praebebat, tenui: neque enim hoc *Mēthymnaeis* deterius quam illa *Anastāsi, bāses, schōlas, Memphītica, mystērium*.

ib. forte, adiecto finali puncto in fine proximi superioris versus, rectius hos ita legas: *quae Methymnaeis expressit cultor ab uvis pocula! quae vitreo flagrabant plena Falerno!* et bene *flagrabant*: Falernum enim *ardens* dicitur ab Horat. 2 11 19. Fogg.

97. *Falerno*] error insignis: nam neque hoc aevi vinum Falernum in usu, quod multis antea saeculis iam defecerat, nec verisimile ex Italia tanto tractu comportatum Byzantium vinum; notum enim in Gaurano prope Neapolim monte Falernum gigni. praeter geographos Sil. Ital. 7 plene fabulam de Falerno narrat. atque illi quidem primum decus primumque pretium Georg. 2:

nec cellis ideo contende Falernis. M. Varro rei rust. 1 2: *quod far conferatur Campano, quod triticum Appulo, quod vinum Falerno, quod oleum Venafro.* Mart. 5 ep. 65, Ovid. de Ponto 4 2, et alii passim. et mentio eius apud Labeonem IC lib. 17 ff. de ann. legat. sed tamen quia non convenit in hunc locum, censui legendum *Lyaeo.* Dempst. non tenuit Dempsterus eam [qua v. 95 excelluit] dexteritatem, cum Lyaeum Falerno substituere nititur, ignarus scilicet Falernum omne generosius vinum poëtis dici, licet minime in agro Falerno natum. neque vidit homo doctus et perspicax sequenti versu eandem vocem repeti. de Falerni mutatione a transvectione longinqua Cpolim insuper habendum est: nam ea ratione omnibus etiam Cisalpinis Falernum pro generoso vino usurpare interdictum foret. Barth.

99. *alba*] quaedam enim vina alba, quaedam nigra, quaedam flava. Athen. 1 30. Dempst.

100. *fulvo Risattica vina*] in ms est: *fulvoris Attica vina metallo.* quod nec stare ullo modo potest, nec emendatum, quemadmodum ad marginem fuerat, satis nobis placuit: sic enim est: *Attica fusca dabant fulgenti vina metallo.* sed et huic proximum carmen vitiose legi existimarem, *naturamque* ibi pro aliquo loci alio nomine ignorantia ipsius librarii suppositum fuisse, nisi iam subsequentia *liquidi non indiga mellis* non ad *naturam,* sed potius ad superiora, *vina* scilicet, referenda sint, quae ita dulcia forent ut melle ad id nequaquam indigerent. Ruiz. *Risattica*] quod hoc genus vini, ego fateor me ignorare. nam nec Plinius, qui Italica et transmarina vina sigillatim numerat, nec Virgilius, nec Macrob. Saturn. 3 ult., qui susceperant recensionem vitium ex professo. atque utinam mihi aut tempus aut libri ad manum essent! sed spero futurum ut aliquis magnus in doctorum choro a me relicta sit explicaturus. et certe fieri non potest ut non sit mendum: viderat in ms codice Assagrius: *fusca dabant fulvoris Attica vina metallo.* et sic putavit legendum, non male, *Attica fusca dabant fulgenti vina metallo.* claro sensu, sed nimia transpositione verborum, et ut apparet, alienum a scriptura auctoris. ego putem sic posse legi: *fusca dabant fulvo simul Attica vina metallo.* Dempst. scribendum *chrysattica,* et eruditissimo Dempstero scrupulus eximendus, qui nusquam hoc genus vini observatum queritur. in Glossario Graecolatino legis χρυσαττικόν *chrysatticum.* quod sane de hoc intelligendum. Alexander Trallianus lib. 11 de medicamento ex myuro herba: καὶ δίδου μετὰ οἰνομέλιτος ἢ χρυσαττικοῦ καλοῦ. unde dulcissimum vini genus fuisse discas. Plinius Valerianus 5 8: *vinum autem bonum est dare chrysatticum, et hoc modice.* idem c. 9: *vinum si voluerint bibere, chrysatticum iis dabis.* puto misturam fuisse. Barth. ingenue agit Dempsterus, cum vina Risattica non nosse sese confitetur: nos superioribus commentariis ex auctoribus fide

dignis *chrysatticum* vinum celebre inter nobilia fuisse demonstravimus. nihili sunt coniecturae Assagrii et Dempsteri. fuisse vinum admodum dulce dicimus ex Alexandro Tralliano, qui mulso illud aequale praescribit lib. 11: τὸ διὰ τῆς μυούρου βοτάνης. ἴδιον, ἀφαριχοῦ, μυούρου ἀνὰ οὐγ. α. ἡ δόσις γρ. δ΄. κατὰ δόσιν μιγνύσθω γρ. α εὐφορβίου, καὶ δίδου μετὰ οἰνομέλιτος ἢ χρυσαττικοῦ καλοῦ. Glossarium vetus: χρυσαττικὸν *chrysatticum*; unde discas etiam Latinis non alio nomine usitatum fuisse. mentio eiusdem apud Plinium quoque Valerianum, medicum parum vulgo cognitum, ut notavimus ad eum. erat ergo hoc vinum et gustu et effectu mulso par, colore autem fuscum. Barth.

102. scribendum *Gargisaei*. de urbe Γάργη et populo Γαργαρεῖς Stephanus περὶ πόλεων. nos autem attendere debemus vinum hoc alibi nominatum non esse, cum constet ea regione nobile nasci, et poëta hoc loco cum vulgo loquatur, cui utique eo tempore commendatum fuit hoc vinum, licet non fuerit vel antea vel post magnopere frequentatum. ipse mox fatetur non posse se omnia recensere, quae undecumque in gratiam novorum principum fuerunt convecta. Barth. Barthius legendum censet: *Gargisaei* ab urbe Γάργη, quam memorat Stephanus, sed notat nusquam alibi hoc vinum nominatum esse. fortasse legendum est cum diaeresi *Gaurani* a *Gauro* Campaniae monte Massicis et Surrentinis propinquo: celebre enim apud veteres *Gauranum* vinum. vide Plin. 14, Athen. 1; et eius meminit Statius Silv. 3 1 et 5. Fogg.

103. *parturire* ποιητικῶς est *parere*. Sidonius: *costum malobatrum, myrrhas, opobalsama, thura parturiunt campis.* Barth.

105. Virgil. Aen. 6 605: *epulaeque ante ora paratae regifico luxu.* Fogg.

106. mallem *parcus*, ni sic loqui amaret noster, supra 2 376 et alibi. sed et antiquiores parili modo locutos fuisse patet ex iis quae notant Burmann. ad Lucan. 2 128, Cort. ad Plin. 8 ep. 14 14. Vonck.

108. censorum erat munus conviviorum luxuriam reprimere: notum quippe est toties sublata splendida convivia legibus, *Orchia, Fannia, Didia, Licinia et Cornelia* aliisque in morum utilem disciplinam latis. Gell. 2 24, Macrob. 2 13, alii. Dempst.

110. *potumque parum sapientia quaerit*] non multum de eo sollicita est. frustra laborant viri docti in huius correctione. alludit autem vetustissimam sapientiam, secundum naturam vivere pro unica regula habentem, cui eo modo nulla de potu sollicitudo est, quippe quem ubique suppeditet natura. Barth. Ruizius et Dempsterus emendant *potusque*. tu distingue: *praesu-*

mere parcius escas iure facit, potumque; parum sapientia quaerit. Vonck.

111. *aurea fercula* etiam auro instructa. ut apud Ausonium de Agathocle: *fercula gemmatis cum poneret aurea vasis; et misceret opes pauperiemque simul.* quo tamen loco *horrida* malunt, quia ex Samiis coenare consueverat rex figulo patre prognatus. Barth.

112. *pondere gemmarum plus gravia*] ita quidem legitur hoc carmen in codice ms, sed quod propter primam syllabam brevem nominis *gravia* constare minime possit. quodsi *grandia* pro *gravia* reponatur, non satis commode sententiae congruere videtur; nec aliud quidem occurrit remedium, quo versus hic sanari et suae integritati restitui possit. Ruiz. *grandia*] legebatur prius *gravia,* contra carminis rationem. significat autem *chrysendeta,* id est *gemmas auro insertas,* ut notat Turnebus. Tull. 6 Verr., Plinius saepe. Mart. 11 12: *te potare decet gemma.* duplex eorum usus: aut enim in poculis gemmae celatae aut in lancibus. de poculis alii docuerunt. adde Virgilium Georg. 2: *ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.* de paropsidibus Mart. 2 43: *innumeri tibi flava tegunt chrysendeta mulli.* et 14 97, qui locus appositus est: *grandia ne viola parvo chrysendeta mullo.* Dempst. illud *gravia* non mutandum, sed transferendum saltim et in locum τοῦ *plus* reducendum. lege: *gravia plus. P* et *L* enim huic generi etiam poëtarum faciunt positionem. Dracontius: *et nimis ambrosia plorant virgulta per agros.* Barth. cum prima in *gravia* corripiatur, Dempsterus malebat *praegrandia,* meliore sane metro, sensu tamen parum adposito. ego *plus gravia* retinuerim, qui sic censeo cum Burmanno ad Calpurn. 3 69: *si qua forte, sine suspicione corrupti a librariis loci, talia occurrunt, toleranda, sed ubi alia et sincerior lectio est, non obtrudenda.* quodsi vir magnus de elegantioribus ita iudicaverit, quidni et nobis idem de Corippo dicere liceat, poëta quidem pro saeculo, quo vivebat, satis gravi, sed quem tamen aetatis suae genius haud parum corrupit. nec itaque magno adeo opere caesuram semper curasse videri potest, ut et adstruunt loca plurima; quae omnia librariis tribuere ego sane non ausim, maxime ubi lectio ingeniosior occurrat quam ut a rudi sciolo profecta videatur. confer ipsum Dempsterum ad 3 148. Vonck. *pondus grave*] Ruizii lectionem excusant Barthius et Vonckius. non abnuam; sed etiam haec mea lectio probabilis et plane elegantior. Hor. epod. 4 17: *quid attinet tot ora navium gravi rostrata duci pondere.* Fogg.

114. distinctio contaminata est. scribendum primum citra omnem controversiam: *gaudebantque sui genitoris imagine visa felices geniti: veras ibi cernere possis. geniti* sunt filii; quo nomine accedunt merito Iustiniano Iustinus et Sophia. eam vocem

in hoc poëta aliquoties tenebras miras fecisse notavimus iam plus semel. Barth. legebatur: *visa. felicis geniti veras* —.

115. *felicis geniti veras ibi credere posses sacras effigies.*] duo hi versus ita depravate legebantur in ms exemplari: *felices geniti veras ibi credere posses sacras et figies.* Ruiz.

117. lege *possent;* sic sensus exigit. Vonck.

118. quid est *addendi vitam?* mirum mihi quid egerint aut quo viderint viri docti Corippi commentarios professi, dum ne una quidem voce tam absona loca enarrare vel aliis saltim enarranda addicere, quae eorum in talibus sit auctoritas, dignati sunt. error ex abbreviatione oriundus est. scribe: *ars et materies animas simul addere possint* (ms *possunt*), *addendi veniam nisi tu, natura, negasses.* tam apta materies, tam artificiosa ars, tam convenerant eaedem concinne, ut, si per naturam licuisset, etiam spiritum operibus dedissent. sic in artificiosissimis operibus ὑπερβολικῶς etiam spiritum apparere dicunt. Plinius 3 ep. 6 de signo Corinthio a se empto: *effingit senem stantem: ossa, musculi, nervi, venae, rugae etiam ut spirantis apparent.* Claudianus bello Getico: *raptaque flagranti spirantia signa Corintho.* Barth.

119. Plinius: *cuius magnitudini ne illud quidem obstat, quod nostro saeculo natus sit.* Ovid. de Ponto 4 16: *fama maior post cineres.* Mart. 5 epigr. 10: *post fata venit gloria.* invidia viventium gloriae detrahit, mors nomen conciliat. Horat. epist. 2 1: *miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.* Dempst. gnome, qua suam operam supra omnia talia opera principibus aeternitati dandis commendat. pulchre Avienus in Periegesi Dionysiana: *Musis intermina vita permanet, et memori laus semper pullulat aevo.* Propertius 3: *at non ingenio quaesitum nomen ab aevo excidit: ingenio stat sine morte decus.* Barth. *fama*] legebatur antea *famam.* imitatur versum vulgo notum: *vivitur ingenio, cetera mortis erunt.* quam sententiam pluribus expolivit Ovidius, nec non Cicero in ea pro *Archia.* et magnifice de suis carminibus Horatius 3 30: *exegi monumentum aere perennius.* Ritt. lege *fama.* Vonck. cum saeculi aurei scriptores *vivere vitam, vivere aetatem* dixerint, haereo an hic corrigere oporteat *fama.* Fogg.

121. *ipse triumphorum.*] Iustinianus, qui de nomine suo dici curavit tot urbes et oppida et libros et scholares et magistratus et militum ordines, et ipsum quoque, quo utebatur, diadema, quinetiam vel ipsam primam sui nominis litteram, haud mirum est quod etiam in patinis poculisque ac vasis Palatii effigiem suam et res a se bene gestas caelandas curaverit. Fogg.

122. et hoc Virgilianum est Aen. 2: *barbarico postes auro spoliisque superbi.* id est *Asiatico, Phrygio,* ut interpretantur viri docti. Horat. carm. 2 4: *barbarae turmae* pro Troianis.

Ovid. Metam. 6 fab. 1 de Arachne textrice: *stamina barbarica suspendit candida tela.* scio apud Festum lib. 2 opponi *barbaros solis Graecis,* quod dixit etiam Plutarchus in Coriolano. Diomedes Grammaticus apud Gyraldum dial. 4. supra in praefat. 40 *barbara regna,* et lib. 1 62 *barbara bella,* et 279 *barbaricas phalanges.* Dempst.

124. nam quarto consulatu Iustiniani, qui fuit annus eiusdem imperii et principatus septimus, natalis autem domini nostri Iesu Christi 534, Carthago de Vandalis recepta et Africa Romano imperio redacta est per Belisarium, qui Gilimerem Vandalorum regem captivum Cpolim in triumphum adduxit. auctores Iohannes Zonaras, Comes Marcellinus et alii. Ruiz.

ib. Belisarius quarto Iustiniani consulatu, qui in septimum annum imperii ipsius incidit, Gilimere strato, recepta Carthagine, Africam Vandalis ademptam restituit Romanae dicioni. Zonar. t. 3 Annal. Chronolog. alii aliter, sat scio. Dempst. pulchre consulem pro consulatu Iustiniani dixit. quartum autem consule Iustiniano Belisarius Africam, devictis Vandalis, recepit, postquam immanis illa gens totos 97 annos eam tenuerat. triumphus actus nobilissimus, Gelimere rege Cpolim ducto. vide Victorem Tunnunensem, Cedrenum, alios. Barth.

125. *terret*] pessime sic. restitui *tereret,* aperto sensu: nam triumphantes curru Capitolium ascendebant. Caesar de Gallis triumphans *ascendit* (Sueton. c. 37) *Capitolium ad lumina.* Lucan. 8: *nec ter Capitolia curru invectus.* idem 9: *quam ter Capitolia curru scandere.* Sidon. Apollin. carm. 5: *et regum aspicient Capitolia fulva catenas.* Apollon. Collatinus de excidio Hierosolym. lib. 2: *Capitolia scandes victor, et Augustum nomen sedemque tenebis.* Claudian. de 6 Hon. consul. et alibi saepe: *iamque parabantur pompae simulacra futurae, Tarpeio spectanda Iovi.* Dempst.

126. *fabulam mensae* fuisse ait Iustino et Sophiae res gestas Iustiniani, alludens morem Romanum, qui scripta auctorum et historias consueverant super mensam audire. de Homeri et Virgilii poëmatis notum est ex Persio et Iuvenali. de Cicerone et Publio apud Petronium Arbitrum exempla sunt. alia apud scriptores historiae Augustae, etiam Caroli Magni. Barth. *fabula*] sermo, confabulatio. Ritt.

127. *honorum*] honoratum. sic alibi Corippus dixit *honoram lucem;* et 4 86: *quidquid latet, exstat honorum;* et 332: *senio honoro.* Ritt.

129. frequens illa bonis scriptoribus locutio, viros celebris famae post obitum vivere in oribus virorum, hoc est in cordatorum hominum laudibus perpetuo eos commemorantium. Ennius: *nemo me lacrimis decoret, neque funera fletum faxit. cur? volito vivus per ora virum.* Ovidius epilogo Transmutationum: *qua-*

qua patet domitis Romana potentia terris, ore legar populi. Propertius 2: *unde meus veniat mollis in ora liber.* idem 3: *crede mihi, magnos aequarunt ista Camillos indicia, et venies tu quoque in ora virum.* Virgil. Georg. 3: *qua me quoque possim tollere humo victorque virum volitare per ora.* Barth.

130. *decessor* est praecessor, qui isti velut loco decesserit. Barth. antecessorem in imperio, cui mox opponit successorem. Gloss. vetus *decessor* προϊστάμενος, et altero Glossar. προηγησάμενος *antecessor, decessor, praecessor. decessores* διακάτοχοι. malim διάδοχοι, ut in eodem Glossario *decessiones* διαδοχαί: nam διακάτοχος in altero veteri Gloss. vertitur *possessor, detentator, retentator;* et διακαδοχή *possessio,* et διακατέχω *obtineo, possideo, retineo, detento.* Ritt.

136. Virgil. Aen. 2: *toro pater Aeneas sic orsus ab alto.* Dempst.

137. describit conclave imperatorium, Papinio Theb. 2 *concilii penetrale.* infra 218. purpureis aulaeis ornabatur, et ob id Graecis πορφύρα, Latinis *purpura* dicebatur. Claudian. de 3 Hon. consulatu: *excepit Tyrio venerabile pignus in ostro.* et de 4 Hon. consulatu: *patrio felix adolescis in ostro.* et de nuptiis Honorii et Mariae: *natus in ostro parvus Honoriades.* ex quibus patet Augustas puerperas in illo enixas. hic etiam genialis Caesarum lectus; hic cum coniugibus cubabant. idem de bello Gildon. *Tyrio qua fusus Honorius ostro carpebat teneros Maria cum coniuge somnos.* Dempst.

138. manifesta imitatio Homeri Iliad. 2 24. Ritt.

141. *causae mundi* sunt negotia. Barth.

145. *miracula.* sic vocat frequenter res splendidas magnificeque paratas. supra 2 129, et hoc lib. 39 et 243. quae ut multa alia desumpta a Claudiano de 4 consul. Hon.: *quos habitus, quantae miracula pompae vidimus.* et de consulatu Manlii, et alibi: *miracula plebi colligite.* Iulianus θαῦμα φέρων πάντεσσιν in Anthologia. Dempst.

146. *reponere* est recitare, iterare. de quo multis ad principium primae apud Iuvenalem satyrae. Barth.

147. *sanctum.* hoc ex Ovidio Trist. 1 7. aliter legit Saresberiensis: *illud amicitiae sanctum et venerabile nomen.* Dempst.

148. *Sapientia*] rursus ad nomen imperatricis Sophiae alludit, ut saepe supra. Ritt.

149. Dempsterus in sua *de Corippo coniectura* inepte hinc coniectatur Corippum dedicasse hos libros Sophiae Augustae. Corippus non agit hic de libris suis, sed de curis pro bono imperii regimine, ad quas statim ac consummatum est convivium animum appellere una cum coniuge Iustinus sategit. suscepta autem consilia Sophiae Augustae, eius nomini perpetuo alludens, sacrat

Corippus; atque adeo ei *sacra* dicit, utpote plena sapientiae, et *admiranda magis* quam *commemoranda*. itaque legebam *sacra*, hoc est *consecrata*, etsi aeque bene legi posse puto *sacro*, hoc est *dedico*: iam enim non semel Iustini sapientiam ex ea laudavit, ut in Fragm. 23 et in Paneg. 34, et 1 9, 56, 291 etc., et hinc occasionem carpit expostulandi mutuum eius patrocinium. Fogg.

151. dies scilicet decimus nonus Novembris, quo anni tempore iam dies, utpote ad brumam ipsam propiores, solent esse frigidissimi, potissimum vero Cpoli et toto eo Thraciae tractu, ubi instanti hieme perpetuis nivibus et altissima glacie omnia rigere conspiciuntur. Ruiz.

152. *vernum* substantive dixit pro *verno tempore* seu *vere*. Ritt.

156. non patitur lex versus *fiebat* legi; quare aut reponendum *fremebat*, aut melius *favebat*, formula notissima. Dempst. sensus ac metrum *fiebat* respuit. Ruizius et ex eo Dempsterus reponebant *favebat* aut *fremebat*. legendum, ut arbitror, *votisque suis nova Roma nitebat*. firmat 4 101. Vonck.

158. *schola*] quod Propertius vocat *gymnasium*, id scriptores iuridici *scholam*. Cassiodor. 5 ep. 23: *schola Martia mittat examina: pugnaturus ludo, qui se exercere consuevit in otio.* hinc undecim scholas militum numerat Iustinianus lib. 34 C. *de locat.* scholae autem Palatinae fit mentio a Iustino Aug. lib. 18 C. de Iudiciis; *duarum librarum auri poena afficere, per scholam Palatinam exigenda.* suspicor tamen subesse mendum, ut lib. 4 188: *per scholas turmasque vocans.* sed saepe leges carminis violat. Dempst.

ib. scholam palatii vocat totum coetum officia aulica administrantium, ut infra quoque 4 188. saepe usurpatur hoc verbum in posterioribus libris codicis Iustiniani. interposui autem hic τὸ *ipsa*, quod cum detrimento versus aberat. Ritt. *alta* Dempsterus ad 4 188.

160. *decanorum*] non sunt hic decani illi quos pontificum ius agnoscit, sed qui humandis cadaveribus praeerant; quos Latini quidem *libitinarios*, Graeci νεκροθάπτας vocant; de quibus est tit. 27 lib. 12 Cod. et Constitutio Theodosii, et Valentiniani Augg. l. 9 C. de sacros. Eccles. Dempst.

ib. *cursorum*] hi sunt forte quos Latini scriptores vocant *viatores*, qui magistratibus ad officia praesto erant. nam numerata officia hic aulae Cpolitanae differunt ab occidentalibus, nomine omnia, quaedam re ipsa. Dempst.

ib. *agentum*] schola agentium in rebus significatur. Thomas Patricius agens in rebus v. Synod. act. 7. frequens mentio in iure, lib. 12 Cod. tit. 20, et l. 3 C. de offic. militarium Iudicum. Ammian. 16: *at imperator, rapere, inquit, sciunt agen-*

tes in rebus, non accipere. Dempst. *agentes in rebus* dicebantur et *magisteriani;* quod ex Novellis recte notavit Cuiacius ad tit. 20 lib. 12 Cod. adde auctoritatem vet. Glossarii, ubi bis legas *agens in rebus* μαγιστριανός; et fortassis rescribendum μαγιστεριανός, una syllaba auctius. sic Novella 86 Iulianus *magisterianum* peritissime interpretatur *agentem in rebus,* probante ibidem Cuiacio in fine expositionis suae. de officio eorum vide d. t. C., et tit. seq. *de principibus agentem in rebus.* de hoc genere hominum scitum est illud Iuliani imperatoris: *rapere, non accipere sciunt agentes in rebus;* quod apophthegma ille protulisse dicitur indnctis quadam solemnitate agentibus in rebus in consistorium, ut aurum acciperent, cum vidisset quendam ex eorum consortio non, ut moris erat, expansa chlamyde sed utraque manu cavata suscepisse. v. Amm. Marcell. 10. Ritt.

162. *magistro*] is erat ad quem disciplina morum in palatio pertinebat, quasi iudicem et magistrum officiorum aulicorum, quales sunt *cubicularii* lib. 3 C. de praepos. sacr. cub. *castrensiani* et *ministeriani* l. 3 et 4 C. et minist. *silentiarii* l. 4 C. de silent. *decani* l. 2 C. de dec., qui omnes obsequio et ministerio principis dediti erant. denique *magister officiorum* est magister τῶν ἐν τῇ αὐλῇ ταξέων, vel ut Theocritus ait, ἡγούμενος τῶν βασιλείων. vide Cuiac. in parat. C. ad tit. de offic. mag. off. huic similem arbitratur eum qui in Galliis *prévost de l' hostel,* h. e. quem vulgo *praefectum aulae, den Hofmeister,* appellitamus. Ritt.

162. singula officia palatina habebant primates et principes suos, sed praeterea universis praeerat *magister.* vetus inscriptio apud Grut. 406 1: FL. EUGENIO V. C. EX PRAEFECTO PRAETORIO CONSULI ORDINARIO DESIGNATO MAGISTRO OFFICIORUM OMNIUM. et qui hunc magistratum gerebat, ex alio lapide apud Grut. p. 599 6 videtur etiam dictus *princeps officiorum imperialium:* NERITO DIVI CLAUDI PRINCIPI OFFICII IMPER. Fogg.

163. *officia* et hic et infra aliquoties posuit per tropum metonymiae pro *ipsis hominibus officiariis* seu *officia gerentibus.* sic *custodiam* iureconsulti saepe vocant ipsum hominem qui in custodia sive vinculis habetur. l. 28 § in exsulibus, ff. de poena l. 12 de cust. et exhib. reor. alibi. sic mox v. 165 *ingens excubitus,* et 4 241, dicuntur multi excubitores. Ritt.

169. magna inter doctos dissensio de modo gestandi gladios suos: nam Homer. Iliad. 2: ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον. concors Virgilius Aen. 8: *tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem.* et Aen. 9: *humero simul exuit ensem auratum.* tamen existimo Romanos ad latus, ut nunc fit, enses gestasse, non a collo aut humero suspensos, ut heroico aevo. de statua equestri Domitiani principis Papin. Silv. 1 1: *it tergo demissa chlamys, latus ense quieto securum.* dixit maxi-

mus Lipsius, et ego post illum, multa in utramque partem ad illud Claudian. de laud. Stilichon. 2: *gestatosque patri scapulis radiantibus enses.* licet alii malint legere *capulis*, contra fidem ms mei et Veneti antiquissimi. DEMPST.

171. *extantis*] lege *extantes.* DEMPST.

176. hic versus male affectus, licet ex Virgilio Aen. 9: *consurgunt geminae quercus, intonsaque caelo attollunt capita, et sublimi vertice nutant.* DEMPST. *vertice sidera pulsant*] sic Boethius pros. 1 de philosophia inquit, *vertice pulsat caelum.* uterque imitatione Horatii 1 1 36. RITT.

177. *et laeva dextraque*] in ms ita perverse fuit: *laevaque dextraque;* quemadmodum altero versu inferius *terribilis,* quod nos in *terribiles* mutavimus. RUIZ. *laevaque* in ms suo se legisse testatur Ruizius. cur igitur mutavit *et laeva? quia,* inquit, *perverse ita fuit.* cor Aristarchi! an non multa similia apud praecipuos poëtarum legerat? RITT. in ms *laevaque dextraque,* quam elegantiorem lectionem frustra sollicitavit Ruizius, et ipse oscitanter restituere praetermisi. FOGG.

179. locus hic, ausim iurare, corruptus est et transpositus. ego tamen mederi non possum, nisi ad arboris referamus aetatem. DEMPST.

186. *melioribus* praestantioribus, τοῖς κρείττοσι. elegantissime solem facit regem astrorum, qui omnia alia astra simul et obscuret et pascat sua luce. RITT.

196. *cymbius.*] Acta apocrypha, sed antiqua, S. Torpetis inter Acta SS. t. 4 Maii p. 9: *tunc aedificavit ecclesiam mirae magnitudinis, fundatam cancellis et cymbio aureo fulgentem.* itaque cymbius est fornix cymbae formam referens. FOGG.

202. Victoriam depingebant virginis alatae habitu, quare ab Horatio 1 ep. 18 et Claudiano 3 consul. Honorii *velox* dicitur. Lampridius Severo: *pater eadem nocte in somnis vidit alis se Romanae Victoriae, quae est in senatu, ad caelum vehi.* Trimatius ab Hygino reprehensus quod lib. 2 Iliados, ut refert Gellius 6 6, dixisset: *dum dat vincenti praepes Victoria palmam.* ex quo Auson. Idyll. 8: *hoc mihi praepetibus Victoria nuntiet alis.* ad celeritatem eventuum significandam talis ei pictura adscripta; et sic in curia stabat Romae, ut ex relatione Q. Symmachi discimus. sic in aedibus privatis; disco ex Apuleio Miles. 2: *atria longe pulcherrima, columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus, attollebant statuas palmaris deae. facies quaqua pinnis explicitis sine gressu pilae volubilis, instabile vestigium plantis roscidis decitantes, nec ut maneant inhaerent, et iam volare creduntur.* quas ille pinnas explicitas, Ovidius Amor. 3 2 sparsas vocat: *prima loco fertur sparsis Victoria pennis.* apud poëtas dicitur dubiis pennis inter utramque partem volare

Apollon. Collat. 3 excid. Hierosolym: *Romanae plausit volitans Victoria classi.* Pindar. Pyth. 9: πολλὰ δὲ πρόσθεν πτερὰ δέξατο νίκας. habitus autem illi et color candidus. Sil. Ital. 15: *niveis Victoria concolor alis.* elegans est Pompei epigramma: Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται· νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται. multa dixi ad 6 consul. Honorii. adfuit, inquit, Victoria, *quae divite penna patricii reverenda fovet sacraria coetus.* de laudib. Stilich. 3: *cum totis exsurgens ardua pennis ipsa duci sacras Victoria panderet aedes.* illud vero non omiserim, olim globo insidentem depingi sine alis solitam, alasque ipsius statuae addidisse patrem Bubali et Athenidis. sunt qui ad Pergamenum Carystium hoc referant, alii ad Aglaophontem pictorem. Scholiastes Aristoph. *in Avibus* ad haec: αὐτίκα νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν. Dempst.

204. pavimenta a Graecis ad Romanos fluxerunt: Isidor. 14 8. dicta, quod *paviantur,* id est caedantur: idem 19 10. *depavire* enim est *caedere:* Festus. Lucret. 12: *bibulam pavit aequor arenam.* conficiebantur ex marmore Numidico insigni artificio polito: M. Varro apud Festum 14; aut ex testis fractis et calce addita: Plin. 35 12. elaborabantur arte, picturae ratione. idem 36 25. καλοῖτο δ' ἂν τὸ μὲν ὑπὸ τοὺς πόδας ἔδαφος, τὸ δ' ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν ὄροφος, inquit Pollux 1 8. lege Senecam 2 controvers. 1, criticos ad Nonium in *vermiculatus,* Suetonium Iulio c. 46, interpretes Horatianos ad carm. 2 4, denique Lucilium a Plinio loco nominato citatum, et Tullio in orat. perf. et lib. 3 de orat.: *quam lepide lexeis compostae, ut tesserulae omnes, arte, pavimento atque emblemate vermiculato.* Dempst.

207. *vela* non sunt domorum ornamenta privatarum, quae nunc tapetes appellamus, sed principum cubiculorum velamenta. Sidon. Apollin. 1 2. Theodorici regis *limina inclusa velis, exclusa cancellis.* alii observarunt. dum vero volebat princeps admittere clientes ad salutandum, velo dimoto prodibat aut illi subibant. Lampridius Severo: *salutaretur quasi unus de senatoribus patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis qui ministri ad fores fuerant, cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat.* infra 255. Dempst.

ib. custodes] ὁ προκαθήμενος τοῦ βεστιαρίου, *procubitor vestibuli,* curopalates. Virgil. Aen. 9: *fidusque ad limina custos.* aut ministri ad fores, ut ait Lampridius, aut admissionales. vide Senec. de benef. 6 33 et 34. hinc officium admissionis, Sueton. Vespas. 14. infra v. 237: *imperat admitti.* Dempst.

208. τὸ *intrare* bis sumendum: *volentibus intrare, sed in dignis intrare.* Ritt.

209. legebatur in ms *in humeris.* et alicui fortassis magis placeret *condensi innumeri* corrigi, quod mihi non arridet. Ruiz. sic antea concipiebatur: *condensi numeris fastu;* et Assagrini

viderat in ms *condensi in numeris.* ego lego *condensati humeris.* Dempst.

211. *adytis* reposuimus pro *atitis,* quod in ms erat; quo modo etiam Virgil. Aen. 5 locutus est: *dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis septem ingens gyros, septena volumina traxit.* nisi iam alicui *atriis* potius reponendum videretur. Ruiz. *adytis.* bene sic restitutum, cum antea legeretur *atitis.* Dempst.

212. Ammian. 15: *consistorium est, in quo legatos et quoscunque se adeuntes princeps admittit et audit, et de causis cognoscit, inquirentibus et dispicientibus consistorianis.* Suidas συνέδριον exponit. inde *comites consistoriani* Honorio et Arcadio Augg. lib. 1 C. de comit. consist., et *consistorium imperatorium ingredi* lib. ult. C. de divers. Iudic. offic. Ausonius in grat. act.: *in illa sede, ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio, sacrarii tui. consistoria antiqua* Cassiodor. 5 ep. 41. *donator gloriosus aulici consistorii* idem 6 form. 6. est praeterea consistorium locus cubiculariorum: Sidon. Apollin. 2 ep. 2. Dempst.

214. *castorum turba virorum*] *eunuchos* significat, etiam illis verbis quae proxime sequuntur, *illis summa fides.* Ritt.

217. comites domesticos describit; quorum mentio passim in iure. Valentinianus et Martian. Augg. l. 10 C. de metatis: *comites domesticorum et protectorum et sacrarum largitionum et rerum privatarum.* et schola domesticorum l. 3 C. de senat. et est formula apud Cassiodorum 8 ep. 12. Suidas, alii. Dempst. mirum nec Ruizium aut Dempsterum voluisse *epulis onerare superbis.* nam et obvia est emendatio, et amat hoc verbum noster. Voeck. *superbis*] certa emendatio ex Virg. Georg. 2 378. Fogg.

218. praepositum sacri cubiculi notat, sive eum qui gynaeciae praeerat: Ammian. IC passim l. 6 tit. 8 cod. Theodos., et Cassiodorus; et ad illud Claudiani in Eutrop. 1 multa dixi, ex Heliodoro et aliis: *aurum, vestes, arcana tueri mens infida vetat.* Dempst.

221. *Narses*] eunuchus hic primum cubicularius, deinde exarchus Italiae sub Iustiniano factus, ut narrat Paulus Diaconus 4. infra 4 368. vetus inscriptio dignissima hic inseri: *imperante dn. piissimo ac triumphali Iustiniano. pp. Aug. anno* 38 *Narses, vir gloriosissimus, ex praeposito sacri palatii, ex cos. atque patricius, post victoriam Gothicam, ipsis et eorum regibus celeritate mirabili conflictu publico superatis atque prostratis, libertate urbis Romae ac totius Italiae restituta, pontem viae Salariae usque ad aquam a nefandissimo Totila tyranno destructum purgato fluminis alveo in meliorem statum quam quondam fuerat reformavit.* ab altera parte pontis hi versus sunt: *quam bene curbati directa est semita pontis, atque inter-*

ruptum continuatur iter. calcamus rapidas subiecti gurgitis undas, et libet iratae cernere murmur aquae. ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites, et Narsen resonans plausus ubique canat. qui potuit rigidas Gothorum flectere mentes, hic docuit durum flumina ferre iugum. Dempst. eiusdem προσωπογραφίαν pulchram vide et infra 4 366. imitatur autem hic Virgilianum illud: *et toto vertice supra est.* Ritt.

221. *Narses*] vide ad v. 368 lib. 4. Foes.

230. *praenunciat igne*] in ms fuit *pronunciat ignem.* Ruiz. in ms erat codice *ignem;* quare legi potest: *vicinoque die clarum denuntiat ignem.* Dempst.

231. *conscendit*] sic innumeris locis historici et poëtae eius aevi, ut notetur suggestum imperatoris altum supra ceteram multitudinem. Claud. in Ruff. 2: *scandat sublime tribunal,* et in Eutrop. 1: *scandit sublime tribunal;* de laud. Stilich. 2: *conscendentemque tribunal prosequar.* Sidon. Apollin. carm. 7: *petimus, conscende tribunal.* supra 1 188, 2 37 et 175. Dempst.

236. *quos*] forte *qui.* Foes.

237. *admitti*] Valesius hos versus citans in suis ad Menandrum notis hic legit *acciri.* Foes.

238. *immensaque.* indubie error librarii culpa admissus. sic lege: *atque immensa.* Dempst.

ib. immensaque atria] de industria noluit absorbere aut elidere vocalem *e* ante *a,* perinde ut infra 4 28 *more apum.* similia exempla olim observavi apud Q. Serenum Sammonicum. Ritt.

240. pro *suspiciunt* legebatur in ms *suscipiunt;* quod et in aliis locis Corippi a nobis emendatum etiam fuit. Ruiz.

ib. splendentia] bene antea *miratur pubes* dictum: nam apud Livium 2: *Volsci sensere ante oculos micare gladios; turbati vertunt terga.* Heliodor. 9: ἀργυροῖς τε καὶ ἐπιχρύσοις τοῖς ὅπλοις τὸ πεδίον καταστράπτων. M. Varro περὶ τύχης: *tela dextra vibrant, russatia emicant, atque insignibus Martis torques aureae et scuta caelata Hibero argento gravi crebra fulgent.* Accius epinausimache: *a classe ad urbem tendunt, neque quisquam potest fulgentium armum ardorem armatus obtui.* Hesiodus Clipeo: τεύχεσι λαμπομένους σέλας ὡς πυρὸς αἰθομένοιο. neque quicquam frequentius in descriptione exercituum hoc armorum hastarum clipeorumque nitore. Claudianus in Ruff. 2 de exercitu Stilichonis: *implet Thessaliam ferri nitor.* et post: *hic ultrix acies ornatu fulgida ferri.* et de 3 Honor. consulatu: *perstringit ahena lux oculos, nudique leges Mavortia ferri ingeminat splendore diem.* Lucanus 2: *ardentesque acies percussis sole corusco conspexit telis.* infra 4 242. Dempst.

241. diu multumque profecto me dubium tenuit huius carminis emendatio, quod depravatissime ita in nostro exemplari

mus legeretur: *aurea et auratas crines criptasque rubentes.* verum ex illo Virgiliano Aen. 8: *et conum insignis galeae cristasque comantes,* atque altero in 9: *ipsum illum clypeum cristasque rubentes,* facile nobis tandem indubiae certissimaeque coniecturae lux quaedam effulsit. Ruiz. bene restitutum *cristasque.* maximus Lipsius in militia Romana. Claudianus de 4 Honor. consulatu: *rutilus cristis et casside maior.* Dempst.

242. *lanceas*] mendum est, sed cui ego medelam adhibere non possum. forte est synaeresis, quae raro hoc modo contingit. Dempst. nota συνίζησιν. Ritt. hoc loco frustra emendationem tentat Dempsterus. Vonck.

244. *aliud caelum*] ἄλλον ἢ ἕτερον οὐρανόν, id est *caelo simile.* sic ἄλλος Ἡρακλῆς dicitur qui Herculi similis est robore. sic alia ad eandem faciem dicta passim reperias. Ritt.

253. *caveam* hic pro *caveant,* quod perperam legebatur, reposuimus adiuti Virgilii carmine Aen. 5: *hic totum caveae consessum ingentis;* quod procul dubio Corippus hoc loco imitatus est. Ruiz. recte correctum *caveam,* manifesto sensu: nam cavea locus feras spectaculo destinatas asservandi. Stat. Silv. 2 5: *stat cardine aperto infelix cavea.* silv. 1 ult. (omitto libros de ea re compositos) *ecce autem caveas subit per omnes.* Dempst.

254. mos hic receptus in spectaculis ludicris, ut bestiae introductae in arenam cernuae procumberent et principes adorarent. doctissimus mortalium Marcilius ad librum spectaculorum Martial. ep. 17: *quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat.* Dempst.

268. ultimus editor (Goetzius) substituit τὸ πάνυ, *ter facie suspexit Avar.* at si Menandri excerpta consuluisset, facili negotio potuisset animadvertere nomen Avaris latere, qui legationis princeps ad Iustinum missus fuerat; atque adeo scribendum *Targitius* vel *Targitius suspexit Avar.* vide Menandrum. Vonck.

ib. Targites] tribus in locis *Excerpta* Menandri de legatis Avarum ad Iustinum agunt, sed posteriores duo ad unam eandemque alteram legationem manifesto pertinent. Corippus celebrat primam, de qua in primo Excerpto, ubi licet cetera fusius enarrentur, praetermissum est tamen legati Avarum nomen, quod lateret omnino, nisi constaret ex duobus aliis alterius legationis Excerptis, in quorum uno haec leguntur: *venit denuo Targitius, ut legatione fungeretur apud imperatorem. eadem vero dixit imperatori et audivit ab imperatore, quae antea imperatori dixerat et quae a se dictis ab imperatore responsa tulerat.* igitur primam etiam legationem, quam celebrat Corippus, egit aeque ac alteram Avar nomine *Targitius* Ταργίτιος, seu ut in tertio Menandri Excerpto legitur, *Targites* Ταργίτης; et hinc habes unde in hoc Corippi versu restituerim *Targites,* expuncta [illegible] strosa Ruizii lectione *ter gasis,* in qua nullus erat sensus. [illegible]

259. solebant legati, praesertim cum quippiam impetrare vellent, in terram cernui se abiicere. docet Livius 9: *eo anno a frequentibus Samnitium populis de foedere renovando cum legati senatum humi strati movissent, reiecti ad populum haudquaquam tam efficaces habuere preces.* Saguntini apud Silium 1: *affigunt proni squallentia corpora terrae.* nec barbarorum is ad Romanos euntium mos, sed Romanorum etiam ad alios. Diac. 16: *introductus legatus Romanorum cum adoravisset* (Archetam regem Aethiopum), *iussus est erigi.* sed haec lapsis temporibus. Dempst.

262. Liv. 3: *stant passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum caelestium finemque pestis exposcunt.* Arnob. 1: *deorum ante ora prostrati limina ipsa contererent osculis.* Lucan. 2: *hae lacrimis sparsere deos, hae corpora duro affixere solo, lacerasque in limine sacro attonitae fudere comas.* Stat. Silv. 5 1: *illacrimat, signatque fores, et pectore tergit limina.* sic enim lego ex codice Argentoratensi: in aliis legebatur male *pectore terget lumina.* idem 9: *gelidas verrentem crinibus aras.* Sil. Ital. 6 560: *ast aliae, laceris canentes crinibus, alta verrunt tecta deum.* Claudian. de laud. Serenae, ubi plura: *supplice crine verris humum.* Dempst. *capillis*, quos supra Fragmenti v. 4 *colubrimodos* vocabat. Ritt.

266. *erexere viros*] apud Fogginum *surrexere viri.*

271. Avares, seu ut alii malunt *Abares*, (Suidas. Anthol. 4 4 15: *'Αβάρων στρατός*, male Hunnorum vertit Brodaeus) populi sunt e Scytharum genere, quos Hamaxobios Plinius, Ptolemaeus, alii vocant. ita sentit Evagrius Hist. eccles. 5 2. alii Gothos Hypogothos Gepides et Vandalos eosdem esse populos, ex Gepidum deinde genere Langobardos et Avares divisos, qui sub Theodosio Iuniore Danubium transeuntes in Pannonia consedere: Paul. Diacon. 14. idem tamen in Heraclio 18 Hunnos facit. hi trigesimo primo anno imperii Iustiniani Byzantium ingressi sunt, hoc est septennio ante mortem ipsius. quarto deinde anno Iustini per Tiberium, qui postea imperavit, in Thracia victi et triumphati, nono anno vicerunt Romanos: Evagr. 5 10. supra in Praefat. 4 et 1 254. eos autem ut profugos et extorres sedibus insectatur infra Iustinus, 322. Dempst.

ib. *Cagan.* non memini me legere quis hic Cagan, nisi quod Corippus regem nominet Avarum. infra 345 et 395. Dempst.

ib. nulla huius, quod sciam, apud Latinos mentio, frequens apud Graecos, qui tamen *Chaganum*, non Caganum appellant: indicavit mihi vir in omni litteraturae politioris genere versatissimus Franc. Sizaeus Santo. Photius Biblioth. p. 27 *b* 9. Menander Protector in Histor. p. 95 insignem de eo refert historiam. Photius Abarorum, Menander Hunnorum regem facit,

quia, ut toties dixi, Abari seu Avares ab Hunnis oriundi; unde tolles mendum ex Adone Viennensi Chronico, aetate 6 a. salutis 866: *Avarum, id est Chunorum, regnum.* lege *Hunnorum.* Dempst.

271. Menander in *Excerptis* tum legati Avarum ad Iustinum orationem recitat, tum Iustini responsa, et omnino conveniunt cum sententiis quas Corippus poëtice hic exprimit. porro Elias Venetus in sua Carminum Sidonii Apollinaris editione Lugduni 1552 nonnulla adiecit p. 355 aliorum poëtarum carmina ex cod. Santonensi descripta, et in eo ac si essent Sidonii Apollinaris collecta, inter quae leguntur versus 18 huius orationis legati Avarum ad Iustinum sub hoc titulo: *epistola regis Avarum ad imperatorem Romanum.* Fogg.

272. *stravit*] in codice ms fuit *intravit.* ceterum pleraeque variae lectiones ad marginem ipsius Corippi poëmatis a nobis appositae ad finem usque huius tertii libri conspiciuntur, ex antiquissimo quodam volumine Ovetensis ecclesiae collectae sunt, ubi duae hae orationes legati regis Avarum et Iustini imperatoris cum aliis variis operibus continentur. Ruiz.

ib. in cod. Santonensi *stravi, subegi etc.,* quia ipsius regis epistola fingitur. Fogg.

274. significat barbarus legatus regem suum maximas ductare copias. sic Xerxis copiis potantibus amnis Chidorus non suppetiit, sed defecit, ut scribit in Polymnia Herodotus. ad quem respiciens Iustinus 2 10 18, et seqq.: *iam Xerxes septingenta milia de regno armaverat et trecenta milia de auxiliis; ut non immerito proditum sit flumina ab exercitu eius siccata, Graeciamque omnem vix capere exercitum eius potuisse.* sic et *iumenta eius, cum aquarentur, lacum, qui in circuitu triginta quasi stadia habebat, exsiccarunt,* eodem teste Herodoto. nota hic exemplum περιαυτολογίας, iactantiae et magniloquentiae. Ritt.

ib. in eodem cod. *fortis exercitus,* et deinde v. 276 *nondum potuit.* Fogg.

275. alludit ad numerosum Persarum exercitum, qui duce Xerxe Graeciam invasit, a quo siccati amnes Scamander, Onochonus in Thessalia, Simois in Phrygia, Chydorus in Boeotia [Epidanus in Achaia?], Lissus in Thracia. Herodot. 7. Diodor. Sicul. 11 epotos quidem fluvios ait, sed non nominat. Iuven. 10: *epotaque flumina Medo prandente.* Sidon. Apollin. carm. 9: *atque hinc fluminibus satis profundis confestim ebibitis adhuc sitisse.* Auson. *Urbibus.* Burdegala: *hunc cuperes, rex Mede, tuis coniungere castris, flumina consumpto cum defecere meatu.* Claudian. in Ruff. 2: *narratur rapuisse vagos exercitus amnes.* et de laud. Stilich. 1: *arebant tantis epoti milibus amnes.* Dempst.

276. *plene*] legi posset bene, meo iudicio, *potis* [cum cod. Ovet.]. Dempst.

278. *manus*] ex Claudiano de raptu 1: *genibusque suas cum supplice fletu admovere manus.* ritus notissimus. Sueton. Tib. 20 et 24, Claud. 44, Liv. 30 12: *si genua, si victricem attingere manum dexteram, precor quaesoque hanc veniam supplici des.* Valer. 3 8 de Ephilate, 5 1 de L. Paullo, alii passim. Virgil. Aen. 10: *et genua amplexus affatur talia supplex.* Homer. Iliad. 1 407 et lib. 6: ἔπειτα λαβὼν ἐλίσσετο γούνων. hinc veteribus existimatum sedem misericordiae genibus inesse, quod Plinio visum 11 45. Plaut. Trucul. sc. *egone tibi: per tua obsecro genua, ut tu istud insipienter factum sapienter feras.* Dempst. *pacem et meruere precando*] deerat τὸ *et*, quod reposui. ritus supplicum tangere genua velut misericordiae sacra. sic Tacit. Annal. 15 71 de Nerone: *genua ipsius advolvi.* Plinius 2. Hist. Nat. 2 45: *hominis genibus quaedam et religio inest observatione gentium; haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec ut aras adorant, fortassis quia inest iis vitalitas. namque in ipsa genu utriusque commissura dextra laevaque a priore parte gemina quaedam baccarum inanitas inest, qua perfossa ceu vinculis spiritus fugit.* Ritt.

278. in eodem cod. *et meruere,* ut in textu correxi. Fogg.

279. cod. Ovet. et Sant. *ne forte excelsis frustra Babylonia muris cincta foret.* mox Ovet. *dominosque Avares nunc patria ferret,* Sant. *didicit dominos patientia ferre.* Ruiz. legi posset, et puto melius, *ni faceret.* Aen. 1: *ni faciat maria ac terras.* Dempst.

ib. quae aliis *Babylon*, isti *Babylonia*, et Cassiod. 7 ep. 15. Dempst.

280. *cincta*] Priscian. in periegesi: *ad partes Austri Babylon, quam moenibus olim mirandis posuit firmisque Semiramis urbem.* Fest. Avieu. descript. orb.: *hanc prisca Semiramis urbem vallavit muris.* Hygin. fab. 233, Mart. 9 77, Propert. 3 10, Curt. 5. et dicam ad Claudianum in Eutrop. 2: *centum portis Babylona superbam.* et de consul. Olyb. et Probini: *nostra Semiramiae timeant insignia turres.* Dempst.

282. Ruizii ms: *hybernasque nives, cursus qua fraenat.* Ovet. et Sant.: *hibernos cursus quando refrenat.* hoc recepit Fogginus, addito *tum* ante *quando.* Virgil. Georg. 4 135 confert Rittershusius.

284. aliter hic versus legebatur: *vidimus extensos vitrea testudine postes.* mutatum ex Ovet.

286. in cod. Sant. *calcantesque nives vel stratas marmora terrae.* Fogg.

287. *concreta tegebant.* melius indubie *cum crusta tegebat.* Dempst. hanc lectionem praetuli, quam Elias Venetus in

cod. Sant. et Ruizius in cod. Ovetensis ecclesiae invenerunt: sic enim pariter Virgilius de Scythiae regione loquens Georg. 3 360: *concrescunt subitae currenti in flumine crustae.* ubi Servius: *h. e. aquae currentes repente congelascunt.* Fogg.

289. *illic* pro *illis* et *area* pro *aurea,* quae in ms legebantur, sunt restituta. quattuor carmina, quae his ordine succedunt, perturbatissima sunt; atque ideo ea de verbo ad verbum repraesentanda fore duximus. Ruiz.

291. *crystalli*] Poll. 2 4 κρυσταλλοειδής pro oculi parte. ms κρύσταλλος semper Eustathio placet, et Polluci 5 18, contra etymologiam et usum: nam in ms meo Claudiano crystallus semper, et alibi. Solin. 20: *putant glaciem coire et in crystallum corporari, sed frustra. dat Europa, dat et Asia, sed pretiosissimum Scythia edit.* Plin. 37 2: *contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto. non alibi certe reperitur quam ubi maxime hibernae nives rigent, glaciemque esse certum est.* Aristot. apud Gellium 19 5. et favet huic sententiae Sen. nat. quaest. 3 25. indubie haec pars ex formula SC est maior. Stat. Silv. 1 2: *raraque longaevis nivibus crystalla gelari.* Fest. Avien. descript. orbis: *hic dites venae niveum gignunt crystallum.* Priscian. perieg.: *illius fluvii rigidas prope frigore ripas invenies lapidem crystalli.* Sidon. Apollin. carm. 11, et Claudianus epigrammatis videantur, Martialis et alii. Dempst.

294. *Imbrum,* aut, quod carminis ratio non capit, *Imorem,* legebatur. restitui *Hebrum,* quia supra *Hebrum siccare lacu* dixerat. Dempst.

ib. in priore editione fuerat *calcavimus Imorem.* reposueram *Hebrum,* claro sensu. at iam distinguo sic et lego: *cornipedum liquidos seu terruit ungula campos, insanum volvens strepitum, calcavimus Immon. Immos* enim campus est apud Cedrenum; aut certe *calcavimus Imbron* aut *Imbrum.* Plin. 4 12: *Samothrace ab Imbro 32, a Lemno 22 mill. passuum.* Pompon. Mela 2 7: *in Aegaeo mari prope Thraciam Samothrace, Thasos, Imbros.* est ergo insula et urbs, Strabo 10; quam Pelasgi condidere ex Anticlide, idem 5. apud Theophrastum *Umbros* legitur. *Imbrus* Stephan. de urbibus, Hom. Iliad. 14 281 et 13 33 et 24 78. Dionys. Perieg. 524: Ἴμβρος Θρηϊκίη τε Σάμος Κορυβάντιον ἄστυ. meminit et Val. Flacc. Argonaut. 2: *iam quas praeviderat arces navita condebat, proraeque accesserat Imbros.* Priscian. perieg.: *fertilis atque Thasos, simul Imbros.* Dempst. in cod. visum est Ruizio fuisse scriptum *Imorem,* et in margine notat: al. *Imbrum* vel *Ebrum.* Dempstero placuit legere *Ebrum,* quia etiam supra v. 274 eiusdem mentio est fluminis. at codicis vestigiis pressius mihi videor insistere legens *Imaum,* montem ultra quem Scytharum gentes locat Plin. 6 17. Fogg.

295. *in fluctu*] prius erat *fluctus*. Ritt.

300. repositum est *Istri* loco *astri*, quod legebatur in ms. Ruiz.

303. *annua solatia*] sic vocat munera solemnia, quae infra v. 350 *provisa*, vulgo *provisiones* dicuntur; vocat etiam v. 347 *pacta*, et v. 349 *dona*. *solatia* in hac significatione non raro reperias etiam in iure nostro, ut in l. 13 § 1 comm. praed., ubi Alciatus *salarium* legendum putat, a quo significationum differentia nos cogit dissentire. et pro alimentis et salariis etiam usurpari observatum a viris eruditis in cod. Theod. tit. de navicular. l. 32: *solatiis pro mercedula praestitis*. ita legendum quoque in l. 6 C eod. t. *solatia annonarum* in l. un. C. de annon. et capit. ita legendum quoque est in l. 6 C. de navicul. l. 11 secundum veteres scriptos codd., et cod. Theodos. in l. 32 eod. tit. Ritt.

304. geminum plane in modum Romani apud Guntherum 8 351 munera poscunt imp. Fridericum 1: *largaque Romanae persolvas munera plebi*. quibus ille non minus mascule atque animose respondit quam hic Iustinus Avarum legato. Ritt.

ib. *sancte*] hoc est firmiter, et quasi ex sanctione foederis. Ulp. in L. *Sacra loca* 9 § *de divisione rerum: dicimus sancta, quae nec sacra nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata*. Fogg.

307. mirum lectori non sit quod Corippus hoc loco pluraliter loquatur, cum superiori versu singulari numero usus fuerit: nam et paullo superius *vos etiam servare decet* dixerat. neque a barbaro legato ita exacta loquendi ratio fortassis petenda erat; quod Corippus de industria quidem et artificiose hoc loco expressit. Ruiz. malim *transmittito*. Dempst.

311. sacrosanctum erat legati munus, ut quae vellent oratores missi dicere possent; neque eos violare iure gentium licebat, ut a IC definitum est. Stat. Theb. 2: *sanctum populis per saecula nomen legatum insidiis tacitoque invadere ferro parat*. Dempst.

ib. officium legati est non abuti sua licentia, quasi idcirco sibi, quidquid libeat, etiam liceat deceatve, quia iure gentium sit ἱερὸς καὶ ἄσυλος. vid. Alber. Gentilis *de legationibus*. Ritt.

314. carmen hoc in vetusto codice ita depravatum legebatur: *scire locos humiles quibus equibus ora superbis*. Ruiz.

317. *ventosis inflata superbia verbis*] sic Plinius in Panegyrico de Aegyptiis plane geminum in modum c. 31 2: *superbiebat ventosa et insolens natio*. Ritt.

318. *ignavae mentis deformia*] id est, deformitatem ac turpitudinem prodit animi fastuosa oratio tua. oraculum enim est illud Isocraticum: τὸ ἕτοιμον εἰς λόγους ἀργὸν εἰς τὰς πράξεις,

uti et illud Terentianum Heaut. 2 4 5: *mihi quale ingenium haberes, indicio fuit oratio.* RITT.

323. *ignarus*] in margine *ignaris*, melius meo iudicio. DEMPST. Asconius in Divin. Ciceronis: *omnem scholam ludum dixere Romani.* FOGG.

326. *ludo*] formula loquendi usu receptissima. Sidon. Apollin. carm. 5: *clipeosque rotare: ludus*, doctissimus interpres. Ovid. de Ponto 4 8: *quodque aliis opus est, hoc tibi lusus erit.* Val. Flacc. 3: *ludus et ille deo.* Horat. sat. 2 2: *ludus erat culpa potare magistra.* Fest. Avien. descript. orbis: *inque procellosos lembum convertere fluctus ludum habet.* Claudian. in Ruffin. 1: *fratresque necare ludus.* de 3 Honor. consulatu: *ludus erat pharetras hosti ereptas tractare.* de laud. Serenae: *tibi pagina vatum ludus erant.* DEMPST.

327. *studium*] nempe ad delectationem, qua significatione saepe utuntur voce *studium* Terentius et Cicero. FOGG.

334. sic paullo ante v. 330. et Plinius ad Traianum c. 16 1: *sed tanto magis praedicanda est moderatio tua, quod innutritus bellicis laudibus pacem amas; nec quia vel pater tibi triumphalis vel adoptionis tuae die dicata Capitolino Iovi laurus, idcirco ex occasione omni quaeris triumphos. non times bella, nec provocas.* unde hunc aliquando versum feci: *nec provocanda nec timenda bella sunt bono duci.* RITT.

342. ex historia petitum: nam Hannibal urbem obsidens foeda fuit abactus tempestate; inde poëtae finxerunt deos armatos in tutelam urbis stetisse. Prudent. in Symmachum 2: *Hannibalem Iovis imperio Martisque repulsum, cum super e celso pugnarent numina saxo.* idem Hannibal apud suos. Sil. Ital. 17: *fulmina contra et nimbos tonitrusque ac summi numinis iras cum starem* Iuppiter ad Romam. Sidon. Apollin. carm. 7: *cum castra tuis iam proxima muris starent, Collina fulmen pro turre cucurrit.* Claudian. de bello Getico: *iactata procul dicuntur in hostem fulmina, divinique volant pro moenibus ignes.* DEMPST.

344. *per nostros humiles factosque triumphos.*] aliter in margine: *sub nostris humiles fractosque triumphis*, melius ut puto. DEMPST.

346. *camposque* Ovet. *campumque* Ruiz.

350. *gratis*] aliter *grati*. sed prior lectio melior. DEMPST. *provisa*] Meursius legendum censuit *promissa.* FOGG.

354. militares copias dictas posteriori aevo numeros notat Lipsius de militia Rom. 4 2 ex Lampridio in Macrino, Suet. Vespas. 6, Ulpian. l. 2 ff. de his qui not. infam. Menander IC: *voluntario milite numeri supplentur*, l. 4 ff. de re milit. Plin. 10 ep. 38. corrige Tacitum in Agric. 18: *transacta aestas, sparsi per provinciam muneri.* lege *numeri.* unde Tribunatus numerorum l. ult. C. de test. milit. Sozomen. 1: *Romanorum cohortes,*

quae nunc numeri dicuntur. Suidas: *σπεῖραι πλήθη στρατευμάτων, φάλαγγες, νούμερα.* hinc putat vir cultissimus Philippus Rubenius in Electis suis 2 88 legendum sic Claudianum lib. de bello Gildonico, reclamante ms meo et codicibus hactenus excusis: *ast ego quae terras numeris pontumque subegi.* nam alibi idem: *regnorum tractat numeros.* legebatur *humeris.* sed dabit veniam vir clarissimus, si ab eo discedam. humeri ergo ibi sunt senatores et optimates, quorum consiliis superatus orbis, caput imperatores, pedes agricolae, manus legionarii, ut a Saresberiensi eleganter dictum. dixi multis ibi. hic supra 280. Iustinus ad senatum supra 2 202. DEMPST.

359. *super* pro *insuper.* ita Virg. Aen. 2 71 et 11 226. FOGG.

365. *populos*] in margine *populum,* pari sensu. DEMPST.

368. *regem*] *rerum* aliter. DEMPST.

369. *omnium*] *omnibus* legi debuit. DEMPST. post Ruizium.

371. *donisque*] aliter: *donis humilesque in honore.* DEMPST.

372. *suas*] aliter: *suam mensuret opem.* DEMPST.

373. *spe*] Lucanum imitatur 7: *haec est illa dies, cuius spe movimus arma.* DEMPST.

374. *divino sibimet*] error procul dubio. puto restituendum [ex Ovet]: *divinos sibi nec.* DEMPST. malim: *et domino sibi ne plus consulat.* RITT.

384. *qua*] expunge, et lege [ut voluit Ruizius] *quo.* DEMPST.

385. *pubes*] addenda copula, et legendum *pubesque.* RITT. Germani prisci nomen amiserunt, et Gothis Hunnis Alanis et Vandalis Europam depopulantibus in *Alamannorum* nomen transierunt, ex Arnobio, Salviano, Sidonio Apollinare et aliis, ad Claudian. de laud. Stilich. 1: *iungique tuis Alemania signis.* et de 4 Hon. consulatu: *imploratque tuum supplex Alemania nomen.* et puto primum esse Ammianum Marcellinum, qui hoc nominis usurpet. DEMPST.

390. *scultor*] *scaldor* ms Ovet. sed quis sit is quaeratur. DEMPST. legationem Turcorum ad Iustinum indicat, quae causa fuit ob quam Abarorum amicitiam repulit. rei testem habes Theophanem Byzantium apud Photium cod. 64. itaque *Sultan* legendum puto, aut *Soltan, Soldan;* quae vox *regem regum* indicat, ut interpretantur Nicephorus Bryennius et Scylitzes. porro hinc novum habes exemplum, quo falsitatis arguuntur qui Turcos summum suum ducem sic appellare coepisse saeculo 11 arbitrati sunt. critici iam animadverterant hanc vocem in Const. Porphyr. de Them. 2 11, et praeterea Iustiniano aequalis Persarum rex Chosroës F. Kabadis inventus fuerat *Asaoltan* dictus in

argenteo eius nummo Arabicis litteris inscripto. vide Du-Cangium in Hist. S. Ludovici Francorum regis par. 2 dissert. 16. Fogg.

393. *optamus*] *obstamus* Ovet., puto melius. Dempst.

398. *sperate*] pro *timete*, ut apud Virgil. Aen. 1 5 17. Ritt.

405. hisce igitur tribus libris Corippus sibi proposuerat ea solum dicere quae facta fuerunt a die 14 Novembris a. 565, qua Iustinianus obiit, ad kalendas Ianuarias, quibus Iustinus, vel ipsa eadem die vel postridie obitus Iustiniani, imperator sublatus consulatum iniit. quoniam vero quae intermedio eo tempore a Iustino disposita sunt, secundum ordinem temporum, quibus deinceps feliciter gesta fuerunt, celebraturum se fore Corippus promittit, equidem puto non uno, qui sequitur, quarto libro, sed quibusdam aliis conceptum opus clausisse. verum edax rerum tempus non modo reliquos furatum est nobis libros, sed etiam quarti libri complementum. Fogg.

Libri 4 v. 4. *legum*. praefectus urbis iudiciis praeerat. Cassiodor. 4 ep. 41, 1 ep. 31: *moverit se a praefecto urbis legibus audiendum, ut pro facti qualitate discussam excipiat promulgatam iure sententiam*. Iuven. 4 de Pegaso: *interpres legum sanctissimus*. Papin. Silv. 1 4, de Rutilio Gallico: *legesque ubicunque togatae, quae tua longinquis implorant iura querelis*. Dempst.

7. *miti* pro *mitis* in hoc versu reponendum censuimus. Ruiz.

9. hos versus ita emendavimus, cum in vetusto codice perperam legeretur *mediumque et sacrata beatus*. Ruiz.

10. vestis consulum *trabea*. Claudian. in Ruffin. 1: *post trabeas exsul*. et imperatorum. idem de 6 Hon. consul., ubi multa dixi: *collecti trabeatus adit delubra senatus*. Dempst.

11. sic infra v. 71. significat *missilia* in vulgus a novo consule sparsa, quae elegantissime *aureum imbrem* vocat infra v. 72. Ritt.

ib. *divitias vulgo solenni munere donans*] restitui τὸ *vulgus*, et interpunctionem, ut concinnior sit poëtae sententia. *solemne* autem munus appellat nummorum in vulgus sparsionem, quia is semper fuerat novorum consulum mos, si quosdam excipias, qui secuti sunt constitutionem imp. Marciani omnem omnino sparsionem vetantem, quae Asporatio et Herculiano coss lata est, et quam minus iam religiose servatam Iustinianus M. omnino abrogavit. Fogg.

12. *sparsurus*] alludit ad Senecam de benef. 2 16: *ut congiaria tua urbes sint, quas quanto maioris animi fuit non capere quam spargere?* Stat. Silv. 1 ult.: *dives sparsio quos agit tumultus*. Martial. 8 78. dixi ad Claudian. de 6 Honor. consulatu: *ditandas ad dona tribus*. Dempst.

14. turbatissimus sensus. sic lego: *studio ruit agmen emendi robora silvarum: tunc plaustra gementia ducunt magnis ponderibus, tractu stridente rotarum explicitae molis.* liquidissime. VONCK.

15. *missilia*] vocat Pomponius IC l. 8 ff. de contrah. empt., et Caius IC l. 9 ff. de acq. rer. dom. DEMPST.

17. *explicitae*] hoc est dispositae ad commodum artificum. Hirtius de bello Alexand. c. 14: de navibus: *inter has spatium quadringentorum passuum reliquit, quod satis esse ad explicandas naves videbatur.* Lucanus 6 9 de copiis militaribus: *tum collibus omnes explicuit turmas.* FOGG.

21. *sedit*] hoc est fixum est. Florus 4 2: *egregia virtus Scaevae centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela sedere.* FOGG.

22. *concisor*] infra hic: *caeduntur robora ligni.* Ulpian. l. 53 ff. de leg. 3: *sed utrum ita demum, si concisum sit* (lignum), *an et si non sit?* Cassiodor. 5 ep. 18: *artificibus abscindendi ligna sit permissa licentia.* et ep. 20: *ligna silvestria iubemus caedi.* Stat. Silv. 1: *caesis decrevit frondibus Ida.* Ovid. ep. Paridis ad Helenam: *Troiae caeduntur Phrygia pineta securi.* Petron. Arbiter Satyr.: *caesi vertices Idae trahuntur, scissaque in molem cadunt robora.* Claudian. in Eutrop. 1: *caedere ligna culinae.* sed in tironum gratiam adscribam locum ex Ennio 6 Annalium, ut appareat quam studiose eum posteriores poëtae sequantur: *incedunt arbusta per alta, securibu' caedunt, percellunt magnas quercus. exciditur ilex, fraxinu' frangitur atque abies consternitur alta. pinus proceras pervertunt. omne sonabat arbustum fremitu silvai frondosai.* designantur ergo *lignarii:* sic enim vocat Palladius Rutilius rei rust. 1 6. Isidorus interpretatur *ligni opifices,* 19 19. *sive illi tigna dolent sive aedificent,* ut loquitur Paullus IC l. 235 ff. de verb. significat. proprie tamen hoc loco designantur, ut puto, ξυλίνων ὑλῶν οἱ ἐργάται, ὑλοτόμοι καὶ δρυτόμοι καὶ ὑλαγωγοί, ut inquit Iul. Pollux Onom. 7 25. ligna itaque in triplicem usum, aut in lignario asservata ad usum ignis quotidiani, Martial. 13 15; aut ad sacrificia allata (noti apud Graecos lignarii, qui ligna aris imponerent adolendis sacris, Pausan. prior. Eliac.); aut denique struendae scenae et pegmati parabantur. dixi, ut spero, abunde ad Claudianum de consul. Manlii Theodori: *mobile ponderibus descendat pegma reductis.* quo admoneor ut alium ex eodem locum emendem: nam ibidem nullo sensu legitur *puer augmentatus in artem emicet.* ms meus clare *puer auctoratus,* quod antea vir magnus sola coniectura docuerat. Sen. Apocolocynt.: *eum dedi larvis, et proximo munere inter nos, et auctoratus ferulis vapulare placet.* et ep. 37: *eadem honestissimi illius et huius turpissimi auctoramenti verba sunt, uri, virgis ferroque necari.* Sueton. Tib. 7: *rudiariis qui-*

busdam revocatis auctoramento centum milium. Plin. 36 15: *gladiatorum spectacula edebat* (C. Curio), *ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens*. Tull. de offic. 1: *est in illis ipsa merces auctoramentum servitutis*. Plin. 14 1: *ut vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat*. Apul. Miles. 2: *hic auctoratus ad custodiam mariti tui fidenter accessit*. 9: *exsecrando metallo pudicitiam suam protinus auctorata est*. et Apolog. 1: *ob mercedem et auctoramenta impudentiae deprehensa haberi*. vide viros doctos in Petronium. huc refert Muretus illud Horat. sat. 2 7: *quid refert uri, virgis ferroque necari auctoratus eas*. Dempst.

23. *congeminant*] lege *congeminat*, ut ad concisorem referatur. sin malis ad arbores, repone *crebrisque securibus ictas congeminant*. Vonck.

28. *apium*] *apum* erat in priori editione, male. Dempst. scripsi *apium*, etsi legi posse *apum* non pernego. Fogg.

29. *aethere in alto*] si placet magis sequi editionem Ruizii ex ms cod. expressam, lege *captas*, hoc est aëris verni temperie allectas. verum vehementer suspicabar ne Ruizius debuisset potius in cod. legere *aethere in alto*, qua phrasi Corippus imitabatur Virgilium loquentem de apibus Georg. 4 78: eius enim versus in hac comparatione videtur ob oculos habuisse. Fogg.

33. Virg. Georg. 4 42. porro haereo dubius an satius fuisset restituere *fingunt*, qua voce de hoc apum opere loquentes utuntur Virgilius ib. 57, Cicero de Offic. 1 157, Plinius 2 5. Fogg.

38. qui vis naturas arborum hic expressas legere, adi Virgilium Georg. 2, Aen. 6 et 11, Claudianum de raptu 2, Statium Theb. 6, Silium Italicum 10 in funere Pauli Aemilii, quorum collatione tiro proficies. Dempst.

40. duplex *que* pessime hic inseritur. lege: *Iliciaeque trabes fortes et pallida buxus*. Vonck.

ib. *fortesque*] restitui *fortisque*: est enim buxus tum ligni duritia tum pallore commendabilis. vide Plinium 16 16. Fogg.

43. *natabile*] malim *natatile*. Ritt.

47. *aethere*] Muncker. ad Hygin. 64 emendat *aethera*, recte, ut puto. Vonck.

48. serra a *stridore*, Isidor. 19 19. usum Daedalus excogitavit, Plin. 7 56, ducto exemplo a trissagine herba, idem 24 15. aut Talus Daedali sororis filius, Diodor. Sicul. 5. denique sunt qui ad Perdicem referant inventionem, Iul. Hygin. 274. Ovid. Metam. 8, fabr 3. interpretes Virgilii ad illud Georg. 1: *tum ferri rigor atque argutae lamina serrae*. usus eius in suppliciis, Sueton. Calig. 27, et in secandis vestibus. Martial. 14 148: *et pingues tunicas serra secare potest*. Dempst.

50. *nec Inachides*] in ms exemplari legebatur. nos e-

coniecturâ *Inachidae* reposuimus, quo nomine Argivi ipsi significantur, qui eam classem ingentem mille navium contra Troiam comparaverunt. Ruiz.

51. *mille*] tot enim naves duxit Agamemnon. praeter historicos et Homerum Sen. Agam. act. 3 sc. 1: *aurata primas prora signavit vias, aperitque cursus, mille quos secant rates.* Virgil. Aen. 2: *non anni domuere decem, non mille carinae.* Statiana Thetis Achill. 1: *video iam mille carinis Ionium Aegaeumque premi.* Dempst.

63. theatrorum ac circi verba sunt *favere* et *favor*, quae non significant tacitam benevolentiam, sed eam quae voce acclamationibus ac gestu et applausu exprimeretur, εὐφημίαν, ἐπιβόησιν, quod late probat Casaubonus in not. ad Fl. Vopiscum p. 525, ubi etiam hunc ipsum laudat Corippi locum. Ritt.

65. *latus* pro *latos* hoc loco reposuimus. Ruiz.

67. Salmasius ad Fl. Vopiscum de Aureliano concepisse animo videtur fabricam, huic a Corippo descriptae similem, stetisse olim perpetuam in foro Cpolitano, ut ibi plebs in suis arcubus ac septis stans et per gradus atque ordines divisa annonam civicam acciperet. Fogg.

68. *turmas*] divisum a plebe senatum in spectaculis equitique suum ordinem concessum monui supra: nunc autem quod plebi secundum turmas, hoc est tribus, distincta fuerint sedilia, non legi, nec puto verum. non loquor de campo aut septis, in quibus certum est populum in tribus divisum, ut facilius suffragia ferri possent. at in ludis non eadem ratio. Dempst.

69. aviditas rapiendi congiaria exprimitur. Ammian. 16: *non, ut moris est, expansa chlamyde, sed cavata manu suscepit. at imperator, rapere, inquit, non accipere sciunt agentes in rebus.* notat Casselius Sueton. Aug. 91: *stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus praebens.* avarus ille pastor apud Virgilium ecl. 1 queritur *manum nunquam redire domum gravem aere.* Tibull. 2 4: *illa cava pretium flagitat usque manu.* infra hic 146. et 210 *palmasque* ad rapiendum, *sinusque* ad recondendum *parabat.* habeo multa dicta ad Claudian. in Ruffin. 2: *dextera quinetiam ludo concessa vagatur aera petens.* Dempst.

73. *imber*] *nimbus* sparsionis Martial. 8 78. Stat. 1 Silv. ult.: *dum nostri Iovis hi ferantur imbres.* Dempst.

78. *quique*] melius haud dubie *quisque.* nec forte sic scripserit auctor. Vonck.

82. novo quodam et inusitato plane modo Corippus hoc loco usus est nomine *feria* in neutro genere pro solenni festaque cessatione populi ab omni opere cum laetitia publica. Ruiz. *seria*] formula recepta. Plin. 2 ep. 18: *cum hoc seria, cum hoc iocos miscui.* idem 4 ep. 17: *nihil a me ille secretum, non ioculare,*

non serium, non triste, non laetum. Cassiodor. 8 ep. 10. Claudian. de laud. Stilich. 2: *seria quisque iocis nulla formidine miscet.* male meo iudicio legebatur *feria*, contra carminis et grammaticae regulas. Dempst. legebatur *feria*; sed opponit Corippus ludos et seria, in quae duo tota hominum vita distinguitur. Ritt.

84. voluptates sape absolute dici ludos et spectacula, notarunt iam pridem doctissimi viri. vide Casauboni not. in Treb. Pollion., et Iuret. miscell. in Symmach. 2 ep. 46, ubi multorum locis auctorum hoc ipsum confirmat. iis et hic addi potest Corippi versus, et Iustiniani Novell. 105 de consulibus, ubi ait τὰς θέας πρὸς ψυχαγωγίαν ἄγειν τοῦ δήμου, καὶ ταύτας ὁρίζεσθαι εἴς τε ἱπποδρομίαν εἴς τε τὰς τῶν θηρίων θέας τε καὶ ἀναιρέσεις καὶ τὰς ἐπὶ τῆς σκηνῆς τε καὶ θυμέλης ἡδυπαθείας. quid tamen de istiusmodi voluptatibus spectaculorum sit sentiendum, et quam perniciosae fuerint bonis moribus et quam opportunae corrumpendis animis, videri potest apud Tertullianum, Chrysostomum, Salvianum aliosque ecclesiae doctores. vide sacras nostras lectiones. Ritt.

85. praeclara sententia, oraculi instar habens, quam vulgus ita effert: *quod rarum est, carum est: vilescit quotidianum.* huc et sententia pertinet P. Syri Mimi: *bonarum rerum consuetudo pessima est.* et Plutarchus ait: ἐξευτελίζει τὴν τοῦ θείου σεμνότητα ἡ ἐν ἑτοίμῳ τῆς ὄψεως συνήθεια. contra vero ἀγνωσία σεμνότης ἐστὶ τῶν τελετῶν. sacrorum dignitatem ac venerationem tuetur *ignoratio*, ut est apud Synesium. hinc et *mysteria* ipsa nomen acceperunt παρὰ τὸ μύειν, a *claudendo, tegendo, occultando.* quo refero insignem locum Varronis citatum ab Augustino de C. D. 3 31: *multa sunt vera, quae non modo vulgo scire non est utile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expedit.* et ideo Graeci τελετὰς *ac mysteria taciturnitate parietibusque clauserunt.* Ritt.

ib. Varro *Eumenidibus* apud Nonium 17: *hospes quid miras?* Fogg.

86. *honorum* pro *honorat* emendatum a nobis est; quo etiam nomine Corippus frequenter in hoc poëmate utitur. Ruiz.

88. *arcus*] supra *arcus replere.* in victoriae monimentum arcus triumphales erigebantur, et certe 14 arcus, ex P Victorio et aliis historicis, in urbe enumerat Onuphrius. infra hoc libro 209. Martialis (quem cognomento Coquum vocat Ioh. Saresber. 8 13, citans nomine Coqui epigramma quod est 4 56) 8 64: *stat sacer edomitis hostibus arcus ovans.* Sueton. Domit. 13. a nominibus triumphantium dicti illi. Claudian. de 6 Hon. consulatu: *nominis arcum iam molita tui.* depingebantur in his capti vetus scholiasta Iuvenalis ad illud sat. 10: *summo tristis captivus in arcu.* et spoliis hostilibus exuviisque ornabantur. Cl

dian. de laud. Stilichonis 3: *indutosque arcus spoliis.* et de 6 consul. Hon.: *spoliisque micantes innumeros arcus.* Dempst.

89. in ms *violata* pro *via lata* depravate legebatur. Ruiz.

ib. *patebat* Ruizius. in antiquo codice erat *patere*, male, ut opinor. Dempst.

90. kalendas Ianuarias describit. certant autem critici in stabilienda imperii et consulatus Iustini Aug. Minoris chronologia ob varietatem chronologicarum notarum, quibus utuntur Graeci Latinique veteres historici, et quas tum in lapidibus tum in codicibus animadverterunt; volentesque omnia curiosiores componere haud defuit qui sibi fingeret novam epocham ab eius potestate seu Caesaris seu curopalatae, et qui primo consulatum iniisse eum existimaverit kalendis Ianuariis a. 567, iterumque a. 568. sed haec figmenta locupletissimus certissimusque testis discutit Corippus noster, ex quo constat Iustinum nunquam Caesarem fuisse, et curopalatae munus aulicam fuisse dignitatem, non imperii, et Iustinum successisse Iustiniano ex SC. mirifice auctor Periocharum lib. 1 Periocha 4: *Iustiniani obitum artificiose poëta introducit, ut ex consultu senatus Iustinum avunculo condignis laudibus commendatum successisse doceat.* praeterea cum poëta lib. 1 Iustinum etiam inducat prima ipsa imperii sui die promittentem populo reparaturum se fore consulatum, et mandantem ut omnia ad pompam illico pararent, nullus profecto restat ambigendi locus quin consul processerit kalendis proximi Ianuarii, incipientibus annum 566, cum imperium Iustinus susceperit ipsa die 14 Novembris anni 565, qua Iustinianum obiisse compertum est. quodsi quaedam repertae sunt chartae lapidesque, ubi modo indictionis nota modo annorum imperii seu consulatus Iustini numeri non bene convenire videntur, equidem censeo non licere ex his, quae vel ob descriptorum vel ob quadratariorum librariorumve aut inscitiam aut oscitantiam incerta sunt, fidem certis auctoritatemque derogare. vide Philippum a Turre episc. Adriensem in Dissertatione apologetica *de Nummo Anniae Faustinae* p. 109 et seqq. porro obiter hoc quoque adnotabo, Iustinum renovasse consulatum, cum iam ab annis 25 nullus consul designatus fuisset, et a privatis ad imperatores translatum reddidisse perpetuum et sine collega. praetereaque constituisse videtur, ut in Actis publicis ab illo non minus quam ab imperio anni dinumerarentur: hinc enim ea ratione dinumeratos deinceps annos comperimus usque ad Constantinum Pogonatum. Fogg.

91. allusit ad Virgil. Georg. 2 402. simul et illud ex Aen. 1 238 imitatur: *olim volventibus annis.* Ritt.

94. *mensum* pro *mensium.* dixi olim in exercitationibus Ausonianis. Ritt.

96. *finit sine fine*] ὀξύμωρον, cuius exempla ad Oppianum quondam notavi. Ritt.

97. lege *votisque pium sese obtulit orbi*, aut *pie sese obtulit orbis*. Vonck.

99. *auxerat.*] hanc vocem hic restituere oportere Barthius ad 2 95 iam notaverat. Fogg. ms enim *hauserat*.

100. ita correximus hoc carmen, cum in pervetusto codice legeretur *gaudenti populo*. quae castigatio etsi nobis omnino non satisfaciat, melior quidem ad praesens non occurrit. Ruiz.

102. repone pro *ipso ipsi*, ut lex grammaticae constet. supra 3 179 et 244. forte respexit ad illud Claudiani de laud. Stilich. 3: ..... *quae luce metalli aemula vicinis fastigia conserit astris, et septem scopulis zonas imitatur Olympi.* quanquam Corippus de officiis, Claudianus de aedificiis agat. Dempst. *ipsi*] sic Virg. ecl. 5 8: *montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.* Fogg.

103. Cassiodor. 6 ep. 7: *calendis Ianuariis affatim dona largimur, et laetitia publica militia tua est.* Symmach. 10 ep. 20: *calendas anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas.* sed non tantum clientes patronis offerebant, sed cives universi Augustis (docet Suetonius Aug. 57, Martialis passim) et hi civibus. Auson. ep. 2: *Augustae sanctum munus habere manus.* supra 2 354. Dempst. *strenas*, de quarum origine et etymo vid. Symmachum 10 ep. 28. Ritt.

105. *sportis*] sportula congiarium pauperiorum: nam sportis pecunia distribuenda imponebatur. Martial. 1 81, 3 50, 8 50, et omnibus paene paginis; Iuvenal. sat. 1, 3, et 10; Plaut. Curcul. et Menaechm. vide interpretes Suetonii Domit. 7. dividebantur sportulae ad sonum tubae convocatis clientibus. Iuven. sat. 1: *iubet a praecone vocari omnes Troiugenas.* triplex usus, aut in publicis solemnitatibus, puta in ludis, aut consulatu, aut inauguratione principum. Claudian. de 6 Hon. consulatu: *praelarga vocavit ditandas ad dona tribus.* aut in nuptiis. Symmach. 4 ep. 14: *honor sportulae suscipiendae culmini tuo et more et amore solvendus est;* et ep. 55, 9 ep. 91 et 102. Ammian. 14: *cum intervallata temporibus convivia longa et noxia coeperint apparari, vel distributio solemnium sportularum anxia deliberatione tractatur.* vide supra 4 71. scio nomine sportulae pecunias illas intelligi quae iudicibus aut exsecutoribus litium dantur, cuius mentio in iure passim; omitto historicos. Leo et Anthemius Augg. lib. 33 § 1 C. de Episc. et Cler. l. ult. C. de re milit. lib. 12. idemque Graecis πρυτανεῖα vocatur, ut docet Suidas, et ex eo Cael. Rodig. 12 21 et 27 24. ea deponebatur a reo et accusatore multae nomine, quae, si victus esset, ad rempublicam redibat, decima eius parte iudicibus numerata. Dempst.

109. Christophorus Saxius in suis ad Diptychon Magni consulis animadversionibus p. 36 dubitat an hic versus intelligendus

sit de vasis seu tesseris argenteis anaglyptici operis, an de nummis imperatorum vultu ac titulis signatis, et probabilius censet quod vasa cuiusque generis ex argento facta donariaque maioris ponderis significet. ast mihi utrumque significare videtur. Fogg.

110. prima pecunia, ut sonat nomen et grammatici docent, pecudum impressa effigie signabatur, deinde deorum vultibus, Plin. et Ovidius Fast. 1. ultimo imperatores suo nomine gestisque numismata percutiebant. Cassiod. 7 ep. 32: *monetae debet integritas quaeri, ubi et vultus noster imprimitur et generalis utilitas invenitur.* 6 ep. 7: *ut imago principum subiectos videretur pascere per commercium.* locus est insignis Claudiani in Ruffin. 2 de statim denuntiando Caesare Ruffino: *inscribi propriis aurum fatale figuris.* Dempst.

ib. dixi vultu imperatorio signari solitos nummos: at apud Graecos alia ratio, imo et Romanos prima re publica. Aristoteles certe polit. 6 χαρακτῆρα vocat nummi, ut hic *titulos figurasque;* et figurae nomine intelligi debent effigies auctoris, nomen, inscriptio et signum, seu nota victoriam aliquam designans; effigies autem, ut dixi, vultus erat imperatorum Romanorum, qui monetam cudi iubebant statim atque imperium adepti essent. Treb. Pollio in Trebelliano lib. 1 C. de vet. num. potest. Cedrenus de Niceph. Phoca. Ammianus 26: *aureos scilicet nummos in vultum novi principis aliaque ad illecebras aptantes.* Cassiod. 6 form. 7. neque vero auctoritas pecuniae a solo pondere, sed a vultu imperatorio; qui si abfuisset, usus interdicebatur, l. 102 ff. de solut., l. 24 ff. de pign. act. nec tantum Romae id, sed in provinciis; quare ut mirum illud refert Procopius de bello Goth. 3, quod Franci, non ut alii populi, Romani imperatoris imagine, sed sua impressa nummos signent. lege Cornelia ob id cautum ne quis privatus pecuniam cuderet, Ulpian. IC l. 9 ff. ad l. Corn. de fals. et viris doctis memini notatum ex Paullo sent. 5 tit. 25. quo forte illud Persii refer'sat. 5: *et veri speciem dignoscere calles, ne qua sub aerato mendosum tinniat auro.* *aurum* Persius, noster *argentum* hic. Pollio in Victoria tyranna: *cusi sunt eius nummi aerei aurei et argentei.* prima itaque moneta aerea erat, successit argentea aureaque. grammatici, Macrobius Saturn. 1 7. Ovid. Fast. 1: *aera dabant olim, melius nunc omen in auro est.* triplex materies pecuniae ex Pomponio l. 2 § *deinde* ff. de orig. Iur. colligitur. Tull. de leg. 3: *minores magistratus aes argentum aurum publice signanto.* l. 1 ff. ad leg. Iul. pecul. liquet ergo nec ferreos nummos fuisse ullos nec stanneos nec plumbeos, licet de ultimis Martialis 1 100: *constemus tibi plumbea selibra,* et 10 74: *centum merebor plumbeos die toto.* Plautus Casin. a se. *omnibus: cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.* non ut legit maximus Hotmanus, *non est nisi plumbeus:* vult enim ei vilem aliquem nummum

superesse, qualis est plumbeus, nihil praeterea. idem in Mostell. sc. *illi Bucidae: tace sis faber, qui cudere soles plumbeos nummos.* et in Trinum. sc. *huic ego: eine aurum crederem? cui si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.* DEMPST.

113. *utraque*] auri nimirum et argenti. FOGG.

ib. profusam Iustini consulatum ineuntis liberalitatem testatur Theophanes. *consulum more,* inquit, *munus dedit Iustinus, multasque pecunias, quibus etiam nunc plures ditati, sparsit in populum.* FOGG.

114. in secunda parte tomi secundi thesauri veterum diptychorum a Gorio collecti videsis tabulas 10 et 11, quae duas repraesentant tabellas eburneas, primam Florentiae in museo Riccardiano, alteram Parisiis in museo regio exstantes (manifesto tamen inter diptycha non adnumerandas, ut sculpturarum prominentia et utriusque limbus seu margo demonstrant), in quarum una Iustiniani M., in altera Iustini Minoris imaginem expressam esse Gorius coniicit. cum utraque tabula sit anepigraphica, quem Augustum repraesentent divinare non ausim, indubium tamen censeo duos repraesentare ex Augustis Byzantinis; et utriusque Augusti vestimenta, sella, thronus, et sacri adyti, in quo alter sedens, alter quasi processum facere incipiens consistunt, forma, tholus, vela, columnae aliaque ornamenta mirifice respondent hisce Corippi nostri versibus, et iis quae exaggerat 2 100. et 3 194 et 255. FOGG.

116. *lumen*] Ammian. 16: *insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum.* supra 3 20 vide. DEMPST.

120. imitatur Corippus, atque adeo vincit quoque, Ovid. Metam. 2 2 dicentem *flammasque imitante pyropo.* FOGG.

122. *hanc,* ita ut ad *sedem,* de qua proxime Corippus dixit, referatur, pro *haec* reposuimus in hoc versu; ubi fortassis melius *procederet* et *in mediam aulam* accusandi casus etiam legeretur. RUIZ.

123. tapetes in usu heroicis temporibus: Homerus passim. et iam a Romanis recepti: Ulpian. IC lib. 12 ff. de instr. leg. *voluptatis gratia sunt specularia et vela.* Iuven. 9, citatus a Saresber. 3 12, et alii: *vela tegant rimas, iunge ostia.* idem 6: *pendentia linquit vela domus.* DEMPST.

127. videtur hoc loco Corippus imitatus Lucanum lib. 1, ubi ait: *turba minor ritu sequitur succincta Gabino.* qui autem fuerit cinctus Gabinus, ostendit Servius in illud Virgilii Aen. 7: *ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino:* et Isidorus Etymol. 19 24. RUIZ.

ib. *Gabinos.* res nota. a Romulo reges et consules togam cingebant, ut in laevum humerum laciniae pars reiiceretur. Claudian. de 3 Honor. consul.: *cinctusque imitata Gabinos,* et de 4

Honor. consul.: *mere Gabino discolor incedat legio.* de 6 Honor. consul.: *habituque Gabino.* Serv. ad Aen. 7, Isidor. 19 24, alii. Dempst.

128. nullum hercule sensum extorquere valeo, qui meus forte stupor est! nec succurrit quidpiam cui merito adquiescas. an denuo in metrum peccarit Corippus, et legendum: *cuius et amiciens radiabat purpura gemmis?* ut verum fatear, non puto. ampliandum itaque. Vonck.

ib. in superiore versu *cinctusque,* et in hoc *Hidaspeis* certus restitui ex Claudiano, quem Corippus imitatur, de 3 cons. Honorii *festior annos eat, cinctusque imitata Gabinos dives Hydaspeis augescat purpura gemmis.* Fogg. apud Ruizium enim *ritusque Gabinos, cuius id aspiciens.*

131. *adoravit*] foedus adulandi ritus. Tacitus, Suetonius, alii. supra 2 276. modus adorandi apud Heliodorum 9. Dempst.

136. nomen opimum est consulatus; reparavit autem consulatum Iustinus, quia post Basilium Iuniorem usque ad eum nulli Byzantii consules. itaque Orientale imperium sine consulatu 25 annis, ut probat eleganter Onuphrius in Fastis. supra 2 352. Dempst. hos versus ita rectius distingue: *et rerum manifesta salus. reparator opimi nominis, antiquis redeunt nova saecula fastis,* dicit autem nomen consulatus *opimum,* quia novi consules publicas facere solebant largitiones. *opime* pro *abundanter* usurpat Plautus Bacch. 8 1 6. apud Horatium 4 4 51 habes: *triumphus opimus.* dicuntur *opima,* inquit Festus, *magnifica et ampla.* Fogg.

137. malim legere *reddunt.* alterum nimiam barbariem redolet, et ab aetate Corrippi magis semotum. Vonck.

ib. Casaubonus hos versus Corippi allegat ad illustrandum Suetonium, ubi Aug. c. 10 narrat fuisse *qui suaderet ut omne tempus a primo die natali usque ad exitum eius* (Augusti iam vita functi) *saeculum Augustum appellaretur et ita in Fastos referretur;* quibus nimirum bonorum principum adscribebantur nomina, et de quibus nomina tyrannorum delebantur, suffecto in eis titulo *ἀναρχία.* sed hic Corippum alludere puto ad reparatam a Iustino consulum seriem iamdiu interruptam, a quibus fasti notabantur, et quorum nominibus annos distinguere adeo communis et constans mos fuit ut Iulianus Orat. 3 consulatum vocet *ἐπώνυμον τοῦ ἔτους ἀρχήν.* Fogg.

138. nempe Iustinus consulatu restituto ab eo imperii sui annos numerari voluit, Augusti exemplo, cuius imperii epocha vulgatior incipit a 7 eius consulatu, quando ex SC firmatum est ei summum imperium et cognomen Augusti accepit. hinc Censorinus de die natali c. 21 adnotat quod annus diei, quem celebrat, erat *eorum qui vocantur Augustorum* 265, *perinde ex kal.*

Ian. quamvis ex ante diem 17 kal. Febr. Imp. Caesar, D. F., sententia LMunatii Planci, a senatu ceterisque civibus Augustus appellatus est, se 7 et MVipsanio Agrippa 3 coss. in editis Censorini legitur: 16 *kal. Februarii,* sed mendose, ut constat ex mox reperto et a me illustrato marmoreo kalendario Praenestino a Verrio Flacco descripto. Fogg.

139 et 140. fortasse rectius: ...... *tua gaudia tecum hinc vester primus feliciter exigat annus.* Virgilius Aen. 1 70 de nympha Deiopea in uxorem Aeolo promissa a Iunone: *omnes ut tecum meritis pro talibus annos exigat, et pulchra faciat te prole parentem.* Fogg.

139. post *tecum* tollenda interpunctio. sic constiterit sententia. Vonck.

141. vota *plura,* hoc est quotannis et diu, nec non *quinquennalia,* decennalia, vicennalia, tricennalia vota, ut habes in nummis et saxis antiquis. Fogg. notius est quam ut dici debeat, Cpolim in Romae nomen migrasse, ita tamen ut nova Roma diceretur, lib. 4 C. de oper. public. notat Savaro ad Sidonium suum carm. 2: *orbis Roma tui.* Claudian. in Ruffin. 2: *urbs etiam magnae quae dicitur aemula Romae.* et de bello Gildon. (Roma loquitur): *cum subiit par Roma mihi, divisaque sumpsit aequales aurora togas.* supra 1 288 et 344, 3 156 et 4 101. Antholog. 4 4 16 *Βυζαντιὰς Ῥώμη* et 2 7 vocatur. Dempst.

142. *albo*] λεύκωμα τῶν βουλευόντων, Dioni 55, *album senatorum* Tacito Annal. 4. Lips. ibi. erat tabula albis lineis notata, in qua senatorum nomina secundum ordinem scribebantur. passim in iure et apud historicos. Sedul. 1 in fine: *alboque beati ordinis extremus conscribi in saecula civis.* Dempst.

143. *qua*] malim *qui.* nota quod de albo senatorum et citatione nominum ait poëta; quod licet addas iis quae de albo senatorum et iudicum atque decurionum observavit D. Gothofredus ad tit. ff. de albo scribendo. *album* in veteri Gloss. vertitur λεύκωμα. Ritt.

ib. lege *conscripti patres qua voce citati adcedunt,* sublata distinctione. Vonck.

146. *mundi domini*] sic Antoninus apud Volus. Moecianum l. 9 D. de lege Rhodia: ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος. ubi tamen fuit qui mundum sive ornatum muliebrem intelligeret. bellissime profecto! Vonck.

148. *connectant*] sic antea excudebatur. ego certissima coniectura reposui *convectant:* supra 4 105 et 1 111. Virgil. Aen. 4: *praedamque per herbas convectant.* et 7 9: *convectare iuvat praedas.* Papin. Theb. 1: *quid si Tyriae Phrygiaeve sub*

unum convectentur opes. desinant critici turbare, quorum quidam legunt *connectantur*, alii *convertantur*, nonnulli denique *converrantur*, ut respexerit ad illud Horatii 1 1: *quicquid de Libycis verritur areis.* DEMPST.

151. *primordia fertilis anni.* confer hunc locum cum Claudiani libro 2 de raptu. primordia autem sunt primitiae, quae diis offerebantur, Cassiod. hist. trip. 6 29. exemplum habes in Eumaeo Homerico Odyss. 14, et in Diana succensente Oeneo, quod agri primitias sibi non dedicasset, Iliad. 9 Apollini autem debebantur, Pausan. 10, Plin. 18 2; qui ritus solemnis Hyperboreis, Solin. 26. Ovid. de Nuce: *tunc domini memores sertis ornare solebant agricolae, fructu proveniente, deos.* DEMPST.

ib. fertilis anni dixit ex Tibullo 4 ad Messalam: *oriente die duce fertilis anni.* DEMPST.

153. *nectunt*] ita restitui pro *nectant.* RITT.

ib. lege *vectant.* Iac. Phil. Tomasinus de Donariis c. 1 citat: *et sua placandis nectunt donaria diis.* quod videtur ἁμάρτημα μνημονικόν. VONCK.

ib. Vonckius mallet *vectant*, quocum sentire non ausim, quia iam paullo superius v. 148 eadem vox exstat *convectant.* FOGG. *donaria.* non placet Servii mens ad Georg. 3 534, volentis donaria esse locum in quo donaria asservantur: nam imperator definit quae *ad ministerium dei dedicata sunt*, § 8 Instit. de rer. divis., et Theophilus vertit δῶρα. Cassiod. 9 ep. 15 adeatur. Cebes ἀναθήματα in tabula sua vocat. erant ergo munera diis oblata et templis affixa. infra 282. Aen. 9 407. Horat. 1 5. *casus effinxit in auro*, Aen. 6 et diserte Tibull. 1 3: *nunc, dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi fixa docet templis multa tabella tuis.* addo ducum defunctorum arma diis appensa. Parthenopaeus moriens apud Papinium Theb. 9 fine iubet *sua arma suspendi Dianae.* DEMPST.

154. invectus mos sub Augustis, quoties inirent consulatum, adesse panegyristas, *ut quando tutum non esset silentium*, ut ait Plinius, *fictae laudes extorquerentur.* notat Savaro. DEMPST. indicat orationes panegyricas solitas fieri tum Graeco tum Latino sermone. FOGG.

160. *reponunt*] a re ferraria ducta vox. Sen. ep. 82: *ergo nec quod debet creditori suo reponere quisquam scit alius quam sapiens.* opposita sunt inter se auditorem esse et reponere, Horat. 1 ep. 1: *scriptorum auditor;* et de Arte poëtica, *reponis Achillem.* Sen. Rhetor 9 controv. 2: *initio, contumeliae causa, a deridentibus discipuli latronis auditores vocabantur, deinde in usu verbum esse coepit et promiscue poni pro discipulo auditor.*

Iuven. 1: *semper ego auditor tantum? nunquamne reponam.* Martial. Coquus 12 18: *et totum mihi nunc repono, quicquid ter denos vigilaveram per annos.* supra S 146. Dempst. *reponunt*] hoc est iterum iterumque celebrant. vide Hor. in Arte v. 123 et 190. huic autem versui, ut saepe alibi, sensum et elegantiam interpunctione restitui. Fogg. interpungebatur post *tanti.*

164. *phalerata dicta* apud Terentium Phorm. 3 2 15 Donatus interpretatur *honesta atque ornata.* Fogg.

166. sic supra 3 143. Nazarius Panegyrico ad Constantin. Aug. c. 5: *existimare de principibus nemini fas est: nam et in vestibulo suo inquirentem repellit obiecta veneratio, et si qui mentem propius adiecerunt* (ita lego partim ex ms partim ex coniectura: alias *adegerunt*), *quod oculis in solem se contendentibus evenit, praestricta acie videndi facultate caruerunt.* similes apud Salomonem multae sunt sententiae. Boëthius consolat. philosoph. 5 6: ἀργαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα θεὸν ὥς πάντ' ἀγορεύειν. *neque enim fas est homini cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere vel explicare sermone.* quanquam Boëthius de dei rebus, at Corippus de principis loquitur. sed et principem in terris constat esse quandam imaginem *deitatis,* ut recte et sacris quoque litteris convenienter scribit Ioh. Saresberiensis 6 25. sic Plinius Panegyrico ad Traianum c. 80: *ipse mundi parens te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris.* et notissima est dei vox in Psalmo 82 6 sic principes alloquentis: *ego dixi, vos dii estis.* Ritt.

171. non concoquo. lege: *sic quos ille rigat* (aut *riget*) *fontes.* Vonck.

ib. restitui *sed,* ut sententiae vis exigit. Fogg. ms *sic.*

172. correxi *quum* [ms enim *quae*], et nova interpunctione locum distinxi, ex qua suus prodit sensus [incidebatur post *ovantes*]. attamen v. 175 adhuc displicet τὸ *quos,* et legendum crediderim *ast.* vox *ovantes* idem sonat ac *laetantes,* et respicit laudatores, non dominos. Fogg.

173. cum in ms *habemus* legeretur contra carminis necnon et sententiae rationem, nos *aptamus* reposuimus; quo fere loquendi modo Corippus statim in principio huius operis usus est, 1 5. Ruiz.

182. *nostris* nescio quis. Ruizius certe apud Fogginum *noctis.*

184. [ms *est.*] scribe *et.* Fogg.

ib. quo melius haec de litterarum eruditionis praestantia utilitateque a quovis intelligantur, operae pretium erit illustrem

ea de re locum ex libro 12 bibliothecae Diodori Siculi evolvere, ubi legem quandam Charondae, quam is de litterarum studiis tulit, egregiis depraedicat et extollit verbis. *ἔγραψεν οὖν καὶ ἕτερον νόμον ἀπὸ τούτου κρείττονα ...... καὶ δημοσίας ἐπιμελείας τε καὶ δαπάνης ἠξίωσε.* addit deinde, cum anteriores legislatores medicis corporum stipendia ex publico constituerint, Charondam tanto meliori iure haec decrevisse litterarum doctoribus, *ὅσῳ* (sic lego, non ut vulgo *ὥσθ'*) *οἱ μὲν τὰ σώματα θεραπείας ἠξίωσαν, ὁ δὲ τὰς ψυχὰς τὰς ὑπ' ἀπαιδευσίας ἐνοχλουμένας ἐθεράπευσε· κἀκείνων μὲν τῶν ἰατρῶν εὐχόμεθα μηδέποτε χρείαν ἔχειν, τοῖς δὲ παιδείας διδασκάλοις ἐπιθυμοῦμεν ἅπαντα τὸν χρόνον συνδιατρίβειν.* Ritt.

186. *officiis*] ministri aulae Cpolitanae sic vocantur, de quibus est liber Georgii Codini, quem alii curopalatem volunt dici. supra 3 211 et 4 104 et alibi saepe. Rutil. Itin. 1, et alii passim: *officiis regerem cum regia iura minister.* Dempst.

188. *per scholas*] aliquoties haec dictio apud Corippum corrupta, sive inscitia linguae Graecae, seu licentia poëtis usurpata, sive denique operarum incuria. at facile hic posset sic legi: *perque scholas turmasque vocans.* supra 3 158: *acciti proceres omnes, scholaque palati est.* tu, si videtur, repone, et sic lege: *acciti proceres omnes, scholaque alta patati.* Auson. profess. carm. 17 et 19, protrept. ad Nepotem eidyll. 32: *Graio schola nomine dicta est.* Martial. 1 36, 2 64, 3 20, et alii passim. vide notata ad 3 158, et adde locum Claudiani de 6 Honor. consulatu: *hic et belligeros exercuit area lusus.* Dempst.

190. *pro* repositum est loco *prae;* ut paullo etiam inferius *herbosis pavit in agris* pro *herbosos pavit in agros,* quod ita in vetusto codice mendose legebatur. Ruiz.

204. *pulsantque balatibus*] error indubie, librarii an Corippi? sed facilis restitutio: sic enim lege: *pulsant balatibus auras.* Dempst. id etiam Fogginus malebat. tu confer Iohannid. 1 174.

208. *Syrica*] sic legebatur. Assagrius censuit reponendum *serica,* quod mihi non placet; itaque retinui antiquam lectionem. locus est elegans apud Salvianum Massil. de Iudic. et provident. 4: *ut de alio hominum genere non dicam, consideremus solas negotiatorum et Syricorum omnium turbas, qui maiorem ferme civitatum universarum partem occupaverunt.* ita quos Latini *Syros,* posterius aevum *Syricos* dixit, indeque *Syrica* pro *Syriaca.* Dempst.

212. *penduntque*] legebatur *pendentque.* Ritt.

214. *procedere* proprie dicebantur magistratus, et praesertim consules. hinc nummus aureus rarissimus Canstantini Magni

ad annum pertinens 320, quo Constantinus Magnus una cum altero filio Constantino Iun. consul. 6 processit: FELIX PROCESSUS COS. 6 AUG. N. et in nummo Maxentii, quem primus edidit Spanhemius, FEL PROCESS CONSUL AUG, et in alio apud Bandurium p. 149: FELIX PROCESS CONSULAT AUG N. vide Spanhemium Diss. 12 § 5. Fogg.

216. *suspiciunt*] erat antea *suscipiunt*. Dempst.

234. togam omnium ordinum, omnis sexus Romae fuisse gestamen, quis nescit? addo tantum Cpolim etiam translatam. Claudian. de bello Gildon.: *cum subito par Roma mihi, divisaque sumpsit aequales aurora togas.* rara de toga invenies apud Suidam in τήβεννος. Dempst.

237. *sectis*] forte *lectis*. Ritt. sed *sectis* est divisis, certo ordine et numero procedentibus. Vonck.

240. *tegebat*] formula recepta. Curt. 8: *vivunt, stant in acie, te clipeis suis protegunt.* lib. 9 ipse Alexander: *me periculis obtulerim, qui saepe aciem clipeo texi.* Turpil. Demiurgo: *quia non minus res hominem quam scutum tegit.* vetus comitus apud Charisium 4, forte Pacuvius: *vidi tegentem clipeo classem Doricam.* Claudianus de bello Get.: *patrem clipeis defendite Tibrim.* et de bello Gildon.: *clipeis tectos galeisque micantes.* de laud. Stilich. 3: *protegis hanc clipeo.* infra hic 373. Dempst.

241. hinc protegentes armis latera principis stipatores dicti protectores. l. 9 C. Theod. de protect. et domest., l. 6 C. de advoc. divers. iudic., Cassiod. 11 ep. 31. multa super hac re communicavit mecum amicissimus Marcilius, quae nihil necesse hic inseri. mentio l. 10 C. de metatis, et alibi, supra 3 162. Dempst.

244. sic supra v. 124: *trabea succinctus*, vel uno verbo *trabeatus*, quo utitur initio huius libri v. 10 et infra v. 31. Ritt.

245. *potens*] placet coniectura Ruizii *patens*; ut sit *exstans, prominens, sublimior ceteris.* Ritt.

257. *postquam sua tecta videndum*] ita quidem legitur in ms, sed quod *videndum* in hoc versu, etiamsi congrue fortassis, suspicione tamen aliqua apud me non careat. Ruiz.

ib. correxi *videnda*, ut constet Corippi sententia, qui, ut metro inserviat, implicate interdum loquitur et obscurus fit. itaque hirundo ex Virg. Georg. 4 307 *garrula* dicitur, quia ad nidum, quem tectorum tignis suspendere solet, garriens redit, sic studens audiri; et circum volitans studet etiam videri a pullis suis, ut in occursum veniant ad sumendum cibum. Fogg.

258. *garrula*] ob loquacitatem illius avis ingratam insuavemque. Homer. Odyss. 21. sic exemplum illustre eius rei apud

Plutarchum de vindictae divinae tarditate, de Besso quodam parricida. Minos ad Alciati embl. 70. Auson. ephem.: *strepit lectis vigilax hirundo.* Martial. 1 54: *multisona fervet sacer Attide lucus.* Dempst.

258. *fenestras,* quia αὐτὴ ἡ χελιδὼν ὁμωρόφιος ἡμῖν διαιτᾶται, ait Artemid. 2 71. Virgil. Georg. 4: *ante garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.* erat inter symbola Pythagorae, ut refert D. Hieronymus: *sub eodem tecto hirundinem ne habeto,* quia ut hirundines aestivo tempore adsunt, hieme decedunt, ita amici simulati contubernium servant quamdiu res in tranquillo sunt, vertunt terga, si quid turbetur. auctor ad Herennium. denique Oppiani Cilicis locus est de amore eius in fetus, Halieut. 1: ἠὲ καὶ εἰαρινῇσι χελιδόσιν ἐγγὺς ἔκυρσε μυρομέναις ἑὰ τέκνα. εἰαρινῇσι, quod eius adventus ver signet. Suid. μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. vide eundem in νέα χελιδών, et adagiorum collectores; quo sensu dixit Claudianus in Eutrop. 1 *brumalem hirundinem,* ut opponeret *vernae: arboris immoritur trunco brumalis hirundo.* Plin. 10 24 vult *in vicinos montium recessus abire, ibique delitescere tota hieme nudas implumesque.* Martial. 5 68: *hibernos peterent solito cum more recessus Atthides, in nidis una remansit avis.* Dempst.

260. *flagitant*] non patitur ratio carminis. lege *rogitantque* aut aliquid simile. totus hic locus expressus est a Iulio Montano (de quo, ut puto, Ovidius de Ponto 4 16) *noto amicitia Tiberii et frigore.* habes fragmentum apud Senecam ep. 122: *iam tristis hirundo argutis reditura cibos immittere nidis incipit, et molli partitos ore ministrat.* Plin. 10 35: *in fetu summa aequitate alternant* (noster *distribuit escas*) *cibum.* Iuven. 10: *hiat tantum, seu pullus hirundinis, ad quem ore volat pleno mater ieiuna.* quae ex illis mutuatus videtur Oppian. Cilix 3 Halieutic.: ἀπτήνεσσι φέρει βόσιν ὀρταλίχοισι μήτηρ, εἰαρινὴ ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις. Dempst. cum in poëtis sequioris aevi non insolens sit invenire immutatam syllabarum quantitatem, verebar sufficere, suadente Dempstero, *rogitantque.* modo vero restituendum puto *flagrantque cibo,* quod maximam cibi aviditatem eleganter exprimit. sic per translationem *flagrare libidinibus* scripsit Suet. de cl. Gr. 23. Fogg.

262. *sed* hoc loco pro *et* reposuimus; qui lapsus describenti librario facile contingere potuit. Ruiz.

264. duo praestantissima pacis opera reliquit Iustinianus, quibus sui nominis memoriam toti posteritati commendavit. unum est *templum* Sophiae, quod Christo aeterni patris coaeternae sapientiae dedicavit. alterum est *corpus iuris,* cuius pulcherrimam partem, videlicet *Pandectas,* ipse sanctissimum tem-

plum Iustitiae appellat. horum operum talem quondam institui comparationem et celebrationem. *Iustitiae Sophiaeque olim augustissima templa sunt structa auspiciis, Iustiniane, tuis. illud iuris amor legum et studiosa voluntas, o Astraea, tibi, filia cara Iovis, hoc tibi sacravit, patris sapientia, Christe, in cultus pietas officiosa tuos. materies illi leges ac scita fuerunt prudentum et Latiis Caesaribus placita: materiem lapides huic et caementa dederunt argentum et gemmae et fulva metalla suam. haec educta fuit fabris ad sidera moles, organa quis serrae, malleus atque manus: illa Triboniano erecta est structura magistro; ingenium et calamus malleus huius erat. barbara detinet hoc iam gens Muhametica captum, et misere spurcat foeda superstitio: illud desuetumque diu tenebrisque sepultum in lucem Saxo protulit atque forum. tempore iam ex illo redivivi gloria iuris Romulei in terris et super astra volat; muneribusque aras onerantes templa frequentant haec, quos sol oriens occiduusque videt. dic utrum melior templum fortuna sequatur, anne sacrum Sophiae, Iustitiae anne sacrum? scilicet ingenii monimenta perennia durant, sed quod opus manus haec condidit, illa ruit. nominis, o bone Christe, tui consurgito vindex, et Sophiae fanum redde age Christicolis.* Ritt.

264. *sanxerat*] celeber est hic locus apud criticos ad comprobandum usum verbi *sancire* pro consecrare; et ipse etiam superius ad hoc citavi, sed fortassis frustra. cum postea sit vox *dicarat*, legendum hic esse crediderim *sarserat*, hoc est refecerat. audi Festum: *sarcire est integrum facere.* Ulp. l. 1 D. *de rivis* § 6: *verbo reficiendi tegere, substruere, sarcire, aedificare, item advehere apportareque ea quae ad eam rem opus essent, continentur.* et sane *Sophiae cognomine templum* Iustinianus M. non primus condidit, sed iam conditum a Constantino M., et a Constantio perfectum et a Theodosio iuniore instauratum, cum in seditione Victoriatorum conflagrasset, in augustiorem formam renovavit. Corippus igitur semper idem ad nomen uxoris Iustini alludit, et fingit praenuntiatum praefiguratumque fuisse Iustini et uxoris Sophiae imperium in eo quod Iustiniano M et Theodora eiusdem uxore imperantibus refectum fuerat Sophiae cognomine templum et condita arx Sophiana. Fogg.

266. *volens*] ita restitui tum metri causa, tum quia poëta exprimere intendit Iustinianum consulto voluisse eo Sophiae cognomine Christum intelligi, qui est patris sapientia. Fogg. ms *vovens*.

268 et 269. lege *duxit* et *sint*. Vonck.

268. restitui *duxit:* manifesto enim loquitur de Iustiniano. τὸ *ante* sequentis versus respicit verba *auspiciis sacrare piis*. de-

mum *arcana futurorum bonorum* dici puto, quae obscure ostentant seu praefigurant bona futura. Fogg. ms *ducit*.

271. de huius templi structura, aliorumque a Iustiniano susceptorum, Zonaras Procopius et alii. Dempst.

274. *mysterium*] contra leges prosodiae: sic *idolum, eremus, ecclesia*, aliaque innumera apud Prudentium et alios. Dempst.

283. si fides Anonymo, imperator Iustinianus absoluto Sophiae templo exclamavit prae gaudio exsultans: *vici te Salomon;* praetereaque e regione eiusdem templi Salomonis statuam posuit illud contemplantis et genas sibi carpentis quasi doleret se esse superatum. Fogg.

287. *Sophianarum*] hoc est aedium, de quibus saepe loquuntur veteres Byzantinarum rerum scriptores, cum alii tum Zonaras Annal. 14 10. Fogg.

288. *principis est haec aula dei*] quae iam inde ad finem usque huius libri 4 sequuntur, nescio quonam malo fato ita sunt plerisque locis perturbata, non paucis mutila, ut consultius nobis fuerit omnia fere, ut melius fieri potuit, lectori repraesentare, quam dum eadem incredibili animi nostri contentione emendare studemus, fortassis corruptiora adhuc multo reddere, quemadmodum aliquibus plus nimio suo ingenio confidentibus accidisse in alienis laboribus compertum est, sed tamen nec omnino abstinere potuimus, quin pari diligentia, qua in superioribus sumus usi, aliqua minus difficilia castigaremus, reliquis, quae omnino curationem nullam admittunt, asteriscis suprapositis quasi apicibus insignitis. Ruiz. maluissem legere, ut ms codicis vestigiis pressius inhaererem: *principis haec atque aula dei;* aut forte rectius: *principis aedes, aula dei*. Fogg. pressius inhaeret quod iam repositum est.

290. *inde*] *ibi* fuerat in editione priore. reposui *inde*. Dempst. error natus ex notis. *i* utrumque saepe librariis est, et *ibi* et *inde*. Ritt. Meursius loc. cit. hunc versum in editione Ruizii luxatum esse censet, et legit *ibi namque probatur*. Fogg.

292. restituta interpunctione omnia clarent. Fogg.

293. praeclara Christianae et orthodoxae fidei confessio, compluribus versibus exposita, ad normam symboli Nicaeni et Chalcedonensis. Ritt.

294. sensus est perturbatior. paullum mutata lectione sic transposuerim: *spiritus et sanctus subsistit, numine fulget, tres sunt personae, substantia creditur una, utque pater deus est etc.* Vonck.

295. *nomina fulgent*] quia nimirum ipsa nomina ostentant divinarum personarum inter se distinctionem, ac relationem in

unitate substantiae. Paterculus 1 14 de coloniis militaribus a Sylla, Iulio Caesare, triumviris et Augusto deductis, quae Syllanae, Iuliae, triumvirales et Augustae nuncupabantur, *militarium*, inquit, *et causae et auctores et ipsarum praefulgent nomina.* a theologis vero disces divinarum personarum filii et spiritus sancti emanationes seu processiones ex patre, ἐκφάνσεις *effulgentias* plerumque ecclesiae Graecae doctores appellasse; et docente S. Athanasio in libro de Decretis synodi Nicaenae, *nullum videtur esse aptius ac solis et splendoris exemplum ad explicandam dei personarum pluralitatem in unitate, quia lux ante splendorem non existit, nec splendor a luce separari potest*, semper licet necesse sit omnem corpoream cogitationem a divina generatione arcere, cum plane nequeant comparari humana divinis. Fogg.

300. lege: *sponte sua verus factorque et conditor orbis factus homo est.* etenim *verum hominem* opponit *vero deo.* quam autem τὸ *venit* hic miserum languet! Vonck. τὸ *venit*, quod iudice Vonckio languet, multam mihi videtur habere vim. *sponte venit:* nam *oblatus est, quia ipse voluit*, Is. 53 7. confer Ioh. 2 20, ad Gal. 2 20, ad Hebr. 10 7. Fogg.

304. *omnique*] in margine fuerat *pneumaque*, contra regulas originis et usus dictionis. retinendum *omnique.* Dempst.

ib. lege *hominique profecto consimilis.* ex compendio scripturae error obvius. supra similiter *verum hominem* Christum dixerat, neque destitisse tamen *verum deum* esse, v. 300, dummodo et ille locus recte legatur. ceterum Corippum imitatus fuit Guntherus Ligur. 5 154: *instabat veneranda dies, qua Christus in una aequalis deitate patri, sine temporis ortu natus ab aeterno, sub tempore temporis auctor caelitus infusa voluit de virgine nasci.* vide quae apud eum sequuntur, quaeque praecesserunt in Corippo; adparebit clare. confer, si lubet, Venant. Fortunatum de partu Virg. v. 87 et seqq. Vonck. meam emendationem (*omnimodeque*) libens revoco. lege cum Vonckio *hominique.* Fogg. S. Hilarius lib. 8 de Trinitate § 23: *deo simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest.* S. Aug. 2 contra Maximinum: *verus dei filius et unius cum patre substantiae est, quia verus filius est, et per omnia est patri similis, quia dei filius est.* Fogg.

309. *honori*] malim *honore.* Vonck. *honoris*] emendationem hanc meam comprobant alia Corippi loca: sic enim 1 127 *nomen honorum* et 3 332 *senio honoro.* Fogg. ms *honori.*

321. in ms codice *quam* pro *cum* bis et *amator* pro *amatur* mendose, nisi iudicio nostro fallimur, legebatur. atque haec quidem a nobis in Corippum observata pro nostro captu, cum

multo plura observari potuissent ab aliis, qui et ingenio et diligentia plus valent, tum ad poëmatis lectionem emendatiorem reddendam, tum vero ad historiam Iustini 2 Caesaris ex multis auctoribus Graecis et Latinis magis illustrandam, quorum neutrum munus est susceptum a nobis, quibus tantum in animo fuit Corippum ipsum ita in lucem dare, ut nostra opera ab omnibus studiosis legeretur et sine multis difficultatibus etiam intelligi posset. Ruiz.

321. *fidem*] in initio principatus sui, ut supra admonui, Iustinus pietati deditus, et tunc videtur hoc opus scriptum. at postea Pelagianam amplexus haeresim iuri ecclesiastico non mediocriter derogavit, ut nonnullis visum. Dempst.

331. *sine semine*] allecti erant ergo qui non sunt, ut ait Persius, *patricius sanguis*, sed in patricios cooptati. Sueton. Tib. 1, Tacit. Annal. 11: *iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum et L Iunius Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Senia sublegere.* clarum ergo vetustae stirpis senatores *conscriptos* dici, alios *allectos*, non quidem in ius civitatis, quo quid absurdius? sed in senatum, ut assentiar viro eruditissimo legenti apud Suetonium Aug. 2: *ea gens inter minores gentes allecta*, claro sensu, ut dixi. antea male *Romanas gentes*. supra hoc libro 143. Dempst. nota ex iure nostro res, patriciatus dignitas, quae erat perpetua, qua ratione et summa dicitur a Iustiniano in § *filiusfamilias*. Instit. quib. mod. ius. pat. pot. solv. dicebantur autem patricii parentes principis, ut in Antholog. 4 4 de Aureliano legimus: *ὃν τρισέπαρχον καὶ πατέρα βασιλῆες ἑὸν καλέσαντο μέγιστοι.* et eodem libro tit. 28 de Ammonio: *Ἀμμώνιος, ὅς βασιλῆός ἐστι πατήρ.* sic et patres sine semine factos dicere possis, qui nullis licet procreatis susceptisque liberis iura trium natorum indulgentia imperiali consequebantur; de quibus dixi nonnihil ad Plinii ac Traiani epistolas amoebaeas 10 ep. 95 et 96 p. 298. Ritt.

333. *pater imperii*] Iustinian. Instit. 1 tit. 12 § 4: *quis patiatur imperatoriam celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?* idem l. 5 C. de consul.: *ne videantur, qui a nobis loco patris honorantur, alieno iuri esse subiecti.* designantur patriciatus honore sublimes, *qui patres principis* dicuntur, Niceph. Eccles. Histor. 13 1. adi Marcilium incomparabilem loco Institut. citato. recte ergo patricius Luitprando exponitur *πατὴρ βασιλέως*, et Suidae *πατρίκιος πατὴρ τοῦ κοινοῦ.* noster hic *imperii pater*. idem Suidas in An-

tiocho praeposito, Cedrenus in Basilio Macedone, Cassiodor. 6 formula 2, Procop. de bello Vand. 1. Claudian. in Eutropium Eunuchum 2: *praesidium legum genitorque vocatur principis, et famulum dignatur curia patrem.* coniungebatur, ut Meursio notatum, hocnomen cum nomine regio. Chron. Laurishamense: *Otto dei gratia rex Francorum ac Longobardorum ac patricius Romanorum.* originem ritus a Constantino Magno accipiunt ex Zosimo 2. sed sub Tiberio invenio. Iuvenal. de Seiano sat. 10: *tutor haberi principis Augusta Caprearum in rupe latentis.* Dempst.

334. *gaza*] contra regulas grammaticae. forte sic usurpatur barbara dictio a barbaro et Africano homine. significatur autem μέγας σακελλάριος, *magnus sacellarius*, non quidem is qui hominibus deo dicatis praeest, sed qui rerum sacrarum locive habet curam; idemque est σκευοφύλαξ curopalati, *utensilium custos*. igitur sacellaria est procuratio hominum, sacellum locorum. Nicet. Choniates 2. Dempst.

341. *quum*] sic restitui pro *dum*. Ritt.

344. sic restitui, *regnum ut velit ille subire*, cum esset nullo sensu et contra legem versus *videlicet ille subire*. Dempst. *nolit licet*] legebatur *videlicet*. peccabat etiam distinctio, quam simul restitui. Ritt.

347. *amando*] sic restitui. erat antea *amans*. Dempst. forte *amabit*. Ritt.

ib. amantes] mancam vocem ita suppleverat etiam Schwartzius, notante Goetzio. Fogg.

348. nota huic versui et sequentibus restitutam lectionem et suam sententiae elegantiam. eadem paucioribus Corippus innuit 1 60 et 61. Fogg. apud Ruizium *qui nocuere nocebit. ipsum etiam* —.

350. *sanguine terras*] quid sit *dare terras iustas suo sanguine* non legi; quare puto reponendum *poenas:* sic enim constat sensus, et imitatio erit Virgiliana Aen. 10: *Teucrisque pio det sanguine poenas.* et Aen. 11: *Tros Italusve mihi pariter det sanguine poenas.* Dempst.

ib. lege *dent sanguine poenas*, aut *udasque suo dent sanguine terras.* Vonck.

353. *seponens*] ex coniectura supplevi lacunam hanc: erat enim *s* cum asterisco. Dempst. *suspectum*] ita supplevi hanc lacunam, poscente sententia. pro *sic* mallim *sed punit.* Ritt. *subiectum* et *erit* (ms enim *erat*) Fogginus, qui hunc, inquit, et tres proximos versus hiantes supplevisse mihi videor, nisi certius, certo saltem rectius, quam ceteri, tum si sententiarum con-

venientiam et elegantiam, tum etiam si ms codicis vestigia, quae Ruizius praestat, consideres. Fogg.

354. [apud Ruizium *carneveras* (in margine "forte *carne foras* aut *carnivoras*") et post *poena* lacuna.] adeo truncatus hic versus erat, ut difficile sit sensum ullum reperire. potest tamen sic legi: *carnivoras. animas ut mortis poena sequatur.* Dempst.

355. difficile est huic loco Aesculapium esse. ex parte sic forsitan sanabimus: *cruciantia tantum praeteritura pati, haut satis est: aeterna tremiscunt supplicia: inflictas, etc.* Ritt. apud Ruizium *cruciant ... praeteritur * abti satis est*, et in margine *praeteritura pati.*

359. Cyprianus serm. 5 de lapsis: *plectuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur. exempla sunt omnium, tormenta paucorum.* atque hinc est quod a Graecis poenae dicuntur παραδείγματα, quia propter exemplum infliguntur, ut ceteri a maleficiis deterreantur. Ritt.

360. significat eos quorum memoria post mortem damnatur, de quibus vide § *per contrarium.* Inst. de her. quae ab int. defer., et l. 5 si quis. C. ad L. Iul. maiest. Ritt.

362. *poena timetur*] viri boni declinant vitia sequunturque virtutem, solo ipsius amore ducti nec ullo praemio allecti, et mali poenarum terrore cohibentur. supra 1 61. Horat. epist. 1 16: *tu nihil admittes in te formidine poenae.* Dempst.

363. hinc Iosaphatus rex ad indices, quos constituebat, 2 Paral. 19 6: *iudicia domini exercetis;* et leges ipsae δῶρον καὶ εὕρημα θεῶν dicuntur. Ritt.

366. *ensipotens*] nempe *protospatharius.* Fogg.

367. lege *adspectu mitis, iuncta gravitate benignus.* sic supra locutus erat plus semel. Vonck.

ib. *nec non*] ms *non a.* Lucanus in Paneg. ad Pisonem 88: *sed super ista movet plenus gravitate serena vultus, et insigni praestringit imagine visus.* Fogg.

368. historiam supra explicui 3 221. restat nunc locum insigniter corruptum in Adonis Viennensis Chronico, aetate sexta, restituere. *Narcissus,* inquit, *patricius Totilam Gothorum regem in Italia superavit et occidit.* rescribe *Narses.* adde ad ea quae dixi Agathiam lib. 1, Victorem in Iustino, seu verius Epitomastem, Diacon. 16 in Iustiniano, Ottonem Frisingensem 5 c. 5, in quorum omnium codicibus *Narses patricius* in hac historia legitur. de Narcisso nihil, quem constat Claudio ab epistolis fuisse, Sueton. c. 28, et in Vitellio 2, Vespas. 4, Plin. 35 18, et 33 10. innominatus Scholiastes ad Iuvenal. 14 329:

Narcissus libertus Claudii potentissimus idemque ditissimus eunuchus. Sen. praefat. lib. 4 nat. quaest.: *Messala et Narcissus diu publici hostes.* dixi ex multis aliis ad illud Claudiani in Eutrop. 1: *iam Chrysogonis tua, Brute, potestas Narcissisque datur.* Dempst. notes velim cum Pagio ad a. 567 tres Narsetes imperante Iustino inclaruisse. de duobus loquitur Procopius de bello Goth. 2 13. horum primus spado, sacrarum largitionum comes, cum praefectus Italiae esset, Sophiae Aug. minis perterritus Langobardos, ut in Italiam venirent, invitavit. hic neque forma et ore insignis erat, nec iuvenis, sed senex tum cum Iustinus imperium suscepit. alter ab Armeniis Persis ad Romanos, teste Procopio, transfugerat cum Aratio fratre, et periit bello Persico sub eodem Iustino, ut idem Procopius de bello Pers. 2 25 testatur. iuvenis et forma spectabilis Narses, de quo hic loquitur Corippus, ille est de quo Theophanes ad a. 16 Iustini scribit: *hoc anno Narses cubicularius et protospatharius, qui Iustino adeo carus fuit ut eius gratia ludibriis respergeretur, domum Narsetis construxit et Catharorum monasterium.* hic sub Mauricio Persis tanto terrori fuit ut Persarum infantes audito Narsetis nomine tremerent. vide plura apud Theophylactum in Historia Mauriciana. Fogg.

370. *Parius*] Parium lapidem sive marmor non facile persuaserim mihi auro includi solitum, nisi forte columnas e marmore bracteatas intelligamus, quod satis familiare, sed non convenit huic loco: nam annulum insigni gemma ornatum videtur describere. censui igitur rescribendum *Pharius lapis,* quia in Aegypto smaragdi nascuntur, Solin. 19, Plin. 37 5 et alii, et opali, eiusdem libri c. 6, licet sciam Isidorum 16 12 dixisse in sola India opalum nasci. Pharius lapis igitur erit smaragdus aut opalus palae inclusus; aut certe Aegyptillam gemmam nigram, quam sola Aegyptus parturit, Isid. 16 11, intelligere possumus. supra 3 16. Levi haec calamo absoluta citius quam inchoata, in quibus, ut hirundo Byziam (Plin. 10 24) otiosam verborum pompam declinavi. ob id nullus mihi metus ne Antiphontis (Sen. 2 declam. 1) aut Seviani (Sen. 5 controv. 1) aut Didymi (Quintil. 1 8) hoc habeatur opus, nisi forte a Procello (Sen. Suasor. 2), cui ego suadeam cucurbitas pingere potius quam cum doctis altercari. certe *nullus cortinipotens,* ait Lucilius, *cum dominam contigerit, mihi ancillas dedignabitur.* alios nihil moror, nec tanti haec fateor ut debeam vereri invidiam. Dempst. Virgilium imitatur Aen. 1 596. quo in loco Virgilius ebur argentum Pariumque lapidem inducit, quibus circum addatur aurum, ut exprimat Venerem matrem Aeneae filio, natura sua pulchro, novam pulchritudinem addidisse, ut gratior Didoni appareret. at Corippus achatem pro argento inducit, et hinc

puto coniunxisse aliam similem gemmam, non Parium lapidem. suffeci *Pyrous*, quasi generice indicare voluerit gemmam flammas afflantem, qualem supra v. 120 pyropum dixit. unus ex gente Amorum *Pyrois* dictus ἀπὸ τοῦ πυρός occurrit apud Claudianum in Epithal. Palladii et Celerinae. quid non potuit id ipsum audere Corippus, ut splendentem gemmam indicaret? Fogg.

872. *mitis*] malim *miti*. Ritt.

875. *implebat et*] adde *actus*, et versum impleveris. Ritt.

877. *tranquillus al...*] cuiusvis est supplere *alumnus*. quid autem hic in fine et in reliquo hoc poëmate (quod integrius ad nos pervenire potuisse optabile cum primis erat) passim desit, dicat Apollo. Ritt.

INDEX.

Periochas a typotheta p. 21—24 positas *refer* ad p. 163.

p. 196 v. 321 efferra] *lege* effera.

LIPSIAE,

EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.

DATE DUE
